Lexicon medicum Graeco-Latinum, / a Bartholomaeo Castello ... inchoatum. Nunc verò ... opera et studio Adriani Ravesteinii ... Ex Hippocr. Galen. Avicenn. Atque aliorum celeberrimorum medicorum monumentis. Tertiâ ... parte auctius, & innumeris, ... mendis, expurgatum, ac perfectum.

Contributors

Castelli, Bartolomeo, active 16th century.
Ravestein, Adrian, active 1651.

Publication/Creation

Roterodami : Apud Arnoldum Leers, Anno M. DC. LXV. [1665]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/rvt4exs5

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org



Unable to display this page





17005/A/1A.I.n



9124

64076 dup

55150

LEXICON

MEDICUM GRÆCO-LATINUM,

A

BARTHOLOMÆO CASTELLO

MESSANENSE inchoatum.

Nunc verò in commodum publicum

OPERA ET STUDIO

ADRIANI RAVESTEINI

Art. Med. Doct.

EX HIPPOCR. GALEN. AVICENN.

Atque aliorum Celeberrimorum Medicorum Monumentis.

Tertiâ quidem sui parte auctius, & innumeris, quibus scatebat, mendis, expurgatum, ac perfectum.



ROTERODAMI,
Apud ARNOLDUM LEERS.
ANNO M. DC. LXV.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

IN CASTELLIANUM LEXICON N. ANTONINI COLOSSI CARMEN.

Dædalus haud tantùm fert nominis, implicuisse;
Stamine quàm cæcas explicuisse domos.
Non laus Acetæ servasse penatibus aurum
Phryxeum; Æsonidæ, sed retulisse datur.
Atlas Hesperidum vigili pomaria clausit
Angue, sed Alcides aurea mala tulit.
Ille quidem summo me judice dignus honore est;
Qui, quid habent usus optima quæque, docet.

Scilicet inventum primus qui cuderit aurum:
Murice qui tinxit vellera purpureo:
Quique in Erythræo projectis littore baccis,
Instituit torques excoluisse nurus.
Quantum igitur laudis dives CASTELLE, *mereris,*
Qui tot primus opes, tot bona prima doces?
Non etenim herbarum, & lapidum, quod munus, & usus,
Sed quæ verborum est vis ratioque doces.
Dædaleos nexus filo, ambagesque resolvis,
Auratos villos, aurea poma refers.
Dædalus, Alcides, tibi cedant, cedat Iason:
Te magis his etenim laus diuturna manet.

Magni-

Magnificis & Generosissimis Viris
ac Dominis,

DD. GERARDO WELHOUK, Societatis Indiæ Orientalis exercitori,
DD. EVERARDO à BLEYSWYK,
DD. BRUNONI vander DUSSEN, Armamentarii confœderatarum Provinciarum præfecto,
DD. NICOLAO BOGAERD, J. U. D. & præpotentium DD. Hollandiæ Ordinum apud Delpho-batavos Quæstori ærario.

Gravissimis Reipub. Delphensis Consulibus.

NEC NON

Amplissimis, Doctissimis, ac Consultissimis
Viris Dominis.

D. THEODORO vander DUSSE, JCto, & Exconsuli,
D. ALBERTO vander GRAEF, Senatori, & urbis Delphensis Ædili,
D. GUILIELMO MEERMAN, JCto.
D. SIMONI à GROENEWEGEN, vander MADE, J. U. D. & præfatæ Urbi à Secretis.

Gymnasii, Collegiique Delphensium Præfectis, ac
Curatoribus vigilantissimis.

Dominis suis perpetim colendis.

ANnus jam agitur vicesimus, ni fallor, septimus, Viri Amplissimi, quibus in palæstrâ vestrâ literariâ, Rei-

publ. seminario desudare, & Sisyphi illud saxum volvendo ætatem terere, certo quasi fato mihi contigit. Et sanè, dum tyrones hoc velut in ergastulo ac pistrino quodam lapsibus jugiter vicinos, & in vitium flecti cereos hortamur & erigimus; dum adolescentulos, parentum, Patriæ & Ecclesiæ spem, ut tandem è contemptibus exeant, erudimus; incompositos quorundam è vinculis emissorum, & blandâ nimis indulgentiâ infectorum mores formamus ac componimus; captui nosmet accommodamus eorum rudi, sensui sæpè magis quàm rationi (quippè, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt) parentium; nonnullis frænum injicimus, aliis calcar addimus; ipsimet inter labores ac dolores carpimur paulatim, ac contabescimus; donec mors vellat aurem, nosque vendicet sibi. Quocirca rectè & ex ordine, sapientiæ humanæ aquilam, & Philosophorum phœnicem Aristotelem pronuntiasse credimus: Diis, Parentibus, ac Magistris non posse æquivalens reddi; & majorem minime concipiendum, quam parturientium laborem ac docentium. Et profectò res ipsa indicat. Quis enim nisi Hypsea cæcior non visurus est, artium

tium artem esse, & scientiarum scientiam puerum regere, qui vix dum ac ne vix quidem hominem se esse norit. Et cui quæso id quasi παίζειν, levidense & minoris notæ videatur (dum mechanicas exercentes artes fabulari, cantillare, aliud agere solent) in continuâ mentis, potioris hominis partis, detineri magistros? eâdem propejugiter oberrantes chordâ variarum æstu cupiditatum effrænatæ, indomitæ, & inconstantis ætatulæ salutari à proposito disturbari, interrumpi, excarnificari, quæ melius, pejus, prosit, obsit, nil videt, nisi quod lubet? reluctanti eorum naturæ irrito sæpe conatu obluctari? in Danaidum & pertusa ingerere dicta dolia? vanitati fallaci illi umbræ deditis Dei timorem inculcare? obsequium & obedientiam iis instillare? parentibus uti ac senioribus debitum honorem deferant, humilitatem non aspernentur, clementiam diligant, & splendidam gemmam illam in vitâ & vultu verecundiam, disciplinæ virgam, malorum expugnatricem, vitæ decus, virtutis sedem ac primitias, naturæ laudem, & insigne (ut cum D. Bernardo *loquar) totius honesti seriò tueantur. Præter tamen trivialem spar-*

tam eam & Provinciam exornandam quam cepi sic satis duram, aliud Augiæ quasi stabulum repurgandum mihi sumpsi, quo adultiori etiam prodesse possem ætati; juventutis conatus sublevarem & labores, auxiliaremque errantibus porrigerem manum, (quod palmarium mihi semper visum, & utramque apud me, non mihi modò natum, paginam fecit.) Quid enim magis à ratione dissonum, quàm ad arcem, & artis Medicinæ abdita & adyta penetrare velle sine gradibus; immenso ac vastissimo sese Iatrices credere Oceano, absque clavo & Palinuro; & inextricabili se committere labyrintho sine Theseo, vel Ariadnæ filo: id est, genuinorum nominum ac terminorum spretâ cognitione, ipsissimas Medicas (quæ ἀσύστατα sunt) percipere velle materias. Vetus enim est, & velut in triviis tritissimum: πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν, δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα: unde & ὄνομα quasi ὀνόομα, (ab ὀνέω) quod in rerum nos adjuvet cognitione: vel, ut nimis argute divinus ille Plato, ab ὂν Ens, & μαιεύεσθαι, obstetricari; quod, ut obstetrix infantem ex utero matris; ita hoc τὸ Ens, sive latentem rei veritatem, protrahat in lucem: atque etiam ut νόμος (à νέμω) suum cuique

cuique tribuit; ita & nomen ſuam cuique rerum imaginem repræſentet. Quocirca perſpicuum quoque unumquodque eorum ſit ac proprium, relegatis in Vtopiam metaphoris, (per quas omnes olim tropos intellexit Ariſtoteles,) *cumprimis convenit autore* Galeno, *lib.* 1. *de meth. med. cap.* 5. *Quod & unicè nobis in votis hic fuit, adverſus nugivenduli illius* Paracelſi *inſtitutum, qui rancidis ſuis ænigmatibus, & vocabulorum portentis negligi, ut videtur, maluit, quàm intelligi. Peſſimè igitur, inquam, qui* ἀνέπτως, *ut ajunt,* χρῶν, *ad* Apollinis & Æſculapii *ſacra illa auſu tam temerario convolant, atque eorum myſteriis initiari volunt, quibus tritum illud ſemper in ore volvitur:* Græcum eſt, non legitur.

Græca petunt Barathrum, verba Latina polum.

Illi enim, ut ſtolidi faſtuoſæ illius turris Babylonicæ architecti, diſperguntur, &, ubi ſuam tandem ſenſerint imbecillitatem ac defectum, galeâ, clypeo, haſtâque abjectis diffugiunt; vel Andabatarum more in tenebris dimicantes pudore ſuffuſi ſemet ipſi dant turpiter, & ignorantiæ ſuæ ſæpè pœnas luunt:

absque illis rerum symbolis Medicorum siquidem filiorum sacra constare haud possunt. Proinde cum aliis Lexicographis omni sanè encomio Machaoniâ in arte dignissimis ; ut & in Theologiâ, facultate juridicâ, & Philosophiâ celeberrimis, meam quoque operam qualemcunque ad publicam utilitatem & philiatrorum emolumentum conferendam, non abs re esse duxi : cùm aliorum, tùm in primis aquissimis, utilissimis juxtà & necessariis ARNOLDI LEERSII Roterod: *Typographi, de Artium liberalium studiis & Republ. literariâ optimè meriti, atque etiamnum indies merentis, cognati nostri & amici postulatis, in manus sumens* BARTHOL. CASTELLI Messanensis Lexicon, *compendiose ex operosissimis Medicinæ Patrum* Hippocratis & Galeni *voluminibus depromptum, tùm descriptorum, tùm typothetarum negligentiâ & incuriâ usque adeò deformatum atque mutilatum ; ut ne quidem ex* Æsculapidum *familiâ divinissimi ipsi, si in vivis essent, partum suum agnovissent, & uno quasi ore pronuntiassent.*

Lerna palus liber est, vitiorum exercitus hydra.

At-

Atque uti propemodum onus Æthnâ graviùs, &, quàm sit Troiam capere, difficiliùs primâ fronte & intuitu videretur, omnia tollere περιεμμαξ, eum elimare, pristinoque ac decoro nitori restituere: belluam tamen eam, quantum fieri posset, conficiendam ratus facilitati, necessitate postulante, studui, & cum materiæ nimis intricatæ obscuritate pro modulo decertare vocum proprietate & perspicuitate, ipsissimos Hippocratis & Galeni *fontes perscrutans, sum conatus: cùm ad manus meas perveniret, opere jam propemodum absoluto, tantisque laboribus exantlatis, Exemplar* Emmanuel. Stupani, *Basil. Medici ac Professoris, (qui non spernendam sanè in illustrandis multis, & enucleandis operam adhibuit.) Quod proinde etiam* ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς *evolvi, & rimatus sum, & in non paucis (ubi dilucidior videretur) secutus; ut nequid mystis desideraretur Apollineis. Quin etiam ex* Johanne Gorræo (*qui affectuum p.n. & terminorum voces, Græcis expressit characteribus, quæ hic, in literarum Græcarum, qui plurimi sunt, ignarorum gratiam, Latinis redditæ*) *aliisque Medicorum anteſignanis præstantissimis*

simis

simis ac primipilis epitomen hanc ad dimidium propè ampliavi, cùm novorum additamento, tum pleniore vocabulorum insignium & illustriorum explicatione, quæ cognitu maximè necessaria viderentur & obvia. Rei verò Botanicæ, & Anatomiæ perfectior (si quis eam desideret) cognitio & peritia, è Dodonæo, Matthiolo, Clusio, Laurentio, Vesalio, *aliisque celeberrimis Viris, in arte suâ summis & incomparabilibus (ne in immensum excresceret hoc opus) haurienda.*

Vestræ verò amplitudini, cui nihil non debeo, Viri Clar. lucubrationes hasce, & operosos sanè labores, subcessivis horis (quoties persolitas occupationes, & curas vacare liceret) natos inscribo, defero, consecroque; cùm ob vinculum quasi catenatum, & professionis nostræ communionem, quæ Romanæ linguæ vocibus (uti opus hoc Græcæ) maximâ ex parte, & probâ earum interpretatione constat. Tùm imprimis, ut perpetuum gratitudinis erga vos nostræ πικμήριον, & perennis observantiæ extaret μνημόσυνον; quippe quos semper literarum & studiorum, studiosorum, & literatorum fautores summos novi & patronos: quod præter cætera, Bibliothecâ tam

insigni

insigni exstructâ, omnisque propè generis voluminibus refertâ selectissimis, nuperrimè etiam satis superque ad publica promovenda studia demonstratum. Vos autem quale-quale literarium hoc munusculum sereno quæso vultu suscipere, & adversus virulentum pus Cynicorum, loliginisque succo turgidos authoritatis clypeo & fulgore munire, quæ vestra est ἐπιείκεια, ne dedignemini. Bonorum omnium, Viri Amplis. fons & scaturigo Deus quam diutissimè Reipubl. ac Scholis incolumes Vos conservet ac Superstites. Quod animitùs optat ac precatur

Amplitud. V V. Studiosissimus

ADRIANUS RAVESTEIN, M. D.

Patientiâ ac Spe.

Cla-

Clarissimo Viro,

D. ADRIANO RAVESTEINIO,

Artis Medicæ longè peritissimo:

CVM,

MEDICINÆ LEXICON,

Studio ac Industriâ elaboratum,
Publico daret.

LAUDE caret tacitâ celata scientia mente,
Quæque sub ignavo torpescit corpore virtus
Corruit, & meritos nunquam sortitur honores.
In clarum protraxit opus vis ignea celsi
Ingenii authorem nostrum, dum scribere doctè,
Atque suis operis Artem illustrare medendi
Aggreditur; nitidum consummans ordine librum

Enu-

Enucleatum aliis, explanatumque miniſtrat.
Plenius à nullo ſtatuendum Lexicon edi,
Conciſumque magis, potuiſſe, magisque diſertum;
Undique perfectum eſt, nil deſit, nilque redundat,
Clara jacent, ipſo, verborum, Interprete, ſenſa.
Hæc tua præ reliquis jam præſtat in arte facultas;
Quid mirum? majora poteſt, cui ſurgit ab imo
Vivida mens, demiſſa polo, nec corporis arce
Clauditur obtusâ, nec tædia mille laborum
Formidare ſolet, ſed tendere in ardua gaudet.
Fœlices animæ tales! Non ſegnibus illa
Contingunt, nec blanda ſuis Cytheræa rependit.
Hippocratis Libros ſcrutanti, Scripta *Galeni*
Cuncta revolventi debetur gratia, ſoli;
Publica, quo magis ipſa ſuperſtite commoda creſcunt,

Quô-

Quôque hominis, quæ vita brevis, fit
longa per artem.
Macte, Machaonias, acri ſtudio impiger
artes
Excole, Fata dabunt fœlicis tempora
vitæ.
Finio, Et hæc una eſt voti ſententia no-
ſtri.

THEOD. VERBURGH,

J. U. D. & ADV.

Spes mea ſola, Deus.

1651.

LEXI-

Unable to display this page

ἄρθρωσις, id est, ea naturalis ossium conjunctio, quæ evidentem motum habet, sicut *Coarticulatio*, Græcis συνάρθρωσις, est ea naturalis ossium commissio, quæ exiguum, & obscurum aliquando, aliquando nullum motum præ se fert, 2. de artic. 9.

Abdomen, ab Abdendo, communiter idem est quod imus venter, Aristoteli γαστήρ, l. 1. hist. anim. 13. vocari solitus, qui superiùs quidem, cartilagine ensiformi, ad latera costis spuriis, inferiùs autem ossibus pubis circumscribitur, ac dividitur in partem supremam, (quam in specie ἐπιγάστριον nominant) mediam (quæ umbilicalis est regio) & infimam seu hypogastrium. lib. 6. de usu part. cap. 4. Pressissimé autem acceptum Abdominis vocabulum, Anatomicis est ventris imi pars extima, totum illud, quod viscera naturalia integens ex cute, pinguedine, musculis octo, & peritonæo compactum est. Gal. loc. cit. & 2. Aphor. 35.

Abductiones, quæ & *Abruptiones*, *Apagmata*, & *Apoclasmata* dicuntur, fracturæ sunt, quæ propè articulum, per totam ossium crassitudinem fiunt, ita ut à se plurimum distent, quas recentiores caulatim, hoc est, caulis, modò factas fracturas nuncupant, com. 3. in libr. Hippoc. de his quæ in medicativa fiunt, 31.

Ablatio, totum illud tempus paroxismi febrilis est, quod post statum est, qualicumque naturâ præditum, sive id ad integritatem veniat, sive non, quod & remissio, intervallum, declinatio, & submissio dici solet, lib. de morb. tempor. cap. 6.

Abluentia, &, *Abstergentia*, medicamenta sunt, quæ succum mordicationem facientem, leniendo evacuant, 1. de simpl. medic. fac. cap. 37. & libr. 2. cap. 14.

Abolitionem Pulsus vocamus, cùm elevatis & mox applicatis digitis invenimus in singulis applicationibus motum deficientem; longè enim abest pulsus abolitio, à pulsu deficiente, illa enim est velut defectus, ut sensus quidem indicat totius functionis,

hic

hic dimidiatæ amissio, 2. de caus. puls. cap. 3.

Abortus, est imperfectorum fœtuum emisso, utcunque facta fuerit, quam Hippocrates nunc *amblosin*, nunc *perditionem*, nunc *apophthoram* vocat, & medicamenta id præstantia, *amblotica*, id est, *abortiva*. com. 1. in 6. de morb. vulg. 2.

Abrasa sunt, quæ *Aposyrmata* Græci vocant, sunt-que ulcera, quæ mollem & suspensam habent cuticulam, 1. de compos. med. per gen. cap. 12. Exponitur aliàs quoque locus desquammatus, & fructulum in ulceribus à partis ulceratæ substantiâ abrasum.

Abrasio intestinorum, est ulceratio partium, quæ in superficie intestinorum constat, quâ earundem partium educuntur ramenta, 3. de rat. vict. in morb. acut. 33.

Abrupsio, vide *Abductio*.

Abscedentia corpora, sive quæ abscesserunt, vocat Hippoc. omnia, quæ cùm corpus secundum naturam sese habet, vel unita aliquibus aliis partibus sunt, vel eas attingunt, cùm præter naturam affectum est, unionem vel contactum non ampliùs servant. *Expansa* autem vocat, quæ plurimo intervallo inter se distant, id quod duobus modis fit, vel in toto, vel in labris tantùm, 2. de his quæ in medic. fiunt, 25. vide *Apostasis*.

Abscessio apud Hippocr. id est, quod ego soleo *continuitatis solutionem* appellare; & membra, quæ ita affecta sunt, *Abscedentia* vocat, tametsi una quædam species hujus generis sit, quam propriè *Abscessionem*, & *Abscessum*, id est, *Apostasin*, & *Apostema* nuncupant, libr. de his quæ in medicam. fiunt in argumento operis.

Abscessus, tumor est præter naturam suppuratus, non consueto, & bono pure, sed in corruptionem quandam aliam tendente, lib. de tumor. cap. 3. Aliquando Hippocrates non eos solos *Abscessus* vocat, qui per fluxionem fiunt, sed etiam cùm alius transit morbus in alium, comment. 2. in 1. de morb. vulg. 21. *Abscessus*

est corporum ex phlegmone in pus transmutatio, lib. finit. med. fol. 97. *Abscessus* etiam appellat Hippoc. qui excretione noxiorum humorum sunt facti, ne dum qui decubitu, comm. 1. in 3. de morb. vulg. 4. Vide *Sinus*.

Abscissio, quæ & *Apocope* dicitur, sive morbus velut ex abscissione solutus, est, qui citra declinationem solvitur & terminatur, vel propter ægrotantium imbecillitatem, vel propter morborum fortitudinem, & ferociam, nimirum cùm morbus supra vires existit, quòd mortalium morborum est proprium, de totius morb. tempor. cap. 1. & 5.

Abstergentia, vide *Atluentia*.

Abvacuatio, largissima evacuatio est, aut corpori plus æquo plethorico aut cacochymico conveniens, quæ *hypercrisis*, seu *supervacuatio hypercatharsis* dici solet, aut quæ per patientem particulam fit. In arte parvâ, cad. 95.

Acamatos, media est omnium simpliciter membrorum figura, quasi sine fatigatione dixeris, optima, 2. de motu muscul. cap. 1.

Acantha, est *spina dorsi* in specie, Galen. seu *spinæ apex*, quem natura in spondylis dorsi est machinata, ex mediis partibus postremisque prodiens, quæ esset velut vallum quoddam ante spinam totam oppositum, quod priùs ipsum contunderetur, ac comminueretur, modisque omnibus afficeretur, quàm ad ullum spondylum noxa perveniret, 12. de usu part. cap. 15. *Acantha* autem generaliter sic dicta, est spina indiscriminatim qualiscunque; pressius, si sumatur animalium quorundam, ut echinorum piscium notat aculeos.

Accessio, est deterius tempus totius circuitus, quòd est à primo insultu morbi, usque ad tempus consistendi, sive per tertium, sive per quartum, sive quotidie fiat, 1. aphoris. 12. quæ & *Paroxysmus* dicitur, & *Invasio*.

Acci-

Accidens, aliquando *passionem* significat, & ipsam operationis læsionem, de different. morb. cap. 7. quæ constitutionem unde actio nascitur, necessariò sequuntur, sanis quidem nobis accidentia, ægrotantibus symptomata dicuntur, 1. meth. c. 9. *Non-accidentia* verò vocant recentiores Medici ea quæ non existunt, ut dolore vacare, & hujusmodi, com. 1. prognost. 27.

Accommodatum in corpore, dicitur id, quod quando unicuique rei servatur, justè quodlibet se habet, ac disponitur. 1. de fractur. 2.

Accretio, est uniuscujusque partis terminorum æquabilis quædam promotio in triplicem dimensionem. Joubert. lib. de paral.

Acerbum id omne dicitur, quod linguæ nostræ admotum, valdè deficcat, contrahit, & in multam profunditatem usque, illam exasperat, sicut pyra sylvestria immatura, ab austeris solâ intentione diversum, 1. de simplic. medic. fac. cap. 37.

Acetabulum, est illud cavum ossis extremi, quod capita alterius ossis altiùs excipit, quod & *Cotyle* dicitur, libr. de ossibus in procemio. *Acetabula* adhuc sunt, vasorum & venarum, quæ ad matrices perveniunt orificia, quæ & *Cotyledones* dicuntur, quibus fœtus matrici alligatur, per quæ velut per truncos quosdam fœtus ex matrice trahit spiritum & sanguinem, 15. de usu part. cap. 5. non secus ac Polypi acetabula, per quæ Polypus nutritur, corpora enim vasorum sunt Polyporum acetabulis perquam similia, ut nomine etiam non alio appellentur, lib. de Semin. cap. 7. per quæ etiam vasa singulis quibusque mensibus excrementitius sanguis in vulvam derivatur, ibidem; quamvis nonnulli homines vulvam acetabulis carere dicant, lib. de vulvæ dissect. c. 10. plerumque etiam profundos sinus, magnis superciliis circumdatos, tum Hippocrates, tum alii, *Acetabula* nuncupare consueverunt, 1. de artic. 21.

Acetabulares vulvæ eminentiæ, sunt tumores vasorum uteri, ex retento menstruo, quos prægnationis tempore adnatos habet, quales etiam recto intestino esse in hæmorrhoïdibus solent, lib. de vulvæ dissect. cap. 10.

Achlys, seu *Caligo*, est circa totum nigrum oculi à superficiariâ ulceratione, cicatricula tenuissima, aëri caliginoso assimilis, lib. Introd. cap. 5.

Achores, sunt manantia ulcera cutis capitis, plurimis ac minimis foraminibus cutem perforantia, ex quibus tenuis & glutinosa effluit sanies; huic morbo affinis est *Favus*, seu *Cerion*, in quo cum timore foramina sunt quàm in illis majora, melleum humorem continentia. lib. de remed. parat. facil. cap. 5. lib. de tumoribus, cap. 15. 1. de comp. med. loc. cap. 8. quæ vulgus vocat *Tineas*, Arabes *Sahafati*.

Achroi dicuntur decolores homines, pallidi & sanguine defecti, 4. de ratione vict. 115.

Aciam vocat Hippocrates Filum per foramen acus trajectum, quo vel partes corporis dissectas inter se committere, vel caput fasciæ subjectis partibus assuere consuevimus; Nodum verò nuncupat vinctionem, quæ ex fasciis, inter se connexis, fit, com. 2. in lib. de his quæ in medic. fiunt, 7.

Acida bilis, propriè *bilis atra*, aut *succus atrabiliarius*, quid sit, exemplo ostendit Galenus; Vinum quidem dulce (inquit) quod nondum ab uvis sit expressum, fervens & alteraſcens ex eo, quem in se habet, calore intelligimus, ex cujus mutatione duo proveniunt excrementa, alterum levius, magisque aëreum, quod florem, alterum gravius ac magis terreum, quod fæcem vocant: horum alteri flavam bilem, alteri nigram assimilamus, quando non eandem habent succi speciem, cujus animans naturæ opera regitur, qualem, cùm præter naturam se habet, sæpe exhibent, quippe flava quæ est, efficitur vitellina, ita enim nominant, quoniam

ovorum

ovorum vitellis, tum colore, tum crassitudine sit assimilis, nigra verò longè malignior, ea quoque quæ similis ei, quæ naturalis est, redditur: nomen tali succo nullum est insitum, nisi quòd aliqui vel radentem eum, vel acidum appellarunt, quoniam acris in morem aceti est, & corpus animalis radit, & terram si supra eam sit effusus, quandam cum bullis, veluti fermentationem, ebullitionemque excitat, ubi adventitia putredo nigro illi succo naturaliter se habenti accessit; plerique autem id quòd è tali succo naturaliter se habet, quòd & infrà dejicitur, & sæpè suprà fluitat, atrum vocant succum, non atram bilem; quòd verò exustione quâpiam in acidam migravit qualitatem, id atram nuncupant bilem, 2. de nat. facult. cap. 9.

Acida petuita est, quæ omnino cruda est; omnimoda autem cruditas intelligenda est, quæ in eâ concoctione incidit, quæ in venis peragitur; non autem in eâ, quæ prima est, quæque in ventriculo perficitur, 2. de nat. facult. cap. 9.

Acinesia, id est, *immobilitas*, est media quies, quæ inter systolem & diastolem pulsus, intercedit, 1. de differ. puls. cap. 7.

Acinosa tunica oculi, vide *Rhagoïs tunica*.

Acinus, vide *Staphyle*.

Acmastica febris est, quæ continuò crescendo procedit, ut *Epacmastica*, quæ decrescendo: *Homotona* verò, quæ similem servando calorem ad finem usque terminatur, 9. method. 4.

Acmen, ἀκμήν, id est, maximam exercitationis & motuum intentionem Græci vocant, 2. de sanit. tuendâ. cap. 2. sic & ætatem integram, & summum corporis robur significat; inde translata est vox tum ad alia omnia, tum ad morbos. Sic enim Medici tertium totius morbi tempus appellant, in quo summum habet vigorem, 1. cap. 13. quam mediam ætatem Leonicenus vocat eodem eph. *Constitutam*, alii *Constantem*, alii

Subsistentem, quæ media est inter senes, & juvenes, 1. 1. de san. tuen. cap. 2. & 6. de san. tuen. c. 6.

Acopa medicamenta, quæ *Copon*, id est, lassitudinem ex multo vehementique motu corpori, vel toti, vel particulis obortam tollunt, appellamus: Cæterum postea Medicis in usu fuit, etsi non ad lassitudines tantum medicamen ab ipsis sit compositum, sed vel ad dolorem diuturnum in alto corporis latentem, vel motum difficilem, vel sensum stupidum, vel particulæ duritiem, vel tensionem, vel tumorem scirrhosum, appellare similiter *Acopa*, modò humidam consistentiam *Acopû* similem habeant, quæ liquidis ceratis, quibus in luxatis & fractis utimur, est affinis, 7. de compos. mod. per gen. c. 11. etiam si gratiâ vehementer calefaciendi assumantur, 7. de compos. med. loc. cap. 1.

Acor, est ructus quidam acidus ex præsentiâ ciborum corruptorum in ventriculo, 5. de usu part. c. 4.

Acordius homo, id est, *secors*, quòd apud eos duntaxat intelligas, qui principatum animæ in corde statuunt, 3. de placit. Hippocr. & Plat. cap. 4.

Acosmia, vide *Ataxia*, in prognost. com. 30.

Acrisiæ vocabulum ab Hippocrate dupliciter usurpatur, vel cùm omnino judicium nullum futurum sit, aut pravum, com. 2. in 1. de morb. vulg. 46.

Acrochordon, verrucarum genus dolens, estque exortus orbicularis, angustam obtinens basim, lib. Introd. folio 97. quam vocat *Pensilem verrucam*, 2. method. 2. Sunt autem *Acrochordones*, vitiosi succi multi ad exteriora & cutim repentis soboles. Aëtius & Celsus definiunt, quòd *Acrochordon* sit verruca sub cute durior, asperior, callosa, & plerunque teres, cuti concolor, infra tenuis, ad cutem latior, juniores maximè infestans; sic dicta, vel quòd vertice suo similis sit resectæ chordæ, secundum extremitatem, vel quòd in imo adeò angusta sit, ut pendere videatur.

Acromion propriè, est summus humerus, humerive

pars

pars ſumma, exterior & prominens, brachioque hærens. Inſuper ea eſt compactio, quâ os ſcapulæ à ſpinâ tenue inchoatum, paulatimque pleniùs effectum, ad Acromii locum pervenit, ibique brachio connectitur. Alii præter hæc ambo quæ conjunguntur, tertium os eſſe inquiunt, quòd in hominibus ſolùm deprehenditur, idque *Cataclida* & *Acromion* appellant, lib. de oſſibus, cap. 14. quòd etiam *ſummum humerum* vocat, 13. de uſu part. cap. 10.

Actiones, priſci omnes *activos motus* nominant, ſicuti omnes qui naturaliter ſe habent, niſi activi ſint pathemata, quæ *paſſiones* Græci vocant, 2. meth. c. 3.

Actu aliquid tale eſſe, ex adverſo eſt ei, quòd eſt facultate, vel potentiâ, 1. de ſimpl. med. fac. cap. 9. at quòd energia ſive actu calidum, frigidum, humidum, ſiccum, unumquodque tale eſſe dicitur, vel quòd ſummam habet ejuſmodi qualitatem, vel vincentem qualitates contrarias, vel ad cognati generis mediocre aliquid, vel ad unumquodlibet à nobis eſt collatum, 3. de temp. cap. 5.

Acuta exercitatio eſt, cujus celeres motus ſunt, 5. de ſanitat. tuend. cap. 3.

Acuta febrù, vide *Acutus ſimpliciter*.

Acutus morbus eſt, qui ob ſui magnitudinem, & caſuum vehementiam, ad ſummum vigorem celeriter properat, & cum ægri periculo tempora ſua celerrimè percurrit, 2. aphor. 23.

Acutus ſimpliciter, morbus eſt, qui intra quartumdecimum diem integrè judicatur; *Acutus* verò *ex decidentiâ*, ſeu *delapſu*, uſque ad quadrageſimum terminatur, 2. aphor. 23. *Peracutus* verò *morbus*, qui ad ſeptimum uſque diem extenditur; qui longiùs procedit, *Simpliciter acutus*. *Exactè peracutus* eſt, qui quartum diem attingit; *Non exactè*, qui ſeptimum; *Exactè acutus*, qui ad decimumquartum; *Non exactè*, qui ad vigeſimum uſque durat, quamquam & ipſe acutus ſit: quod

autem ex delapsum acutum ad quadragesimum usque diem porrigitur, 2. de dieb. decret. c. 12. quem Acutum ex delapsu, sive ex decidentia vocat, Hippocrates Acutum ad auctum, & Acutum ex conversione morbum notat, 3. progn. 25. Acutas etiam simpliciter vocat eas febres, quæ maximâ ex parte continuæ sunt. 2. de crisi. 12.

Acutus ex decidentiâ, vide *Acutus simpliciter.*

Acutus adauctus, vide *Acutus simpliciter.*

Acutus ex conversione, vide *Acutus simpliciter.*

Adedentes, id est, *Phagedenæ*, lib. de aër. aqu. & loc. cap. 2. vide *Phagedenæ.*

Aden, id est, *Glandula*, convolutio quædam est sicca, & carnosa, vel carnosa conglomeratio, lib. finit. medic. fol. 97. Eundem Adenem *Corpus carniforme* vocat, quod utique velut cuneus quidam, vasorum divisionibus incubans, fulcimentum ipsis tutum suggerit, ut à nullo violento casu afficiantur, 4. de usu part. cap. 20. quem Adenem *Thymum* vocat, 6. de usu part. cap. 4. Adhuc & *Adenas*, seu *Glandulas*, vocat carnosas partes raras, & spongiosas, quæ in alis, inguine, & collo sunt, 13. method. cap. 5.

Adeps, qui & *Axungia* dicitur, & *Sævum*, differt à pinguedine, quod ille crassior sit, animantibusque totam naturam magis terrestrem habentibus provenit, velut humidioribus pinguedo: At tu, si voles, oleosam & pinguem in animalibus substantiam omnem, *Adipem* appellato, ut plerique Medici, sed & *pinguedinem* appellare totum hoc genus licet, 11. de simplic. med. fac.

Adiapneustia, id est, *Impedita perspiratio*, 11. method. 10.

Adjunctio, vide *Appositio.*

Adjutorii os, id est, *Os humeri*, quòd maximum omnium est, fœmore excepto, lib. de ossib. cap. 16.

Adnata tunica, quæ & *Agnata*, vide *Rhagon.*

Ad-

Adſtringens, vide *Attrahens*.

Ægilops, ſive *Anchilops*, Arabibus, *Algaras*, abſceſſus quidam eſt ad angulum oculi, qui naribus propior eſt, pus continens, quod erumpens, aut os exedit, aut ad angulum, vel uſque ad nares deſtillat, lib. qui Introd. dicitur, c. 15. & 5. de compoſ. med. loc. c. 2. & lib. de remed. paratu facil. cap. 12. quod ulcus ſi neglectum fuerit, in fiſtulam definit, lib. de oculis, c. 9. Eſt affectio ægre curabilis propter corporum tenuitatem ſubjecto oſſe corrupto. Aët. lib. 7. cap. 87.

Æqualis ad pondus temperatura, eſt in omnibus animalibus, & ſtirpibus, eâ quæ ex pari elementorum commixtorum ſpectatur mole, non quæ tum animalis, tum ſtirpis naturæ convenit, (convenit enim aliis, ut humidum ſicco, & frigidum calido præponderet,) ſicque æqualis temperatura ad juſtitiam eſt, non quæ pondere, & menſurâ; ſed quæ eo, quòd pro dignitate convenit, æqualitatem explorat; animalia enim & ſtirpes optimam, mediamque habere in ſuo genere temperiem dicimus, non utique abſoluto ſermone, cùm paritas exacta contrariorum in iis non ſit; ſed cùm ea mediocritas, quæ ad poteſtatem refertur, & cujuſlibet mixti naturæ accommodata eſt, his adſit, 5. de temp. cap. 6.

Æqualis inæqualitas dicitur, non in pulſibus modo, ſed aliis propè omnibus, quæ priſtinam naturam immutantia, ſive magnitudine, ſive qualitate æqualia, vel inæqualia capiunt incrementa: nam quatenus æqualitatem commutant, vocantur inæqualia; ſed quatenus æquam ſemper mutationem aſſequuntur, æqualiter dicuntur mutari; ſed quæ priſtino conſtant ſtatu, nec accipiunt parem mutationem, hæc ſemel inæqualia vocantur, 1. de differ. pulſ. cap. 11.

Æqualis morbus eſt, qui æquales habet motus, & ſymptomata ſimilia, cùm non, ut inæquales morbi aliquot diebus vehementiores fuerint, poſtea ſine aliquâ

ſigni-

significatione torpent, deinde rursus adaucti continuitatem accipiunt, sed perpetuò sibi constant; quo argumento ab Hippocr. dictum est, continuorum morborum & æqualium acutiem non posse ultrà diem decimum quartum protendi, 2. aphor. 23.

Æqualis pulsus est, cùm omnes ictus æqualem inter se servant proportionem, ita ut secundus respondeat primo, & tertius secundo, è contra dicitur Inæqualis, 1. de differ. puls. cap. 10.

Æquivoca sunt, quæ non sunt unius generis, quæcumque enim nomina unam speciem in multis singularibus significant, univocè de ipsis dicuntur; quæ verò de multis differentibus specie, eâ *æquivocè* nuncupantur, & res quæ ipsis subjiciuntur, ab ipsisque significantur, *æquivoca* sunt; com. 3. in libr. de his quæ in medic. fiunt, 24.

*Aëros*is, quasi *Aëratio*, sanguinis portio maximè aërea, vaporosa, aëri, qui per inspirationem attrahitur, permixta, ex quâ spiritus generantur pariter, & instaurantur. Quin & ἀήρωσις idem est quod vel sanguinis attenuatio, & in halitus solutio, est & custodia, vel conservatio, vel restauratio spiritus deperditi ex respiratione, & transpiratione, & qui ex sanguine attollitur, vapore, 11. method. 3.

Æruginosa bilis, quæ ærugini similatur, vide *Bilis pallida*.

Ætiologica, αἰτιολογικὴ, sive *Pathologica*, medicinæ pars est, in quâ ea, quæ præter naturam sunt, inquirimus, morborum causas, accidentium concursus, & affectuum statum, lib. introd. cap. 7.

Affectio sanguiflua est, idem quod αἱμορῤῥαγία, in quâ plurimum sanguinis profunditur, comm. 2. in 6. de morb. vulg. 14.

Affectus præcordialis, vide *Affectus flatuosus*.

Affectus melancholicus, vide *Affectus flatuosus*.

Affectus gravis & *magnus* dicitur, aut propter præcellen-

cellentiam partis laborantis, aut propter affectus magnitudinem, aut propter ipsius cacoëthiam, 4. meth. cap. 6. Spectatur autem affectus magnitudo tripliciter; ex læsæ actionis præstantiâ; ex propriâ affectus essentiâ; & ex facultate quæ læsum corpus gubernat, 7. method. cap. 12.

Affectus flatuosus præcordialis & melancholicus est, quo iis plurimum, qui inclinante ætate plurimâ Venere utuntur, sub autumnum maximè inflatur, & tumescit venter, com. 3. in 6. de morb. vulg. 12.

Affectus implicatus est, in quo multæ sunt affectæ partes, à diversis tum morbis, tum causis morbidis obsessæ; nam potest idem homo non solùm laborare ex thorace, sed etiam simul & eodem tempore ex pulmone, capite, ex imo ventre, & ex jecinore decumbere, comm. 2. in 3. de morb. vulga. in argum.

Affectus qui & *Schesis* dicitur, est dubia & non certa, aut firma corporis dispositio; is verò qui firmus & certus est, & quasi habitus, *Hexis* dicitut, 8. meth. cap. 3.

Affectus, quos Græci *Pathemata* vocant. passiones sunt, quæ in corporibus nostris fiunt præter naturam, com. 2. in 1. de morbo vulg. 23. *Affectus* verò sive affectionis vocabulum, ab *Afficiendo* dictum, de multis effertur rebus, sed in medicinâ recessus in statum præter naturam, qualescumque ii fuerint, *Affectus*, sive *Affectiones* nuncupantur, libr. de cur. rat. per sanguinis missionem, cap. 3.

Affectus pueriles, vide *Comitialis morbus*.

Affusio nutrimenti, Græcè *Parenchyma* dicitur, lib. Introd. cap. 9. vide *Parenchyma*.

Agathon, significat apud Hippocratem idem quod idoneum, naturæ nostræ congruum, certum, stabile, verum, & perpetuum, ut auctor est Galen. com. 2. in libr. de fract. Idem verò testatum reliquit in comm. lib. 2. de artic. *Agathon* apud Veteres id omne dici solere,

ſolere, quòd in ſuo genere primum eſt, & perfectum.

Ageraſia, id eſt, *Inſeneſcentia*, lib. de marcore, c. 2.

Agglutinatio, vide *Proſthеſis*.

Agitatio, vide *Vibratio*.

Agnata tunica, ſive *Adnata*, vide *Ophthalmia*.

Agonia, eſt inæqualis motus ex timore & irâ compoſitus; timore intrò & ad vitæ principium tum ſanguinem, tum ſpiritum unà cum refrigeratione eorum, quæ in ſummo corpore ſunt, abducente & contrahente: irâ verò foras agente, & fundente calorem, ſimul ſpiritum & ſanguinem, 2. de ſympt. cauſ. cap. 5.

Agreſtis lichen, id eſt, *Impetigo*, 6. de compoſ. medic. per genera, cap. 2. vide *Impetigo*.

Agrypnia, id eſt, *Vigilia*, 2. meth. 2.

Æipathia, Perpetua paſſibilitas, ut *Apathia*, Impatibilitas, lib. art. med. cap. 8.

Ala quid ſit, hinc patet; *Brachium* appellatur, quod inter duas juncturas humeri & cubiti intercedit, totius brachii pars: ſuper-humeralis verò, id eſt, ὑπωμὶς, ſuperior humeri pars quæ ad collum vergit, nam humerus totum id, quod in dearticulatione hâc apparet, vocatur: nam quod non apparet à poſteriori parte, eſt os ſcapulæ; ab inferiore eſt id, quòd dum totum brachium attollitur, manifeſtum fit, quæ *Ala* in ſpecie etiam nuncupatur, 1. de artic. 4.

Alæ aurium, vide *Aures*; vide etiam l. Intro, c. 10.

Alæ narium, ſunt tenuia cartilagineaque corpuſcula, utrique naſi lateri à parte inferiori adnata, lib. de oſſibus, cap. 4. quæ etiam *pinnulas* vocant, libr. Introd. cap. 10. vocant adhuc & *pinnas*, 2. de loc. affect. cap. 2.

Alaria oſſa, vide *Sphenoïd.*

Alba vitiligo, vide *Leuce*, & *Vitiligo*.

Albam pituitam conſuevere Medici, quandam aquæ intercutis ſpeciem, *Leucophlegmatian* nominare, tanquam quæ vel lividâ quàdam pituitâ, vel ſecundum

ſuam

ſuam certè ipſius rationem albâ ſemper manente, ſed propter alios quoſdam humores admiſtos, verum exactumque colorem mutante conſtat, 7. aphor. 29.

Albaras, vide *Ægilops*.

Albugineus oculi humor, ſimilis *Albumini ovi*, aliàs & *Aqueus*, oppoſitâ parte vitrei humoris exteriùs, ante cryſtallinum poſitus, non concretus, ut alii humores, ſed liquidus, in foramine tunicæ uveæ collocatus, ſuperfluitas eſt cryſtallini humoris aquea, ad ipſum defendendum ſuâ humiditate adverſus viſibilium vehementiam, lib. de anat. vivor. Vide *Hyaloïdes*, & *Cryſtallinus*.

Albugo, cicatrix eſt craſſa, & profunda, ulceri inducta, libr. finit. medic. non quâcunque corporis parte, ſed ſolùm in Iride oculi, lib. Introd. cap. 17.

Albulam vocant aquas aluminoſas, quin & Rhætiæ montem, nivibus jugiter obſitam, 8. method. 2.

Alexipharmaca medicamenta ſunt, quæ deleteria, id eſt, lethalia venena intus aſſumpta evacuant, obtundunt & fugant, 5. de ſimpl. med. fac. cap. 18. & 1. de ſemin. cap. 16.

Alexiteria medicamenta ſunt, quæ venenatarum beſtiarum morſus & ictus, aut venenoſa ſanant. Siqui, inquit Galen. ea quæ ven. &c. *Alexiteria* nominare velint; quæ verò medentur deleteriis, *Alexipharmaca*, deſceptandum cum iſtis de nominibus non eſt: nec enim ex iſtis comparatur curandi morbos peritia, ſed ex rerum ipſarum cognitione, 5. de ſimplic. medic. fac. cap. 18.

Alhacab, eſt illud ligamentum, quod ad muſculum non extenditur, ſed ab uno oſſe natum, continuatur inter duo extrema oſſium, aut inter alia duo membra, annectendo unum alteri, firmiter ſubſiſtit, lib. de anat. vivor.

Alica, ex genere tritici eſt, 1. de alim. fac. cap. 6.

Alienam caliditatem vocat Ariſtoteles, externam,

non

non insitam, neque nativam in quocunque rerum genere, nam hæc coquere apta est; externa autem & extrema corrumpere solet, & putrefacere, 2. de differ. febr. cap. 9.

Alindesis fuit corporis exercitatio, quâ oleo delibuti, sese in pulvere volutabant. Hippocrates libr. 2. de Diætâ.

Allantœides, vide *Chorion*.

Alopecia, capillorum defluvium est, propter vitiatos humores, sic appellata, quòd vulpibus frequenter accidat, 1. de comp. med. loc. cap. 2. in quâ locus affectus apparet *Scaber*, colore prorsus exangui; de remedic. part. facul. cap 6. quam etiam *Areas* vocant, aliqui vocabulo specialiori, 2. meth. c. 2. Evenit autem pilis hoc vitii genus eâdem ferè quâ stirpibus ratione, quæ corrumpuntur intereuntque; interdum penuriâ nutrientis ipsas succi, interdum immutatione hujus in alienum ac contrarium.

Alphi, id est, *Vitiligines*, ex humorum vitiositate, quæ in cute est, quemadmodum etiam de Leprâ planum est, oriuntur, libr. de humor. com. 3. vide *Vitiliginum*.

Alteratio, est alimenti concoctio, usque dum in similitudinem partis, quæ nutritur, transmutatur, 8. de comp. medic. loc. cap. 6.

Alteratrix, vide *Attractrix*.

Altus pulsus, vide *Pulsus latus*.

Alveoli, vide *Phatniæ*.

Alvus liquida appellatur, in quâ liquida dejiciuntur, com. 2. in 1. prorrh. 3.

Amara bilis, ea & pallida, & flava dicitur, 2. de differ. febr. cap. 1. vide *Bilis pallida*, & *Picra*.

Amaurosis (quasi dicas *obscuritatem*) est totius in oculo lucis impedimentum, acutis morbis accidens, quæ est imbecillis facultatis animalis signum, com. 2. in 1. prorrhet. 11. 20.

Ambai,

Unable to display this page

apparet, ad placit. cap. 5. vocant ipsum nonnulli propriè tunicam retiformem, quod figura quidem reti sit similis, cæterum nullo pacto est tunica, neque colore, neque substantiâ, sed si exemptam ipsam reposueris, in unum acervum conjiciens, tibi planè videbere videre Cerebri portionem quandam exemptam, 10. de usu part. cap. 2. vide *Choroeides*.

Amphemerina, febris est, quæ singulis diebus accenditur, atque intermissione finitur; idem enim est ac quotidiana simplex, nullâ aliâ sermoni adjectione factâ: eam verò quæ intermissionem non habet, non *Cathemerinam*, ut quidam, sed *Quotidianam continuam* vocat Galen. 2. de differ. febr. cap. 7.

Amphismela, est Instrumenti genus, quo Anatomici secant corpora, 6. de anat. adm. cap. 10.

Amuleta medicamenta, quæ Græci *Periapta*, aut *Periammata* vocant, sic appellantur, quòd de collo suspendantur, aut alicui corporis parti alligentur, lib. de remed. part. fac. c. 1. quæ qualitatis familiaritate attrahunt, aut totius essentiæ similitudine noxam depellunt, 5. de simp. c. 17. Galenus autem ea *Periammata* rejicit, quæ non vi quâdam medicâ, sed ignotâ quâdam ratione, aut latente efficaciâ, mira illique contrarietate hominibus incognitâ, aliquid efficere dicuntur.

Amygdalæ, vide *Paristhmia*.

Amylum, ex tritico cibus, 1. de aliment. fac. cap. 8. *Amylion* Hippocrati, quod cæteris *Amylum*, ita dicitur, quòd molam non sit expertum, ac sine molâ fiat, ut testatur Dioscorides. Fit verò ex omni tritico ac siligine, sed optimum trimestri. Plin. cap. 7. lib. 18.

Anabatica, id est, *assurgens*, vide *Continua* & *Epacmastica*.

Anabrosis, quæ & *Diabrosis* dicitur, est solutio continuitatis in osse, vel in vase aliquo, ex erosione ab humoribus mordacibus introducta, 5. loc. affect. vide *Diabrosis*.

Ana-

Anacollemata, medicamenta sunt restringentia fluxiones oculorum, de remed. part. fac. cap. 10. quæ frontis & temporibus imponuntur; 11. de simpl. med. facul.

Anadiplosis, est accessionum reduplicatio, libr. de Typis, cap. 4.

Anadosis, est nutrimenti per venas transitus ad hepar, quod idem est ac *Digestio*, seu *Distributio*, differens à *Diadosi*, quod sit translatio, traditio, vel porrectio nutrimenti in singula simplicium, & invisibilium nervorum, & arteriarum, extimarumque partium substantiam intimam nutrimento à lateribus illorum vasorum attracto, & translato, 2. de nat. fac. 6.

Analeptice, renutritoria refectoriaque vocata, est victus ratio, 7. method. 6 inde *Analepsis*, id est, resumptio, lib. de marcore, cap. 9.

Analogismus, est comparatio & perceptio causarum morbidarum, præsidiorumque juvantium per similitudines, ad Thrasib. cap. 11. sive *Analogismus* est ratio, quæ ab evidenti auspicatur, rei obscuræ faciens cognitionem, 1. prognost. 6. Dogmaticorum propria, ut *Epilogismus* Empiricorum.

Anaplerotica, medicamenta sunt, quæ cicatrices crassant, atque in carne alta vulnera complent, & lympidant, lib. de Dynamid.

Anasarca, ἀνασάρκα, vel divisis nominibus τὸ ἀνὰ σάρκα, quæ & *Catasarca*, *Hyposarcidium*, & *Episarcidium* dicitur, Hydropis species est prima & mitissima, in quâ humidi substantia tenuis copia, & cruditates in totâ inferiore thoracis regione acervantur, habitusque totus pituitæ plenus redditur, 4. de rat. vict. III. diciturque *Anasarca*, & aqua inter cutem, quod per carnem ille humor pituitosus crudus fluat. lib. finit.

Anastoichiosis, quod reëlementationem seu resolutionem in elementa dixeris, est colliquatio seu resolutio, seu dissolutio, aliquando totius corporis substan-

tiæ, aliquando succorum, qui in venis sunt, duntaxat: quòd autem ex eâ colliquatione provenit, aliàs ad ventrem confluit, aliàs ad urinas, aliàs ad sudores pellitur, 3. de sympt. caus. cap. 2. Galenus ἀναστοιχείωσιν, ἀνάλυσιν, & σύντηξιν, idem æstimare videtur, lib. de symptom. caus.

Anastomotica, id est, aperientia medicamenta, quæcunque vasorum oscula aperire apta sunt, extergendo, incidendo, obstructiones tollendo, & dividendo: differuntque à rarefacientibus, seu Diaphoreticis, quæ cutis tantum meatus referando sudores, aut τὴν ἀναίσθητα διαπνοὴν promovent, 5. de simpl. med. fac. c. 14.

Anastomosis, vide *Osculorum apertio.*

Anatasis, vide *Catatasis.*

Anatome, est humani corporis totius, abditarumque imprimis ejus partium dissectio, & speculatio, ut sensibus, quæ in iis delitescunt, patefiant, pleniorque & facilior earundem instituatur curatio, lib. finit. med.

Anatripsin, id est, *refrictionem*, seu *defrictionem*, veteres Græci solent appellare, non eam duntaxat, quæ ab inferiori parte sursum ducitur, sicut compositio videtur significare, sed absolutè omnem quomodocumque factam. Nos autem Tripsim, *frictionem*, seu *fricationem* vocamus, com. 3. lib. de his quæ in medic. 25/ ἀναλείψεως nomen Antiquis crebrò usurpari, τρίψεως autem rarum esse, testatur etiam Galen. in Hippoc.

Anchilops, vide *Ægilops.*

Anchoralis processus, vide *Ancyroeides.*

Anchyle, vide *Ancyle.*

Ancon, est cubiti gibbus, & eminentia aut cubiti flexura, vel gibbi medium cui innitimur, diciturque *Ancon*, alterum majus & acutissimum ossium cubiti, quod & *Olecranon*, hoc est, *Vlnæ verticem* & *cubitum* vocat Hippocr. 2. de usu part. cap. 2. vide *Brachium.*

Ancos, sive *Galianconas*, quasi mustelæ cubito præditos, eos vocat Hippoc. quibus cùm augerentur eorum

rum corpora, ex luxatione brachii, vel ex capitis humeri prolapsione in alam, os brachii brevius evasit, 3. de artic. 88.

Ancyle poplitis, sunt partes retrorsum post genua spectantes, ejusdemque flexuræ & curvaturæ, lib. Introd. cap. 10. unde *Ancylas*, sive *Anchylas*, vocat difficiles artuum motus, & ligationem nervorum, & articulorum contractiones, ubi præ tumoris duritie, aut crassioribus infarctis humoribus contrahuntur, cùm extendentibus membrum musculis tendo non obsequitur. Id in Poplite, cubito & digitis contingit, 7. de compos. med. per gen. cap. 6. vide *Poples*.

Ancyloblepharon, ἀγκυλοβλέφαρον, vitium est in oculis, in quo palpebræ vel inter se, vel cum albâ aut nigrâ oculi parte concrescunt & cohærent. In causâ ulcus est negligenter & imperite curatum. Sanescendo enim quod diduci potuit, & debuit, agglutinatur. Ἀγκύλωσις τῦ βλεφάρυ dicitur Aëtio, qui & πρόσφυσιν τῦ βλεφάρυ id vitii appellavit, lib. 7. cap. 66. ubi ejus curationem persequitur.

Ancyroeides, processus acutus exiguusque est in interiore parte ossis cervicis & scapulæ, qui cum anchoræ, vel corvini rostri similitudinem referat, *Ancyroeides* à nonnullis, *Coracœides* ab aliis nuncupatur, quandoquidem extrema ejus pars, uti Corniculæ rostrum ad exteriora inclinat, libr. de ossibus, cap. 14. quem etiam *Anchoralem*, & *Cornicularem* nominant, 1. de artic. 2.

Aneurisma, est affectio, quâ os in arteriâ fit ex vulnere, cùm ad cicatricem pervenerit, quæ ei adjacet cutis, manente verò arteriæ ulcere, eâ neque conglutinatâ, neque ad cicatricem simul perductâ, neque à carne obstructâ; quo fit, ut arteria sanguinem jaculetur, qui contineri non potest, lib. de tumor. cap. 11. Ubi etiam hæc addit: Dignoscuntur porrò Aneurismata, arteriarum haud solùm pulsibus, sed &, quod

cùm premuntur, omnis tumor deliteſcat, recurrente in arterias ſanguine, qui illum fecit, tenui ſpirituoſo, & eſt venoſi vaſis dilatatio aut ſpirituoſæ materiæ per ſubſultum diſtributæ ſub carnem diſperſio Paulus Ægin. c. 37. l. 6. Aliis deſcribitur arteriarum & partium, quibus illæ implantantur, tumor præter naturam, pugni interdum magnitudine, pulſum edens velut arteria magnum & moleſtum, qui cùm premitur ex parte refugit, ſed mox iterum erumpit. Cauſa antecedens, eſt arteriarum ſubſtantiæ nimia dilatatio, orificiique earundem apertio; proxima eſt ſanguis arterioſus tenuis, ex arteriâ erumpens ſub cutem, qui eam tumorem attollit, illicque ſinum ſibi efformat, in quem arteria ſeſe exonerat.

Angina ab *Angendo*, quòd angat guttur, ſive *Synanche*, eſt phlegmone aliis extra collum, ut partes tumeſcant, aliis intra tonſillas, ut ſimul partes quoque afficiantur reſpirationis, & ægra ſpiratio ſequatur, lib. finit. vel brevius, eſt tumor ad venas jugulares, ſive à glutinosâ, frigidâque fluxione, quam *pituitoſam* vocant, ſive à calidâ & acri, quam *Picrocholam bilioſam*que, appellaveris, quæ & *Cynanche* dicitur, 4. de rat. vict. 30. Tandem Hippoc. omnes affectus gutturi accidentes, ſi ſpirationem quoquo modo reddant deteriorem, *Synanchen* vocat, aliis *Paracynanche*, aliis *Paraſynanche* dicitur, 4. loc. aff. 3.

Angor, eſt nativi caloris cordis contractio, & in centrum retractio, ad quam ſequitur ejuſdem cordis dolor, palpitatio, & triſtitia, peſſimumque eſt ſignum ſi in principio acutarum febrium advenerit, lib. de humor. com. 1. 4. de differ. pulſ. c. 3. & com. 2. in 1. de morb. vulg. 75.

Anguli oculi ſunt interioris oculi termini, ubi palpebræ coaleſcunt, alter juxta naſum, juxta tempora alter; hic *parvus*, ille *magnus* dicitur, uterque autem *Canthus* dicitur, id eſt, *Angulus*, libr. introd. cap. 10.

Di-

Dicuntur & *hirqui oculorum*, lib. de venæ sect. contra Erasistratum, cap. 6.

Angustus pulsus, vide *Pulsus latus*.

Anheloſi sunt, qui densum spiritum habent, & simul thoracem multum distendunt, quod contingit in affectionibus, multâ inspiratione indigentibus, ut à cursu, aut vehementi exercitatione, & ardentibus febribus, 3. de diffic. respir. cap. 11. etiam Anhelationes *Asthmata* vocat, 8. de simplic. Clariùs autem, inquit, qui citra febrem densè respirant, qualiter faciunt, qui velociter cucurrerunt, ab accessione hâc, Medicis Græcis *Asthmatici*, Latinis *Anheloſi* appellantur; eosdem etiam ab aliâ accessione, *Orthopnoïcos* vocant, quod thoracis corpus rectum habere coguntur, & erectâ cervice spirare, ob timorem suffocationis; quin, & stratum circa supernas partes, ad quas thorax reclinatur, sibiipsis erectius faciunt, ne dormientes strangulentur, 7. de comp. med. loc. cap. 6. & 3. aph. 26. & com. 2. in 3. de morb. vulg. 4.

Anima (apud Galenum) aut temperamentum activarum qualitatum est, aut illud, quod temperamento alteratur, & organo veluti in operando utitur, 3. loc. aff. 7. & com. 5. in 6. de mor. vulg. 5. vide *Calor nativus*.

Animalis motus est, qui animantium corporibus cùm sana sunt pro arbitrio, voluntate, ac impetu nervorum, musculorumque ministerio fit, quem Medici *voluntariam actionem*, sive *animalem*, appellare solent, lib. de trem. & palp. cap. 2.

Animalis virtus est, quæ ex Cerebro originem ducit, quæque ex motuum voluntariorum vigore aut imbecillitate deprehenditur, ut virtus, quam ex corde prodeuntem agnoscimus, quam *vitalem* nuncupamus, ex pulsuum debilitate, at quæ ex hepate oritur, ac *naturalis* dicitur, ex sanguineis egestionibus ab initio aquosis, atque tenuibus, postmodum verò crassis ad modum fæcis, 1. ad Glauc. 14.

Annotatio, quam *Epiſemaſiam* vocant, eſt acceſſionis febrilis principium, 2. aph. 1. Dicitur etiam *Annotatio*, ſive *Significatio*, ſive *Semeioſis*, id eſt, morborum dignotio ex ſimilium ac diſſimilium conſideratione; ante alia artis opera, Diagnoſis, 1. de his quæ in medic. fiunt, 1.

Annotatio incompreſſa, quæ hecticarum febrium proprium eſt indicium, eſt, cùm pulſus major ſtatim, ac velocior à cibo efficitur, ſine aliquo horrore, dormitatione, pigritiâ, frigefactione extremorum, inæqualitate pulſus, aut frigiditatis, aut caliditatis ſenſu, 1. de differ. ſeb. cap. 9. vide *Febrûm ſignificatio*.

Anodyna, medicamenta ſunt, quæ ad ſedandos dolores, ſenſum ſtupefaciendo parantur, ſopientia & narcotica, 12. meth. 1. Eadem *Anodyna* dicuntur, id eſt, *Indolentia*, quoniam dolores ſedantur, non tamen diſpoſitiones penitus ſanant, ſed vim ſentiendi obtorpeſcere faciunt, 2. ad Glauc. 6. ſed rectiùs *Anodyna* dolorem ſedantia ſunt, & facultas *Anodyna* alia re verâ eſt, alia impropriè dicitur, tanquam ſi quiſpiam hominem mortuum dicat *Anodynon*, quia dolore vacet. Cæterum, vera *Anodyna*, facultas eſt eorum, quæ primo ordine calefaciunt, ſi utique in eſſentiâ tenui contineantur: at facultas eorum, quæ impropriè dicuntur *Anodyna*, ſed non ſunt, frigidorum eſt, quæ abſoluto utentia frigore partem obſtupefaciunt, unde & *Narcotica*, id eſt, ſtupefacientia dicuntur, 5. de ſimpl. medic. fac. cap. 9.

Anoa, Græcis ἄνοια, id eſt, *Amentia*, eſt ratiocinatricis functionis veluti paralyſis, & abolitio, lib. de ſympt. differ. cap. 3.

Anomæomeres, membrum eſt, quòd ex diſſimilibus partibus eſt conflatum, 7. method. 6.

Anorexia, id eſt, *Inappetentia*, & *ciborum faſtidium*, idem ſignificat quod *Aſitia*, & *Apoſitia*, id eſt, *abſtinentia à cibo*. 4. aph. 17. *vide Apoſitia*.

Ante-

Antecedens, vide *Antegressa*.

Antegressa causa, quæ & *Procatarchon* dicitur, est, quæ extra corpus posita, quidquam in corpore alterat, quæ & *Procatarctica*, *Anticipans*, & *Antecedens* dicitur, quòd eas quæ in corpore dispositiones sunt, antegrediatur, 5. de caus. puls. cap. 1. quascunque dispositiones, vel motus in ipso animali præter naturam, morborum præcedentes causas nominant; quæ verò extrinsecus adveniunt, & alterant corpus, atque naturam vehementer transmutant, *præincipientes* appellant, in lib. de caus. morb. cap. 2. eadem *Primitiva* & *Initiatrix* dicitur, 6. de loc. affect. 4. eadem *Prophasis* & *Occasio* dicitur, com. 3. in 1. de morb. vulg. 19.

Antendeixes, & *Endeixes*, sunt contra-indicationes, seu contradictiones indicationum; Item communitates, scopi, & auxiliorum materiæ, & indicationes, quæ sunt auxiliorum inventiones, 9. method. cap. 7. vide *Endeixis*.

Antheræ, id est, *Floridæ* appellatæ compositiones, quod colorem floridum habeant ac prærubrum, 5. de comp. med. loc. ἀνθηροὶ etiam dicuntur Hippocr. floridi & rubore valde perfusi, quos idem ἐξερύθρους vocat, ut scribit Galen. capite humorum calidiorum copiâ repleto.

Antiades, sunt *Tonsillæ* Latinis dictæ, hoc est, Glandulæ duæ supra laryngem sitæ, quæ sibi ex adverso in oris termino utrinque respondent. Item earum morbus & inflammatio, aut earundem ex fluxione tumor, eodem *Antiadum* nomine donatur, 3. de caus. sympt. cap. 4.

Anticardion, sic dicitur cavum illud quod est sub pectore carneum molleque ad os ventris pertingens; vocatur etiam *sphage*; Rufus verò cavitatem eam pectoris quæ est ad claviculas, tradit ab Homero dici *Leucaricon*, à Medicis verò *Anticardion* & *Sphagen*.

Anticipans morbus est, qui cum diversis horis sem-

per accedat, & remittat; prævenit quidem continuò, citiùsque horas persolvit, unde *Anticipans* dicitur, sive *Prolepticus*: qui verò tardat, *Hysstericus* sive *posterius veniens* nuncupatur, lib. de Typis, cap. 3. vide *Antegressa*.

Anticheir, est magnus digitus manus, qui & *Pollex*, & *Promanus* dicitur, lib. de muscul, dissect. cap. 22. Ἀντίχειρ, est digitus primus à carpo sive brachiali incipiens, eique per Diarthrosim insertus, reliquis quatuor digitis multo inferior, & illius non recta, sed ex obliquo oppositus. Sic à Græcis dictus videtur, teste Galeno, quòd solus ipse tantùm valeat polleatque, quantum cæteri quatuor, Latinè *Promanus* dicatur; quod manus actiones omnes per eum habeat firmiores, eo solo tantùm roboris præbente, quantum reliqui digiti simul juncti: easque omnes æquè cessare & aboleri necesse est, sive ipse solus, sive alii desint: itaque à *pollendo* etiam *Pollicem* Latini appellavere. Sunt autem qui ἀντίχειρ dictum velint, quòd cæteris digitis oppositus sit, ex adverso situs. Dicitur & μέγας propter magnitudinem seu præstantiam.

Anticnemion, vide *Gastrocnemion*, *Sura*, & *Tibia*.

Antidotus, medicamentum est, quod non extrinsecus impositum, sed intus assumptum, malignas, cæcas, & latentes corporis affectiones sanat, 1. de Antidotis, cap. 1. Mos est junioribus Medicis, *Antidotos* appellare, non modò quæ adversus mortifera medicamenta, quæque ad morsus ictusque venenosos exhibent; sed etiam, quæ contra malas corporis affectiones præsertimque diutinas valent, ex aliquo ulcere, aut abscessu consurgentes, 2. de antidot. cap. 6.

Antispasis, id est, ad contrarium revulsio, avertitur enim sanguis, atque ad alia membra convertitur, tum ad proxima derivatus, tum ad contraria revulsus: illud *Parocheteusin*, hoc *Antispasin* Græci vocant, 5. method. c. 3. vide *Revulsio*. ἀνσπαστὸν est *revellere*.

Anti-

Antiſpaſticon, id eſt, auxilium in diverſa revellens, 13. method. 11.

Anthrax, id eſt, *Carbo*, vel *Carbunculus*, ſeu *ulcus eſcaroſum* aut *cruſtoſum*, cui adjungitur multa partium circumſtantium inflammatio, 6. aphor. 45. Ortum autem ducit ex ſanguine melancholico putreſcente, ad eòque per incenſionem ardente, ut cutem deurat. Galen. lib. 2. de præſag. ex puiſ.

Antitaſis eſt, cùm quæ diſſident oſſa, ad hoc, ut è directo admoveantur, prius retrorſum trahuntur. Hæc ad oppoſitum tractio *Antitaſis* dicitur, aliis *Diatoſis*, id eſt, *extenſio*, 6. meth. 5.

Anulus, eſt recti inteſtini orificium ſphincter muſculo donatum, per ſedem prodiens, quo excretionem cùm lubet, aliquamdiu retinemus, ſic dictus à figurâ, ab officio verò *ſtrictor* dicitur, lib. introd. cap. 10.

Anus dicitur inferior corporis pars quâ excrementa redduntur, 3. de uſu part.

Apagma, id eſt, *Abductio*, Medicorum appellatio propria eſt, vulgò inuſitata: quoties oſſis finis, quâ parte maximè cum alio committitur, abruptus eſt, 6. meth. 5. vide. *Abductiones.*

Apanthiſmos, eſt ſubtiliſſima linea, quæ ægrè videri poteſt, quaſi tu exoleſcentem lineolam diceres, cui ſimillimæ ſunt venarum quædam propagines filorum araneæ, aut capillorum modo anguſtæ, & extenſæ, quæ *venæ capillares* dicuntur, lib. de diſſect. venarum & arter. cap. 8.

Aparachyton, vinum meraciſſimum originale; cui marina aqua non eſt admixta. Erant autem hujuſmodi vina generoſa, atque ignobilibus aut imbecillis vinis marina immiſcebatur, indeque πλασσομένου ὄινου dicebatur, 4. de comp. med. per genera, cap. 7.

Apechema, diremptio, eſt oſſis ſuperficiaria, vel etiam profunda in partibus ictui oppoſitis, lib. finit. medic.

Apepſia, id eſt, *Cruditas*, 2. meth. 2. vide *Concoctio.*

Apepta

Apepta phymata, solitus est Hippocr. nominare *Crudatubera*, seu tumores præter naturam, nervosa corpora, vertebris ipsis, atque spinali medullæ insita, extendentia: causam nempe gibborum effectricem, 4. de loc. aff. cap. 3.

Aperientia, vide *Anastomatica*.

Aperistatum, id est, *Cavum* ulcus apertum, 2. de compos. med. per gen. c. 1.

Aphonia, id est, *vocis carentia, privatio*, seu *defectio*, quæ ægris solet accidere, læsis duntaxat iis quæ voci efformandæ subserviunt instrumentis, vel etiam iis quæ respirationi deputavit natura, vel ob recentem quandam exolutionem, & afflictionem virtutis, 4. de ratione, vict. 23.

Aphorismus, est oratio, quæ omnes rei proprietates breviſſimis verbis circumscribit, 1. aphor. 1. quin & aphorismos definitiones appellat, 3. de his quæ in medic. 32.

Aphthæ, sunt ulcera puerorum, summam oris partem occupantia, ob mollitiem maximè facta instrumentorum, quæ neque tactum, neque qualitatem lactis sustinent, quod non parvam in se serosam contineant partem. Est autem serum naturâ abstergendi facultate præditum, adeò ut nil mirum sit, si in mollioribus corporibus quasdam in superficie exulcerationes efficiat, 3. aphor. 24. ex quo etiam habent aliquid igneæ caliditatis, vel adhuc quòd infans lac non probè concoxerit, 6. de comp. med. loc. c. 4. & com. 3. de morb. vulg. 12.

Apices matricis, sunt processus quidam mammillares utrimque ad latera matricis ad ilia inclinantes, à Græcis *Cornua matricis* appellantur, per quæ cornua semen à propriis testiculis vulva attrahit, ut virile per collum, lib. de consect. vulvæ, & 2. de semin.

Apios, cibus est & potus omnis qualitatis quæ sensu deprehendi potest, expers, qui neque adstrictionem, neque

neque acrimoniam, aut aliam insignem facultatem obtinet, qualis inter humidas substantias est aqua, 1. de aliment. facult. 8.

Apnœa, id est, *Ablata spiratio*, 2. de rat. vict. 43.

Apoclasmata, id est, *Abruptiones*, vide *Abductiones*.

Apocope, ut ὀστέου ἀπκοπὴ *ossis abscissio*, aphoris. 28. lib. 7. idem quod ἄλκοπὴ, aphor. 19. lib. 6. cùm ossis pars abscinditur, & detrahitur, vide *Abscissio*.

Apocrustica, id est, reprimentia & repellentia medicamenta, quæ adstringendi vim obtinent, 11. meth. 15.

Apodacrytica, id est, delacrymativa pharmaca, & repercussoria lacrymarum, 4. de comp. med. loc. c. 5.

Apolepsis, vide *Interceptiones venarum*.

Apomeli, mellis decoctum intelligo, quod nos conficimus aceto cum melle commisto, tantisper tamen simul decocto, quoad utrorumque qualitates inter se unianturr, & aceti vis retundatur, 3. fract. 49.

Aponeuroseis, sunt tendines quos musculi generant, qui ad artuum fines pertinent, qui ab Hippoc. τένοντες, id est, *Chordæ*, dicuntur, 3. de aliment facult. 5. Dicuntur autem *Aponeuroseis*, quasi denervationes, & nerveæ musculorum extremitates, 1. de anatom. adm. cap. 5. quoniam musculi in eos desinunt, 1. de motu musc. cap. 1. vide *Nervus*, *Tendines*, *Denervationes*.

Apophlegmatismus, medicamenta quæ ore colluuntur, aut dentibus manduntur, omnia unâ nomenclaturâ comprehendentes, *Apophlegmatizonta* nominant, ac eorum facultates, *Apophlegmaticas*, 5. de simplic. 20. Rectius autem *Apophlegmatismus* est medicamentum, quòd pituitam per os educit ex capite aut thorace, 6. de sanit. tuend. cap. 10.

Apophthora, vide *Abortus*.

Apophysis, est extranea ossis pars, instar tuberculi prominens, seu adnata appendix, lib. de ossib. in proœmio. ἀπόφυσεις dicuntur etiam Hippocrat. excrescentiæ carneæ tantum in massâ carneâ, & fœtu apparentes,

tes, quasique processus ac exortus membrorum & protuberantiæ, non certæ aut exactæ distinctiones, quales in fœtibus masculis contingere dicit.

Apoplexia, est ablatio sensus, & motus in toto animalis corpore, seu vehemens & repentina totius corporis resolutio ac stupor, 3. de loc. aff. 10. & 2. aphoris. 42. vide *Caros*, & *Paraplegia*.

Apoplecticæ venæ, quæ & *Sphagitides*, & *Iugulares externæ*, seu *Superficiariæ*, Arabibus *Guidez manifestæ* vocantur, sunt quæ infernè ad aures utrinque singulæ feruntur, à quibus Superficiariæ omnes, tum colli, tum capitis partes nutriuntur, 6. de usu part. & initio secundi de rat. vict *Apoplecticæ* vocantur, quòd harum ex enterceptione, & obstructione, *Apoplexia* oriatur.

Aposcemmata, ἀποσκήμματα, seu ἀποσκήψεις, id est, *decubitus humorum* vocantur, cùm qui priùs unum membrum infestant humores, eo relicto, ad alterum transeunt, 2. ad Glauc. Interdum & Hippocrat. dicuntur morborum transmutationes & transitus, ut aphor. 56. lib. 6. Dicuntur etiam Galen. ἀποσκήμματα corporis excrementa quæ in alvum deponuntur, totumque corpus aut etiam partem quandam, veluti humoribus in eam decumbentibus exonerant, com. 2. in prognost.

Aposceparnismus, abscissio est ossis, cùm ejus pars decussa vulnerando fuerit, fracturæ species, lib. finit.

Apositi, & *Anorectoi*, more antiquorum Græcorum, ii appellantur, qui appetentiâ carent, & cibos refugiunt, com. 3. in 3. de morb. vulg. 72.

Apositia, ciborum fastidium, vide *Anorexia*. ἀποσιτικά Galen. in exeg. exponit, quæ cibi fastidium & inappetentiam inducunt.

Apospasmata, avulsa omnia nominantur, de constit. art. cap. 6. quæ verò continui solutiones, *Apospasmata*, id est, *Avulsiones* vocantur, instrumentariarum tantum-

tantummodo partium propriæ sunt passiones, de differ. morb. cap. 11. vide *Rhegma*.

Aposphagma exponitur Galeno; apud Hippocratem *fæculenta colatura*, aut *excolamentum*, quòd & ὑποσφαγμα dicitur. Intelligi autem potest sanguis qui suppositò vase pecudi jugulatæ defluit, & excipitur, ac in cibum variâ conditurâ formatur, ut testatur Plin. lib. 28. cap. 14.

Apostasis, fracturæ species est, quæ sub generalem affectionem subjicitur, quæ est continuitatis dissolutio, ita enim (ait Galenus) ego totum hoc genus soleo appellare; at Hippocrates, *abscedentia corpora*, quæ ita affecta sunt, vocat, ut & affectio ipsa, *abscessio* meritò nominetur, tametsi una quædam species generis hujus sit, quam propriè *Abscessionem*, & *Abscessum*, id est, *Apostasin*, & *Apostema* nuncupant, 3. de his quæ in medic. initio.

Apostasis, & *Metastasis*, differunt, quòd *Apostasis*, id est, *Abscessus*, judicationem infert, ægrumque à molestiis omnibus liberat: *Metastasis* autem, id est, *Commutatio*, aliarum habet principium accessionum, ut & aliud exigat tempus ad coctionem mali aliumque corporis locum, ad quem infestantium humorum facta est translatio, 4. de rat. vict. 68. ex quibus colligitur ea inter se differre universali & singulari notione. Cùm sint enim utraque humorum in partem aliquam illapsus & decubitus, generalius tamen quiddam ἀπόστασις continet, quæ vitiosos humores feliciùs & velut ex toto vacuat, solutionemque facit: Μετάστασις autem, peculiarem partis cujusdam depositum significat, in quam illapsi humores judicatione vacuari nequeant. sed concoctione indigent.

Apostema, vide *Apostasis*, & *Sinus*.

Aposyrmata, Desquamata dicuntur, aut summæ cutis abrasiones. Est solutio continuitatis in superficie species, abrasâ scilicet cute. vide *Abrasa*.

Apo-

Apotherapia, nunc pro postremâ parte omnis probè peractæ exercitationis sumitur, nunc pro eâ medicinæ parte, quæ lassitudinem ex immodico exercitio succedentem, submovet, 3. de sanit. tuenda, cap. 2.

Apothermus, Sapa, Siræon, Hepsema, nomina Synonyma sunt, significantia mustum plurimum coctum, 1. de alim. fac. cap. 13. de attenuante vict. rat. 12.

Appetitus caninus, vehemens est comedendi desiderium, quo & plurima edunt, & maximè gravati assumpta inalterata paulò post revomunt, 7. de comp. med. loc. c. 2. & 1. de sympt. caus. c. 7. ὄρεξις κυνώδης, affectio est τῇ ἀνορεξίᾳ prorsus contraria. Provenit magnâ ex parte ab humore aliquo vitioso & acido, sive is pituitosus sit, sive melancholicus, qui in os ventris impactus, ipsum mordet & irritat. Talis namque mordacitatem suctioni similem inducit, & ventriculi tunicis coactis adstrictisque inanitionem perinde ac naturalis fames invehit, atque inexplebilem cibi cupiditatem: Itaque eorum copia gravati, coguntur cibos evomere, deinde cibis denuò se ingurgitare, postea redire ad vomitum, inde ad cibum, atque ab eo identidem ad vomitum, canum modo in eandem noxam relabentes, à quâ per vomitum fuerant liberati. Quo fit, ut tantam ventriculus imbecillitatem contrahat, ut nihil continere possit, sed perpetuâ ferè laboret vomitione. Nec verò vomitu tantum reddunt ingestos plus æquo cibos, sed alvi etiam profluvio aliquando dejiciunt: quo fit, ut his succedant, & cæliacæ & dysentericæ affectiones, & ipsa aqua inter cutem, propterea quòd ante prioris cibi concoctionem, ingesto alio, cruditas vitari non potest.

Appositio, quæ & *Adjunctio*, & *Prosthesis* dicitur, finis est actionis, quæ ab attrahente vi perficitur, attractum enim & adductum nutrimentum singulis partibus apponit assimilandum, 3. de nat. fac. cap. 1. vide *Prosthesis*.

Apsy-

Apsychia, id est, *animi deliquium*, com. 2. in 1. prorrhet. 20. & 1. aphor. 23.

Aptystus, id est, *morbus sine sputo*, præsertim morbus lateralis, cùm pars dolens exquisitè angusta fuerit, & veluti alligans in se ipsâ, universum fluxum cohibuerit, nec per sputum se exonerarit, 2. crisi. cap. 10. ἄπτυστι πλευρίτιδες, *Pleuritides*, in quibus nihil expuitur. In Coac. prænot.

Aqua inter cutem, seu *aqua intercus*, id est, *Hydrops*, vel *Hyderos*, 5. de loc. aff. 7. 4. aph. 11.

Aqualiculus, qui & *Pubes* nonnullis dicitur, & *Episeion*, est ea trunci pars, in quam Thorax finitur, ubi & masculorum pudenda constituta sunt, quin & fœminarum, ad femoris utriusque exortum, ut sub hoc occultentur, lib. introd. cap. 10.

Aqueus humor, qui & *Albugineus*, vide *Crystallinus*.

Aquosa urina, quæ & *Cruda* dicitur, est ea, quæ alba est, & tenuis, 1. de crisi cap. 5.

Aquosus hydrops, hydropis species ea est, quam *Ascites* vocant, cujus proxima causa aquosus humor est, partim à jecinore manans, partim à totâ carne corporis, veluti in aquam resoluta, à quo aquoso humore totum *Abdomen* distenditur, qui colligitur inter *Peritonæum* & *Intestina*, veluti in utre quodam, unde illi nomen dedit, opposita alteri hydropis speciei, quam Hippocrates vocat *siccum hydropem*, qui & *Tympanias* dicitur, vide *Ascites*, *Hydrops*.

Aquula, vide *Hydatis*.

Arachnoeides pulsus, araneæ speciem referens, sive aranealis, hoc est, parvus, ac brevis auræ agitatu movetur, lib. finit. medic.

Araeotica, id est, *rarefacientia*, ἀραιωτικὰ φάρμακα, quæ meatus cutis aperiunt, 5. simplic. cap. 14. vide *Anastomatica*, & *Rarefacientia*.

Aranea tela, ἀραχνοειδὴς, est oculi tunica, quæ cum Rhetinâ perfectam sphæram efficit, circundantem crystalli-

ſtallinum humorem, diciturque aranea, quia ad modum telæ araneæ ſubtilis eſt, ne impediat lumen ingrediens ad cryſtallinum, & albugineum humorem, lib. de anatom. viv. vide *Rhagoïs*.

Arcuatus morbus, vide *Arquatus*.

Ardens febris, vide *Synocha*.

Areæ, vide *Alopecia*.

Argemon, ἄργεμον, & ἄργεμα, eſt *oculi ulcuſculum*, quòd in iridis circulo naſcitur, partem quidem aliquam candidi, partem verò etiam nigri comprehendens. Id extra quidem iridem rubicundum, intra verò candidum apparet. Per ipſum tunica uniformis aliquando procidit, ſi profundius ſordidiuſque evaſerit: Quo vitio qui laborant, ὑπαργίμους vocat Galenus.

Argyrite, ἀργυρῖτις γῆ, *argentea terra*, quæ ex argenti metallis ſumpta, pluribus parvis terræ particulis, plures parvas argenti miſtas habet particulas. 9. ſimpl.

Ariditas, eſt ſummorum pilorum lanuginoſa ſuperficies, pulvere conſperſis adſimilis, lib. finit. med.

Arytæna, vide *Arytænoides*.

Arytænoides, ἀρυταινοειδὴς guttalis, eſt cartilago laryngis, tum ordine, tum poſitione, tum magnitudine tertiâ, in ſupremâ innominatæ cartilaginis parte ſita, gutturniis, infundibulisque, quas *Arytænas* appellant, non abſimilis, lib. vocal. inſtr. diff. cap. 4. unde aliqui eam *Arytænam* vocant, & *Guttalem*, 7. de uſu part. 11. vide *Cricoeides*.

Armatura conceptus, ab Arabibus *Abgas*, tunica eſt poſtrema tenuis, toti fœtui undique circumjecta, ipſius velut ſudorem excipiens; quaſi agninum à mollitie deducto nomine, *Amnion* Græcis appellata, 15. de uſu part.

Arquatus morbus, qui & *Regius*, & *Ictterus*, & *Auriginoſus*, & *Arcuatus* dicitur, eſt bilis in ſummam cutim effuſio, interdum cum febre acutâ, interdum ſine illâ, cum interiorum aduſtione, & ſtomachi vitio, lib. Introd.

trod. 5. loc. aff. 7. Clariùs, *Flava bilis*, quando sui servans naturam, unà cum sanguine per totum corpus defertur, morbum facit, qui *Ictericus*, id est, *Regius* appellatur: sola verò quando secreta est ab aliis succis, & in aliquo membro consistit, Herpetem concitat, 2. ad Glauc. 1.

Arteria, est vas membraneum, ortum habens à corde teres & cavum, duplicique compactum tunicâ, quo vitalis spiritus & tenuissimus calidissimusque sanguis per corpus universum pulsu distribuitur, lib. de anat. viv. differt autem à venâ, quod vena sit vas sanguinem continens, non pulsans, sed arteria vas est pulsans, lib. de caus. morb. cap. 3. quondam non dum eas, quæ similiter ut cor, pulsant, arterias (in solam eam quæ ex pulmone in laryngem emergit arteriam, arteriæ nomen inferentes) sed venas appellabant, in totum velut alias quæ non pulsant; sic etiam pulsantes, posteà verò consuetudine obtinente, arteriæ appellationem in pulsantibus dici propter æquivocationem asperæ nomen apponentes, eam, quæ ex larynge in pulmonem descendit arteriam, *asperam arteriam* appellârunt, quam ipsam etiam *Bronchum* vocant, quoniam cartilaginosa corpuscula, quæ plurima ejus pars sunt, *Bronchia* appellant. 7. de comp. med. 1. loc. cap. 1. *Asperæ* autem *arteriæ* dicuntur, quæ in pulmones divisæ sunt; quæ verò toto insunt corpore, quæque ex asperis arteriis contracto corde, spiritum transumunt, *læves*, 7. de anat. ad 4. & 7. de usu part. cap. 9. vide *Aspera arteria*.

Arteria crassa, vide *Arteria aorta*.

Arteria magna, vide *Arteria aorta*.

Arteria aorta, *magna*, *maxima*, *crassa*, synonyma sunt, significantia unum omnium arteriarum tanquam caudicem, à sinistro cordis ventriculo propagatum, quæ omnes tum sibi invicem, tum eorum pulsandi modo respondent, 7. de anat. adm. cap. 1.

Arteria venosa, est vas à sinistro cordis ventriculo ad

pulmonem procedens, ore rotundo, & admodum patenti, quòd in ipso ferè ortu, in duos ramos dividitur. Eorum dexter sub basi cordis productus, & in cordis involucrum subiens, in dextrum pulmonem multifidus spargitur; siniſter verò in siniſtram pulmonis partem multis propaginibus inseritur. Ambo pleni sunt aëris, quem è pulmonibus in cor transferunt. Arteria vocatur, quia pulsat; venosa autem, quia venæ tunicâ vestitur: quæ verò ex dextro cordis ventriculo est, Vena arteriosa, sive arterialis dicitur; Vena quidem ab usu, arteriosa autem, quoniam arteriæ corpus est duplici tectum tunicâ, 7. de anat. adm. 4.

Arteriæ emulgentes, sunt duæ propagines magnæ, à maximâ arteriâ, quæ spinæ incumbit, profectæ, non aliter quàm duæ venæ magnæ, quæ in renes inseruntur, quibus renes urinam à sanguine secernunt & trahunt, quâ ratione *Venæ & Arteriæ emulgentes* appellantur, lib. de dissect. ven. 5. 14. & 16. de usu part.

Arteria aspera, vide *Arteria*.

Arteriæ carotides, quæ & *Soporariæ*, & *Apoplecticæ*, & *Subjectæ* dicuntur, sunt, quæ infernè à corde ad jugulum rectà tendunt, atque ad partes collo superiores distribuuntur, de dissect. art. & 16. de usu part. Sic autem à veteribus Medicis ejusmodi arteriæ dictæ sunt, quòd vinculo exceptæ carum, lethargum, & apoplexiam inducant.

Arteriæ læves, vide *Arteria*.

Arteriam conjugem vocant, non eam arteriam, quæ venæ est per membranas conjuncta; sed eam, quæ cum alteri adjuncta sit, ad eundem usum extiterit, 16. de usu part. cap. 13. nusquam enim vena ab arteriâ relinquitur, sed ubi vas arteriosum videris, ibi necesse est venam etiam esse, 16. de usu part. cap. 14.

Arteriæ, & *Venæ umbilicales* sunt, quæ acetabulis uteri adhærescunt, quibus fœtus in utero alligatur, & alimentum trahit, 14. & 15. de usu part.

Arte-

Arteriace, ἀρτηριακὴ. Mos est recentioribus Medicis arteriæ pharmaca *Arteriacas* appellare, non apponentibus, num Antidotos dicant, an juxta aliud significatum; quidam verò *Electa* nominant ipsa, non apponentes pharmaca; at quidam penitus nullum discrimen ipsis adscripserunt; aliqui verò raro addiderunt; alii ad vocem interceptam; alii adhuc generaliùs ad vocem læsam; sunt qui & ad exasperatam arteriam, & ad exulceratam vel inflammatam, ut aliquando per magnas vociferationes accidit, eandem hujusmodi accommodata esse scripserunt, 7. de compos. medic. loc. cap. 1.

Arteria trachea, vide *Aspera arteria.*

Arteria coronalis, vide *Stephaniæa.*

Arteriosa vena, vide *Arteria venosa.*

Arthritis, sive *morbus articularis*, est artuum vitium, sive articuli tumor dolorificus, quem fluxio in eum decumbens excitavit, 11. method. 20. sunt & ex genere *Arthritidis*, *Ischias*, *Podagra*, & *Chiragra*: quòd enim in omnibus aut multis simul articulis *Arthritis* est, hoc in uno juxta coxendicum quidem *Ischiada*, hoc est, *Coxendicum morbum* appellant; juxta pedem autem, *Podagram*, juxta manus, *Chiragram*, 10. de compos. med. loc. cap. 2. unde *Arthriticos* vocant, qui hoc articulari vitio laborant, 11. meth. 20.

Arthrodia, per oppositam sibi articulationis speciem, *Enarthrosin*, clariùs intelligitur; utraque enim est species *Diarthroseos*, id est, *Dearticulationis*; sed *Enarthrosis* est, cùm excipiens cavum admodum altum est, caputque quòd in id inseritur, oblongum; *Arthrodia* verò, quæ cavum leve superficiarium, & capitulum etiam depressum habet, lib. de ossibus, in proœm.

Articulus, est naturalis ossium syntaxis, seu compositio, vel per *Diarthrosin*, id est, *Dearticulationem*, quæ est ossium structura, quorum motus est evidens, vel per *Synarthrosin*, quæ est ossium manifestum motum,

non habentium compositio, lib. de ossib. in proœmio. Sed rectiùs, *Articulus* est, cùm duo ossa, ita invicem coëunt, ut alterum quidem ipsorum sit quod movetur, alterum velut sedes quædam ei, quod movetur, & firmamentum, ut in ostiorum cardinibus apparet; unde manenti, cavitas, (quæ *Glene*, id est, *Pupilla*, & *Cotyle*) id est, *Acetabulum*, ei, quòd movetur, convexitas, (quæ *Condylus* dicitur) inest, 1. de motu muscul. cap. 9.

Articularis morbus, vide *Arthritis*.

Artomel, id est, primum jusculum ex pane, & melle, 10. method. 6.

Artus, extremæ & compositissimæ corporis partes sunt, crura scilicet, pedes & manus.

Arythmus, pulsus est, non is, qui absolutam abolitionem significat, omnique rythmo aut modulo orbatus est, sed is, qui nativo rythmo caret: cui opponitur pulsus, qui *Eurythmus* dicitur, 1. de diff. puls. cap. 9.

Asaphia, ἀσαφεια, est vocis obscuritas, vel propter vocem efformantium organorum offensam (quàm ex nervorum vitio contraxerunt) vel propter mentis læsionem, com. 2. in 1. prorrhet. 3. ἀσαφεῖς ægri dicuntur Hipp. qui obscurè loquuntur, nec clarè differunt.

Ascarides & Helminthes, sunt tenues & minuti lumbrici, in parte præcipuè inferiore crassi intestini progeniti; rotundi verò sive teretes lumbrici sunt vermes, qui in superioribus magis intestinis generantur, adeò ut ad ipsum quoque ventriculum quandoque ascendant; latus est, qui & longissimus est, & per tota sæpè extenditur intestina, 3. aphor. 26.

Ascensus morbi, *augmentum*, *incrementum*, synonyma sunt, significantia totius morbi, sive paroxysmi secundum tempus, 1. crisi. 3. ait, ubicunque accenditur, atque augetur caliditas præter naturam, istûc ab aliis partibus sanguinem solere confluere; quo verò tempore confluit, illas quidem partes mandantes refrige-

rari, privatas sanguine, est necessarium; quòd verò patitur membrum gravari, ac distendi, ac sanguinem ipsum confluentem alterari, tum quia aliis, quæ jam putruerunt, superfluitatibus permiscetur; tum quia intrusum diffiari non potest, atque hoc tempus accessionis principium nuncupatur. Cùm verò jam caliditas materiam convicerit, tunc hoc tempus, & ascensus, & augmentum vocatur; in hoc verò usque adeò calor augetur, ut non modò locum exurat, qui est quodammodo putredinis focus, sed etiam continuatim per totum corpus dispergatur; ac cùm jam ad summum fervoris devenerint humores accensi, id accessionis tempus consistentia appellatur; tunc verò universum laborantis corpus igneum videtur, extensâ per totum corpus æqualiter caliditate, 2 de differ. febr. 11.

Ascia, est revolutio fasciæ, quæ cùm parum à recto declinet, in obliquum tamen nondum vergit insigniter; à fabrorum asciâ, quæ paululum à recto abiens, in summitate decurvatur, dicta, 3. de fract. 21.

Ascites, hydropis species est, in quâ in membranâ abdominis interiore, *Peritonæo* Græcè dictâ, aut potiùs inter *Peritonæum* & *Omentum*, humor serosus veluti in utre quodam continetur cum pauciſſimo spiritu, unde eam vocat Hippocrat. *aquosum hydropem*. præcipua ejus causa frigiditas est. Contrà, *Tympanias* (quam *siccum hydropem* vocat) in quâ *Abdomen percussum* talem sonum edit, qualem *Tympana percussa*, quoniam in illis per cutem extentam subjectus aër flatuosus percutitur, quemadmodum aër in hoc morbi genere, qui in profundo *Abdominis* concluſus coërcetur. 4. aphor. 11. *Ascitem* etiam *utricularium hydropem* vocant, lib. finit.

Asselli, vide *Axes*.

Asema, crisis est, quæcunque à nullo dierum indicantium antea fuerit indicata, unde sine signo dicitur, 3. de Cris. 10. ἄσημα πνεύματα spirationem exiguam & obscuram, ac velut interceptam, nullamque ferè

sui significationem edentem significant, libr. 6. Epidem. 3. sect. 7.

Asitia, id est, ciborum abstinentia, fastidium, & inappetentia, aliquando etiam vasorum inanitio *asitia* dicitur, tanquam nomine generis in specie uti liceat, 2. de rat. vict. 47.

Aspera arteria, est particula simplex in animalis corpore, quæ aliarum omnium est durissima, solo osse mollior, quam Græci *Chondron*, id est, *Cartilaginem* vocant, quam totam in exactam naturâ circuli circumferentiam contorsit, circulorum multâ serie continuâ in longitudine interiore compositorum, à pharynge ad pulmonem usque pertingens, sanguine vacua, 7. de usu part. cap. 3. eademque prout corpus est ex cartilaginibus (ut instrumentis vocis) & ex vinculis membranosis, (ut instrumentis respirationis) compositum, *trachea arteria* dicitur, ab inæqualitate, & ad differentiam arteriarum lævium, ibidem cap. 6. quam *Bronchon* nominant, ibid. cap. 11.

Asperæ arteriæ dicuntur etiam, cùm eversæ sanguinolentiores apparent, & magis asperæ carnosæque & fici acinis similes, lib. introd. cap. 15.

Asphyxia, id est, *pulsus privatio*, sive *defectio*, cùm non percipitur nostro tactui motus, atque hoc per totum animal accidit, ut nulla usquam arteria moveri videatur, quòd tamen, si ad veritatem exigas, in corpus vivum nunquam cadit, ad nostrum tamen tactum frequenter reperitur, 1. de præsag. ex pull. capit. 3. quam Hippocrates vocat *spirituum interceptionem*, 4. de rat. victus, 26. Quod si in quibusdam partibus arteriæ moveri videantur, in aliis verò immobiles sint, jam non ἀσφυξία erit, sed differentiæ species in longitudine pulsus. Galenus lib. 1. de præserv. ex puls. ἄσφυκτοι dicuntur Galen. pulsu privati, & in quibus motus arteriarum cordis non sentitur, libr. 4. de diff. puls.

Aspre-

Aſpredo oculi, eſt duritia, & aſperitas inæqualis, quæ intra genas oritur, lib. finit.

Aſſa, id eſt, *ſtomachi faſtidium*, & *nauſea*, 4. de ſanit. tuend. cap. 4.

Aſſidentia ſigna, quæ & *mox apparentia*, Græcis συνεφιστάντα dicuntur, diſtinguuntur à *pathognomonicis*, ſeu paſſionis infallibiliter & firmiſſimè ſignificativis ſignis; exemplo morbi lateralis, in quo acuta febris, ſpirandi difficultas, tuſſis, pungens dolor lateris, paſſionis ſignificativa ſunt; quòd autem dolor ad hypochondrium, aut ad clavim perveniat, aut quòd faciliùs in latus patiens, quàm in alterum æger decumbat, aſſidentia ſigna ſunt, 1. aphor. 12.

Aſſimilatio, & *aſſimilatrix facultas* eſt, quæ ab actione ipsâ generaliter *alteratrix*, in ſpecie verò *aſſimilatrix* dicitur, quâ id quòd nutrit, alteratur, & ei, quòd nutritur, ſimile fit, 3. de natur. facult. capit. 1. naturalium actionum prima, ac propemodum maximè neceſſaria, nutritio eſt, quæ alteratricis actionis quædam eſt ſpecies; eſt enim & concoctio, quæ in ventre peragitur, alteratio, non ſecus autem & quæ in venis, quibus accedit ea, quæ in quâque eſt particulâ, poſt quam quarta eſt, quam *aſſimilationem* vocant, nomine quidem à nutritione diſſidens, re autem non diſſidens, 3. de cauſ. ſympt. cap. 2.

Aſſiſtentes, ſive *Aſtites glanduloſi*, vel *Paraſtatæ*, vide *Glanduloſi*.

Aſthma, id eſt, *creber anhelitus*, aut *anhelatio*, affectus eſt, in quo propter anguſtiam organorum ſpiritus & bronchiorum oppilationem, apparet ſummè moveri, uſque ad operta ſcoptula & ſcapulas, thoracem, etiam citra febrem motu celeri ac denſo, ut etiam in iis, qui velociter cucurrerunt, quique reſpirando pinnas narium movent, quas in ſpirando contrahunt, expirando dilatant, com. 2. in 3. de morb.

vulg. 4. vide *Anheloſi*. Morbus hic nomen habet à ſymptomate: neque enim anhelatio ipſa morbus, ſed morbi ſymptoma: namque fiſtularum & cavitatum pulmonis anguſtia, ipſe morbus eſt.

Aſtites, vide *Glanduloſi aſſiſtentes*, & *Paraſtatæ*.

Aſtragalus, id eſt, *Talus*, (*os ballistæ* vulgò) 3. de uſu part. cap. 6. eſt principaliſſimum oſſium, quæ ad pedes movendos pertinent, in circumferentias quaſdam deſinens, magnum quidem & maximis ſupernis oſſibus dearticulatum, in medio tibiæ, & calcanei locatum, ibidem, cap. 8. Eſt & Aſtragalus fruticellus exiguus, foliis & ramis Ciceri ſimilis, 6. de ſimplic. medic. facult.

Aſtrictio, eſt denſitas cutis, & neceſſariorum excrementorum ſuppreſſio, ad Thraſibulum, cap. 27.

Ataxia, & *Acoſmia*, eſt inordinatio decretoriorum dierum febrilium. *Coſmon*, id eſt, *ordinem*, appellavit Hippocrat. decretoriorum ordinem dierum; ut enim *Acoſmias*, id eſt, *inordinationis*, proprium eſt *Ataxia*, id eſt, *inordinatio*; ita κόσμος, id eſt, *ordinationis*; *taxis*, id eſt, *ordinatio*. Et ob eam rem appellaverunt mortales univerſum hoc, *Coſmon*, argumento ordinationis, 3. prognoſt. 7.

Ater ſuccus, eſt melancholia, quartus naturalis humor in ordine, frigidus, & ſiccus, ſanguinis limus velut & fæx, quem humorem, cùm ex uſtione quâpiam, ac putreſcentiâ, in acidam migravit qualitatem, *atram bilem* nuncupant, ſive *radentem*, 2. de natur. facultat. cap. 9. vide *Acidabilis*, & *Melancholicus humor*.

Athera, vide *Atheromata*.

Atheromata, *Steatomata*, & *Melicerides*, alii quidem inter Abſceſſus reponunt, alii verò ad aliud genus referunt; omnes tamen tumores præter naturam ſunt, quorum natura ex ipſis nominibus patet, pulticulæ enim aliquid ſimile, quæ ἄθηρα dicitur, in ipſis atheromatibus invenitur, melli verò in ipſis meliceridibus,

ſevo autem, in ipſis ſteatomatibus, lib. de tun. cap. 5. ipſum verò *Atheroma* Græci quoque ἄθηρον vocant, 14. method. cap. 14.

Athymia, id eſt, *animi dejectio, deſponſio*, ac *deſperatio*, 6. de loc. affect. cap. 1. ἄθυμος ſignificat eum qui animo eſt abjecto & deſperato, quique animum deſpondet, lib. 3. Epidem.

Atra bilis, vide *Acida bilis*, & *Alter ſuccus*.

Atroôs, eſt ſecretio & alteratio p. n. ſubitò facta, violenta, doloroſa, ex ipſo dividentium genere, videturque in omnibus ſenſibus, ex ſecretione, ac diviſione continui, unitique corporis, dolor excitari, cum ſenſoria, vel univerſa, vel magnis portionibus, & celeriter (quòd Græci ἀθρόως vocant) dividuntur, aut aliàs affatim corruptivè alterantur, incidit, 1. de ſymptom. cauſ. cap. 6. ἀθρόον, aſtrictum denſum & in ſe ipſum contractum ſignat. Contrarium eſt diſtracto, atque diſperſo.

Atrophia, eſt talis ſpecies, cùm particula aliqua corporis, vel diminutè alimentum attrahit, vel non trahit, vel perperam trahit, unde corpus non nutritur, ſive id quidem, quòd nutrit, & quantum & quale eſſe oportet, ſuppeditetur, ſive non. Cæterum ſymptoma aliquod in retentrice facultate incidit, ſimile his, quæ in ventre ſunt dicta, quòd nutritionem tollit. *Atrophia* quoque excretricis vitio accidit, cùm plus quàm opus eſt, vacuatur, de ſympt. diff. cap. 4. & 1. meth. 9. Eſt adhuc quædam *Atrophia* in oculo, cùm ex longâ imbecillitate, vel aliâ quâdam latente causâ, paululum quaſi propulſus, deinde cavatus ad radicem, cum dolore minor evadit, obſcurèque, aut nihil omnino videt, lib. Introd. cap. 15. ἄτροφοι dicuntur, ut ait Plin. libr. 22. cap. 25. qui cibum non ſentiunt, id eſt, qui non aluntur.

Atrophuſæ, ἀτροφῦσαι, id eſt, corporis particulæ, quæ ex nutrimento fructum non ſentiunt, 2. meth. cap. 7.

Atto-

Attonitus morbus, id est, *Apoplexia*, 2. aphor. 19. quem & *morbum stupidum* vocant, 8. de placit. cap. 6. Est autem obstructio principii communis nervorum, sensum motumque omnibus corporis partibus repente adimens, & principes actiones offendens.

Attractrix virtus est, quæ peculiares parti succos, alendi ipsam gratiâ, & appetere & attrahere potest; altera quæ generatim *alteratrix* dicitur, quâ succus attractus similis evadit parti, quæ alitur, quæ membratim in hepate, *sanguificativa* dicitur. *Retentrix*, quâ pars attractum succum coquit, donec in suam ipsius naturam eum mutaverit. *Expultrix*, quæ à concoctis quòd inutile est, secernit, idque *excrementum* vocatur, 5. de loc. affect. cap. 7.

Attrahens, sive *Attractoria*, sive *Epispastica facultas* est, quæ ex alto vehementiùs attrahit propter essentiam calidam, & tenuium partium sive talis essentia sponte nata sit, sive ex putrefactione accscente generationem sortitâ, directè opposita est repercutienti, & adstringenti virtuti, quæ in altum occurrentes, sibi succos repellit, 5. de simplic. cap. 17.

Auditorius meatus, est rotundum foramen, quòd ad aures pertinens, non solùm usque ad Cerebri membranam pertinet, sed etiam nervum auditorium contingit, qui in ipsum â Cerebro descendit, 6. method. 6. quòd & *cæcum foramen* dicitur, libr. de nervor. dissect. 6. Græcè τυφλὸν τρῆμα, vide *Aures*.

Auditus gravitas, vide *Obauditus*.

Augmentum morbi, vide *Ascensus*.

Aures, quâ frons ad tempora porrigitur, in ipsius terminis sitæ sunt, quarum pars aperta, *Ala* dicitur, refracta ab interiori, in posterius, ipsis summitatibus inflexis Cubiformis, sub quâ semicirculus rotundus in mucronem exurgens, Græcè χοιρὶς appellatur, hujus acumini concavum quod subjacet. *Conchula*, in cujus

cujus medio quòd conſpicitur rotundum foramen, *meatus auditorius* nuncupatur, libr. Introd. cap. 10.

Aures cordis, ſunt duo ſinus cordis, concavi, nigriores nervoſiores, & magis cuticulares membranoſioreſque corde, in utrâque cordis parte, ſiniſtrâ & dexterâ collocatæ ad ſimilitudinem aurium, 7. de anatom. adm. cap. 9. Nominatæ autem porrò ita ſunt, non ab utilitate, aut actione aliquâ, ſed à parvâ ſimilitudine, quòd utrinque cordi ipſi, ut animalis capiti, aures adjaceant, 6. de uſu part. cap. 15.

Aurigo, & *Auriginoſus*, vide *Arquatus*.

Autopſia, eſt eorum obſervatio & memoria, quæ proprio intuitu unuſquiſque inſpexit, de part. art. medic. cap. 2. Vocabulum eſt Empiricæ ſectæ proprium, quo ſignificabant memoriam eorum, quæ frequenter & eodem modo viſa eſſent.

Autopyrus, qui & *Syncomiſtus* dicitur, panis genus eſt, quòd ex farinâ universâ comportatâ, confusâ veluti & permiſtâ, non diſcuſſis furfuribus, conſtat, lib. de ren. aff. dignot. cap. 6. *Syncomiſtum panem* vocant, qui medius eſt inter exquiſitè purum, & furfuraceum; vocant autem nonnulli eundem panem *Autopyrum*, quoniam ad puri panis confectionem farinam, non qualis natura eſt, talem ad conficiendum panem aſſumunt, ſed prius purgantes furfur excernunt: contrâ autem, in furfuraceo prius adimunt eam farinæ partem, quæ puriſſima eſt; panis autem, qui *Autopyrus* appellatur, qualem habet ex naturâ farinam triticum, talem etiam ſervat, 2. ad Glauc. 7. αὐτὸς ὁ πυρὸς, id eſt, ipſum triticum totum.

Avulſa, vide *Avulſio*, & *Apoſpaſmata*.

Avulſio eſt, cùm oſſa, quæ membrum colligant, divulſa dicuntur, com. 3. in lib. Hippocr. de his quæ in medicat. 31. vide *Vnionis ſolutio*.

Axes ipſos, *Aſinos* appellare conſuevit Hippocrat.

&

& parvos axes, *Asellos*, quas etiam *Succulas* vocant, 2. de fract. 48.

Axillaris vena est, quæ per axillam percurrens, major humerali per totum brachium in ramos scinditur duos, superiorem, inferiorem, externum, internum; ille *vena hepatica*, 3. de anat. adm. cap. 5. hic *subalaris*, *basilica*, & *vena cubiti interna* appellatur, libr. de anat. vir. & contra Erasistratum, cap. 6.

Axiomata, propositiones indemonstrabiles vocant, 1. meth. 4.

Axungiam, omnes soliti sunt vocare *adipem suillum veterem*, 1. de comp. medic. per gen. cap. 4. Dictum Latinis *Axungia*, quòd axibus rotarum inungendis accommoda sit. Receptum tamen Græcis nomen, neque *suillo adipi* tantum attributum, sed & τραγέιον ἄξυγιον *adeps hircinus* dicitur, Galen. vide *Adeps*.

Azygos vena, est propago, ex venæ cavæ superioris trunco exoriens, parte dextrâ, & octo costis inferioribus inserta, quam sub corde oriri semper à se observatum fuisse, testatur Galen. 5. de loc. aff. 2. & initio secundi de vict. rat. & 2. de usu part. in iis videlicet corporibns, in quibus thorax longior erat: nostro verò seculo propter thoracis brevitatem, supra cor, & pericardium exoritur, ad quintam plerumque thoracis vertebram: & per ejusdem ramulorum orificia aperta materia pleuritica effunditur. Capiunt ex eâ nutrimentum, tum costæ octo inferiores, tum earum spatia, iisque propinqua dorsi medulla, & thoracis membrana, & qui spinæ eo loco inserviunt musculi, ejusque rei gratiâ in octo pluresve ramulos finditur. Ac cùm natura omnes venas geminas creaverit, unam dextram, alteram sinistram; hæc dextra tantum est, eamque ob causam ἄζυγὴς, à Græcis, & vulgò ab Anatomicis *vena sine pari* dicta est. Verùm natura ne sinistrum latus alimento suo defraudaret, in id interdum insignem ramum mittit, qui perinde in sinistrum, atque

que ipsa *Azygos* in dextrum sese explicat.

Azymus panis, id est, fermenti expers, 1. de alim. facul. cap. 2.

B.

B *Allistæos*, vide *Astragalus*.

Barycoia, *Obauditus*, sive *Obauditio*, est auditus gravitas, & difficultas, proportione respondens *Amblyopiæ*, quæ est visus habetudo, sive diminuta visio, 1. de caus. sympt. cap. 4.

Basilare os, quòd & *os Palati*, *os Cunei*, *os Sphenoïs* dicitur, est os, quòd toti Calvariæ substernitur, quòd à nonnullis inter Capitis, ab aliis, inter Maxillæ superioris ossa, (cùm inter utrumque sit medium) numeratur, cap. 1. lib de ossib. & in fine, 11. de usu part.

Basilica vena, vide *Axillaris*.

Basis cordis, quam alii *caput visceris* appellant, est vertex cordis, figurâ turbinata, quæ & circulus est, 7. de anat. adm. cap. 3. quam & *mucronem* appellant, 2. de placit. cap. 4.

Bathmides, sunt sinus quidam ac cavitates in brachii esse utrinque singulæ, in quas extendentibus totam manum, & flectentibus, Cubiti ipsius Coronæ, sive processus ingrediuntur. Conditæ sunt à naturâ ne vel præter modum flecteretur cubitus, vel tantum etiam extenderetur, & in posteriorem partem recederet, quantum modo adducitur in anteriorem, 2. de usu part. cap. 15.

Becchica medicamenta sunt, quæ tussim sedant, vel cient, 1. de simpl. cap. 1.

Belenoides os, vide *Graphioeides*, & *Lithoeides*.

Benevolentia dicuntur, quorum vapores à corporibus defluentes aëri ambienti permisti, ac deinde per nasium inspirationem in Cerebrum delati, familiares sunt Cerebri naturæ, & animali spiritui, pro portione quâ-

quâdam ad ea, quæ linguæ sunt dulcia; è contrà, *gravedolentia*, 4. de simplic. 22.

Berenicium, quod est *nitrum*, vel *spuma nitri*, valens maximè ad vulnera nervorum, 6. de compos. medic. loc. cap. 1.

Bilis simpliciter si proferatur, sive *biliosus humor*, audimus pallidam & amaram, non acidam & nigram: hanc enim semper cum adjectione nominamus, appellationi humoris colorem adjungentes, lib. de tum. cap. 9. *Bilis*, sine adjectione, *flavam* & *amaram* significat; sed cum adjectione, bilis atra, humorem melancholicum, 7. aph. 32. & 1. de nat. hum. 27. & com. 5. in 6. de morb. vulg. 14.

Bilis acida, vide *Acida bilis*.

Bilis æruginosa, vide *Bilis pallida*.

Bilis amara, vide *Bilis*.

Bilis atra, vide *Bilis*.

Bilis flava, vide *Bilis pallida*.

Bilis isatodes, vide *Bilis pallida*.

Bilis nigra, vide *Nigra bilis*.

Bilis pallida est, quæ ex bile syncerâ, & tenui aquosâ, serosâque humiditate, ex quâ etiam urina sudorque provenit, constat. *Flava* verò, quæ & *Vitellina* dicitur, colore pallidior, tenui humiditate constans, sed crassiori quàm pallida, crudo vitello ovorum, & colore & consistentiâ similis, in vasis genita. *Porracea* verò, in ventriculo genita, porrorum colori similis: *Æruginosa*, quæ ærugini assimilatur: *Isatodes* autem bilis, quæ ab Isatide cæsium colorem referente, dicta est: sic etiam & *rubram*, nonnulli bilem nominarunt, quæ consistentiâ ad tenuem sanguinem proximè accedit, sed quoniam non concrescit, idcirco *Bilem* eam non nant, lib. de atra bile, cap. 2.

Bilis porracea, vide *Bilis pallida*.

Bilis radens, vide *Acida bilis*.

Bilis rubra, vide *Bilis pallida*.

Bilis vitellina, vide *Bilis pallida*.

Bis-feriens pulsus, vide *Dicrotus pulsus*.

Blæsum corpus est, cujus pectus pronum in partem anteriorem redditur; *Rhæbum* autem, cùm posteriores partes, quæ ad spinam pertinent, gibbæ redduntur, lib. de caus. morb. cap. 7. ῥαιβὸς, *incurvum* & *obtortum* significat, & propriè *Varus* dicitur, cruribus recurvis & contractis: cui crura sunt introrsum obtorta. Dicitur & ῥοικὸς. Ei opponitur βλαισὸς, *palgus*.

Blena, sive *Mucus*, μύξα, est humor per palatum, & nares defluens, concoctus, adeòque crassior, minusque acris, & mordax, propterea & crassior pituita ab Hippocrate vocatur, libr. de totius morb. tempor. capit. 3. & 2. de semin. cap. 6. βλέννα, sive βλένα, frigidus humidusque succus, quem omnes homines φλέγμα vocant, ut scribit Galenus, libr. 2. de facult. nat. vide *Phlegma*.

Borborygmos, est sonus, vel murmur, in crassis intestinis factum à flatibus, cum excrementorum sunt vacua, humidum excrementum denuncians, & flatum in humore versari. Flatus namque siccior cum sono prodiens, βόμβος nuncupatur, 3. de sympt. caus. c. 2 vide *Physis*.

Bothor, vide *Exanthemata*.

Bothrion, est ulcus cavum, corneæ tunicæ in oculo, parvum, angustum, puncturis rotundis simile, ulcusculo altius, libr. Introd. cap. 15. sic dictum est à cavitate, quasi fossula. βόθρος enim *foveam* significat. Differt δὲ καὶ κοιλώματος, quòd hoc amplius & rotundius sit *Bothrio*, sed minùs profundum. Est & βόθριον autore Galeno, cujusque dentis alveolus & cavitas. vide *Platnia*.

Brachiale, quod Græci *Carpon* dicunt, Arabici *Rascetta*, est prima pars palmæ manus, octo constans ossibus, in superficie leniter gibbis, sinuatis intrinsecus, libr. de ossibus, cap. 18. cujus inferior pars quatuor

ossibus, (quæ quasi post-brachiale, vel metacarpium dixeris) colligatur, ibid. cap. 16.

Brachichronius, vide *Polychronius*.

Brachium, totius manus pars maxima, cujus termini infernè sunt articulus, qui in curvaturâ cubiti est, quem *Ancona*, sive *Cubitum* cui innitimur, vocamus; supernè autem rursus, *humeri articulus*, lib. 2. de motu musc. cap. 2. *Brachium* insuper appellatur, quòd inter duas junctúras humeri, & cubiti intercedit, totius brachii pars: *Super-humeralis* verò, id est, *Epomis*, superior humeri pars est, quæ ad collum vergit: nam humerus totum id, quòd in dearticulatione hâc appareret, vocatur: nam quòd non apparet, à posteriori parte, est os scapulæ, ab inferiori est id, quòd dum totum brachium attollitur, manifestum fit, & *ala* nominatur, 1. de articul. 4.

Bradypepsia, est imbecilla & imperfecta cibi concoctio, vide *Concoctio*.

Branchos, aliàs, *raucedo*, *destillatio*, & *Coryza* nominatur, 5. de sanitat. tuend. cap. 8. Qualis in ventre, diarrhœa passio ex malâ concoctione fit, tale πάθημα est in Cerebro Catarrhus; & Coryza, Catarrhus scilicet est, cùm, quòd supervacuum est, in os diffluit; Coryza. cùm in nares: Branchos autem, sive raucitas Catarrhis superveniens, fit faucibus humore imbutis; quòd si in Gargarionem fluxio procumbit, aut (quam ex similitudine, Græci σταφύλην, id est, *acinum* vocant) in uvulam, hanc in tumorem attollit: at si in Glandulas, quæ sibi ex adverso in oris termino utrinque jacent, Antiadas: si autem in eâ, quæ iis proxima sunt humorum fiat decubitus, oriuntur Paristhmia, 3. de sympt. caus. cap. 4.

Bregma, Latinè *Synciput*, est pars anterior capitis supra frontem sita, & à lateribus ad tempora usque protensa. Ea constat duobus ossibus propemodum quadratis, quorum unum dextrum, alterum sinistrum est.

Ambo

Ambò autem parte quidem posteriore lateribus suturæ λαμδοειδοῦς, anteriore verò suturâ coronali, à lateribus στεφανιαίοις, sive suturis λαμδοειδέσι, superiore denique eâ suturâ terminantur, quæ utrique communis est, & secundum longitudinem capitis rectà procedit, σαγιτταίαν nominant, constant; ut & reliqua ferè omnia cranii ossa, duabus squamis; inter quas valdè fistulosa raraque apparent, nisi quà temporum ossibus conjunguntur: hic enim tenuissima quidem sunt, sed solida & minimè fistulosa. Nec frustra quidem hæc ossa natura machinata est, quòd toto vitæ decursu tenuia & halituosa cerebri excrementa maximè per sinciput diffiari oportebat. Est enim cerebrum eâ cranii parte quam reliquis copiosius. Sunt qui ἀπὸ τῦ βρέχειν dictum putent, quòd hæc pars capitis humidissima molliſſimaque sit, præsertim infantibus, ut videri possit βεβρέχθαι, hoc est, madefacta esse. Ex quo fortè etiam obstetrices partem eam *fontem capitis* appellant.

Brevis pulsus, vide *Pulsus latus*.

Bronchia, sunt asperæ arteriæ cartilagines, penè circulares, in totum pulmonem divisæ, & sigma literæ figuram referentes, 4. loc. affect. cap. 8. hæ cùm in medio crassiores sint, extremis partibus attenuantur, & tandem in membranam degenerant, quâ parte œsophagum respiciunt, eique incumbunt, eandemque constructionem per totum pulmonem sparsæ habent, membranas plures sortitæ sunt: unam quidem propriam, quomodo & ossa omnia, & præter eam alias duas, unam internam, crassam & validam, sed tenuem; alteram externam, propriè membranæ pertinacissimè connatam, quibus omnibus cartilagines illæ sibi invicem connectuntur. Dicta sunt βρόγχια diminutionis formâ ἀπὸ τῦ βρόγχος, quòd *asperam arteriam* significat. vide *Arteria*.

Bronchocele, id est, gutturis tumor magnus & rotundus, aut in aspera arteria exoriens; utrumque enim

βρόγχος significat, 2. de comp. medic. loc. cap. 17.

Bronchus, id est, *trachea arteria*, ita dicta, quòd maximâ ex parte cartilaginibus constet, quæ βρόγχαι appellantur, 7. de usu part. cap. 11. vide *Aspera arteria*.

Bubo, βουβών, est tumor, præter naturam, in collo, & secus aures, vel inguina, emissaria veluti communia iis, quibus in collo, capite, vel aliquâ vicinâ parte, vel prope magnam arteriam, aut venam cavam ulcus est natum, ortus, 13. method. cap. 5. vide *Struma*.

Bubonecele, est tumor mollis in inguine factus, peritonæo, (id est, membranâ interiore) plus nimis dilatato, vulnerato, aut rupto, & postea non conglutinato, diciturque *ramex in inguine*; quod si Umbilico hoc accidat, dicitur *Exomphalos*, libr. de tumor. capit. 16.

Bulimos, est vehemens esuritio, ex indigentiâ simul, imbecillitate, & refrigeratione oris ventriculi, orta, 1. de caus. sympt. cap. 7. Symptoma est malè affecti oris ventriculi, quo primum quidem ægri expleri cibis nequeunt, paulò verò post destituuntur prorsus appetentiâ, animo linquuntur, viribus deficiunt exolvuntur, decolores sunt, torquentur stomacho, refrigerantur corde & extremis partibus, pulsusque habent admodum obscuros. Differt autem *Bulimos* à *caninâ appetentiâ*, quod ille sit casus potentiæ naturalis appetitivæ, tractricis, & concoctricis, ex frigiditate exteriore, qui à fame quidem inchoavit, sed non habet eam ampliùs adjunctam, Caninus autem appetitus fieri consuevit, vel propter solam intemperaturam frigidiorem, vel propter humores acidos, melancholicos, lancinantes, & venarum suctioni similem sensum inferentes, quos exorbuit os ventriculi, 2. aphor. 21. Præterea verò inter se differunt, quòd in appetitu canino, propter insatiabilem ingluviem vomitiones perpetuæ infestent, Bulimus autem sine vomitu sit.

Bulla,

Bulla, id est, *pustula oculũ nata*, 9. de simpl. medic. facult.

Bursa testium, est communis tunicarum, utrumque testem cooperientium, rugosus sinus, utrique testiculo circumdatus, ὄσχεον Græcis, Latinis *Scortum*, aliis *Scrotum* dicitur, lib. de dissect. vulvæ, & Introd.

C.

C *Achexia*, pravus corporis habitus est, 1. meth. 9. Contraria τῇ εὐξίᾳ: (hæ autem duæ sunt τῆς ἕξεως differentiæ, Medicis supra cæteras usurpatæ.) Est autem solidarum corporis partium depravatio, quâ alimentum omne corrumpunt. Habitus enim corporis ipsæ solidæ partes appellantur, quas continentia Hippocrates appellavit. Hic ubi permultum recessit à naturali temperamento, tertiam alimenti concoctionem, quæ in ipso, hoc est, in solidis partibus peragi debet, malè perficit, alimentum corrumpit, & in qualitatem à naturâ alienam depravat: Inducitque cacochymiam (quam perpetuo illa conjunctam habet, cùm è contrario non sit necesse, ubi cacochymia sit, illic esse protinus & cachexiam) atque omne excrementi genus. inde *Cachecticus*, id est, *mali habitus homo*, lib. de cur. rat. per sang. cap. 19. vide *Habitus*.

Cacochymia, vitiosus succus, seu redundantia vitiosi alicujus humoris in toto corpore; vide *Plethora*.

Cacoëthe ulcera, ex dysepulotis clariùs intelliguntur; quæ enim ex humorum confluxu, vel multorum, vel acrium oriuntur, ita ut locus affectus hanc dispositionem quâ id, quod influit, licet bonum sit, tamen ipsum corrumpat, non habeant, *Dysepulota* nomino; quæ verò dictam dispositionem jam obtinent, præcipuo vocabulo *Cacoëthe*, id est, *maligna*, appello, 1. de compos. medic. per gen. cap. 18. sed generaliùs, quæ ulcera omnibus ritè decenterque factis non sanantur,

ea Medici *Cacoëthe*, id est, *maligna, contumacia, rebellia* que dicimus, 4. method. 5. Adhuc generaliùs, *Cacoëthes* morbos, id est, malignos, appellamus, quicunque periculum minantes, spem salutis non adimunt; nam quòd summè pernicioſum existit symptoma, non *Cacoëthe*, sed *mortiferum* dicitur, comm. 1. in 1. prorrhet. 14.

Cacophonia, id est, *vitiata vox*, de sympt. differ. c. 3.

Cacosphyxia, id est, *vitiosus pulsus*, circa pulsuum actionem est symptoma, ibid. c. 4.

Cacotrophia, id est, *vitiosa nutritio*, ibidem.

Cairos, occasio & opportunitas rei cujuslibet agendæ, quomodo apud Hipp. καιρὸς ὀξύς dicitur: Item tempus, propriè pars anni, quæ & ὥρη vocatur. Dicitur & in morbis spatium id temporis, quo insignes in iis mutationes fiunt. Habent enim & morbi sua tempora, à temporibus anni & ætatibus non valdè dissentanea, insignioribus, ut & illa, mutationibus distincta, quæ quadruplices à Medicis annotantur, à quibus totidem morborum tempora statuuntur, ἀρχὴ, *principium*; αὔξησις, *augmentum* seu *incrementum*, quòd & ἀνάβασις & ἐπίδοσις vocatur; ἀκμὴ, *vigor*, seu *status*; παρακμὴ, *declinatio*. Hæc quatuor tempora non modò in universo morbo, sed in singulis etiam totius morbi accessionibus spectantur; illa, *universalia*, hæc, *particularia* appellantur. Non est autem ea facilè in singulis morbis definire, quia pro morborum causarum, symptomatum, naturæ, virium, & reliquarum substantiarum varietate variis quoque spatiis signisque distinguuntur. Summatim quidem & in genere circumscribi possunt, ut principium dicatur primus morbi motus: incrementum tempus id, quo non modò ipse morbus, verùm ejus etiam symptomata graviora fiunt: status autem in quo ea quodammodo consistunt, neque augescentia, neque se remittentia: declinatio verò, cùm primum decrescere incipiunt, donec

nec morbus ex toto desierit. Particulatim verò, in singulis morbis cujusque horum exordium finemque exprimere, & certos limites assignare difficile.

Calchoeidea ossa, sunt tria ossa parva circa calcaneum posita cuneiformia, quæ certis nominibus carent, inferiori naviformis ossi per synarthrosin copulata, cum quibus etiam exteriore ex parte *Cyboeides* pariter connectitur, 3. de use part & de ossibus, cap. 24.

Calcaneus, seu *os Calcis*, quòd Græci πτέρναν vocant, maximum, & principalissimum est pedis os, ad firmationem pertinens, quòd *Astragalo* subest, 3. de usu part. & de ossibus, cap. 24.

Calcis os, vide *Calcaneus*.

Calculus sive *Calculosus morbus* est, ubi in renibus ex collectâ crassorum humorum copiâ, à calore immoderato calculi generantur, libr. finit.

Calescere & calefactum esse, non parùm refert dicere, exemplo lebetis, & aquæ calidæ: fervens enim aqua in frigidum lebetem injecta, vel fervens lebes aquam frigidam excipiens, illic quidem aqua calefacta est, & lebes calefit, juxta typum putridarum febrium, hic lebes calefactus, aqua calefit, ad morem febrium hecticarum, 1. de differ. febr. cap. 1.

Calidum, hoc ipsum verbum aliquando transferimus ad qualitatem, cujus proprium nomen est *caliditas*, aliquando denominativè totum corpus. Dicimus *calidum* à caliditate; estque hic modus loquendi plurimus in omni vitâ, 1. aphor. 14. Sæpè etiam Hippocrates à qualitatibus nominat elementa, calidum quidem appellans, neque solam qualitatem, neque quòd ab ejus exuperantiâ dicitur, sed corpus, quòd summam participat qualitatem, ut ignem, 1. de elem. c. 8.

Callicreas, sive *Pancreas*, caro glandulosa est, substrata arteriis, venisque ventriculi, quæ eâ parte in ramos capillares finduntur, libr. de ven. & art. dissect. cap. 1. vide *Pancreas*.

Calloſum corpus, id eſt, *calli naturam referens*; regio quædam in cerebro eſt, in quâ naturalis concavitas eſſe videtur, quæ ex ſuperjacentibus, & circumdatis corporibus, portionem alimenti non perfectè elaborati, (*Peritoma*, ſive *Recrementum* vocant) recipit. 9. de anatom. admod. capit. 3. quod *Recrementum* ab Ariſtotele, *Excrementum* dicitur, libr. de inſtrument. odor.

Callus idem quod *Clavus*, Græcè πῶλος, 6. ſimpl. diciturque etiam *Tophus*, ex crudo humore, qui craſſus eſt, ad ſimilitudinem puris craſſioris, 10. de comp. med. loc. cap. 2. vide *Myrmecia*, & *Tyloſis*.

Calvaria, ſive *Cranium*, os capitis appellatur, lib. de oſſib. cap. 1. vide *Cranium*.

Calvata, *Ferramenta* appellat Hippocrates, quæ rotunditatem quandam levem in extremis partibus habent, cujuſmodi ſunt ſpecillorum capitula, & quæ *Nucleata* appellantur, & *Spatularia*. *Oblonga* verò his contraria nuncupat, quorum extrema minimè ſunt rotunda, ſed mucronata, ad ſuffuſionem & cataractam punctione tollendam accommodata inſtrumenta quodammodo ſimilia, 1. de artic. 43.

Calvities, eſt capillorum defluvium, propter humorum ex quibus nutriri conſueverunt, inopiam; ſi verò propter eorundem humorum vitium, corrumpantur, & cadant, non *Calvities*, ſed *Alopecia*, *Area*, & *Ophiaſis* dicitur, 1. de compoſ. medic. loc. cap. 2. vide *Madaroſis*. Capitis ſanè cutis, pueris, mulieribus, & Eunuchis humida eſt; ſed Calvis immodicè arida. Cerebrum quidem in juvenibus molle cùm ſit, atque humidum, Calvariam tangere, omnemque interiorem inanitiem complere; in ſenibus verò ſicceſcens ſubſidensque ab eâ diſtare ſæpiùs in animalium diſſectionibus conſpicimus: in quibus calveſcentibus ſyncipitis oſſa, fiſtuloſiora aliis, & molliora, ac ſuperincumbentia ob Cerebri diſtantiam exareſcunt, cùm

ad

ad ipsa usque non pertingat, neque ea attingere possit: subsidet enim, in suumque, ac ipsius basim depressum cadit: consequenter igitur, ossibus istis resiccatis, & ipsis obtenta cutis inarescit, atque ipsi sensui valdè sicca in Calvis apparet, ut rationali demonstratione non egeat, com. 3. in 6. de morb. vulgar. 2.

Calx, est totius pedis posterior pars, libr. Introd. cap. 10. Clariùs, Calx est os pedis maximum, ossi scaphoeidi seu naviculari subjectum, quod & rotundas ex talo partes recipit, & geminos, quos habet, processus in sinum ejus inserit, parte quâ ingredimur leviter rotundâ, & latiusculâ, lib. de ossib. 24.

Camarion, ψαλιδειδὲς, sive ψαλοειδὲς corpus, est pars Cerebri, quæ suprà communem cavitatem est, (quâ Cerebrum Cerebello suâ perforatione committitur) velut domus tectum quoddam in sphæræ superficiem concavam circumacta, ad similitudinem testudinum, & fornicum, quibus Architecti utuntur, ne medius Cerebri venter concidat. Dicitur ἀπὸ τ῀ ψαλίδ῀ος, quæ *Cameram* & *Testudinem* significat, 8. de usu part. cap. 11. vide *Fornices*.

Camarosis, est ossis perruptio, cùm ex alterutrâ refractum parte similem Cameræ figuram acceperit, lib. finit. unde recentiorum nonnulli vehementissimas fracturas vocant *Camaromata*, & ἐγκοιώμασι quidem, quæ in medio sui membranæ innituntur; *Camaromata* verò, quæ eandem ipsam partem exaltatam habent; Cæterum, quâ primum ab integris fracturæ partibus deduci ægra cepêre, introrsùm magis recedunt, ac membranæ innituntur, 6. method. 6.

Camisia fœtus, vide *Chorion*.

Campylon, *Erotianus* exponit apud Hippocratem, minimè rectum, sed tortuosè incurvatum & flexum, vide *Helosis*.

Cancer, est tumor præter naturam, fusci & lividi

coloris, in quo venulæ quædam exaltatæ primò occultæ (& *Cancrum latentem* vocant, libr. de atrab. c. 4.) deinde manifestæ, à crasso & nigriore sanguine fæci vini assimiles sunt, 11. meth. 9.

Canina cupiditas, est prava qualitas oris ventriculi superioris multa impetuosè ingerentis, nec potentis devoratorum pondus sustinere, quare ea inalterata supernè, vel infernè excernere cogitur; ita in renibus quoque, ubi ex diabeticâ passione accidit, serosæ humiditatis cupiditas tanta adest cum virium imbecillitate, ut & humiditatem affatim attrahere, ac eam deinde in vesicam confestim renes impellere cogantur, 6. loc. aff. cap. 3. vide *Bulimos*.

Canini dentes, quos Græci *Cynodontes* vocant, sunt duo utrinque mandibulæ superiori, & inferiori inhærentes dentes, inter Incisorios & Molares, qui Canum dentibus quam similimi sunt inferiore basi, lati, parte supernâ acuti, quibus singulæ quoque radices longissimæ insunt, ut, si quid propter duritiem ab incisoribus dentibus scindi minùs potuit, id frangere possint, libr. de ossib. cap. 5. vide *Dentes*.

Canities, est pilorum ante legitimam ætatem in album commutatio, libr. finit. Cani autem ob id contingunt, quòd longo tempore permeante in homine humido, id quòd candidissimum est, secernitur, & in summam cuticulam illabitur, ita ut attracta candidiore humiditate pilus quam antea candidior evadat, ipsaque summa cuticula, eo præsertim loco ubi cani sunt, quàm quovis alio candidior existat. Quique à primâ origine canos habent in capite, illis summa cuticula, ubi cani sunt, quàm alia quævis candidior existit, quòd illic albissima humiditas insit. Sic autem se res habet: qualem humorem caro attraxerit, sive album, sive flavum, sive nigrum, talem etiam colorem capillus imbuit. Hippocrates de naturâ pueri.

Canthus oculi, vide *Anguli oculi*.

Capil-

Capillaris vena, vide *Apanthiſmus*.

Capillitium, vide *Trichiaſis*.

Capiſtratio, vide *Phimoſis*.

Capitis vena, & *Cephalica*, & *Humeraria*, & *Externa* dicitur, eſt, quæ ex jugularibus externis jam divaricatis, quibuſcum radicem habet communem, utrinque extra thoracem aſcendit, & per humerum in externam regionem declivis excurrit; initio ſecundi de ration. vict. vide *Axillaris vena*.

Capreolaris, ſive *Hederarius anfractus*, eſt arteriarum, & venarum ad utrumque teſticulum deſcendentium non recto itinere, ſed inſtar *Capreoli*, aut *Hederæ*, variis modis involutarum connexus, 1. de ſemin. cap. 12. vide *Glanduloſi aſſiſtentes*.

Caprizans pulſus eſt, ubi motum arteria interpellat, velut & interrumpit, ita ut motus à quiete alter celerior primò, & vehementior ſit, 1. de differ. pulſ. cap. 29

Capſula cordis, id eſt, *Pericardium*, , vide *Membrana Pericardios*.

Caput, eſt ſuprema corporis pars, quam nonnulli *ventrem ſuperiorem* nominant, collo terminatur, & partes animales continet.

Caput cordis, eſt ampla, & orbicularis ſuperna ejus pars, & baſis, 6. de uſu part. cap. 7.

Caput oſſis, eſt extrema tenuis proceſsûs oſſium pars craſſior, & orbiculata, libr. de oſſibus, in proœmio.

Caput-purgia, ſunt medicamenta omnia, quæ capitis purgandi gratiâ induntur, ſive naribus, & dicuntur *Errhina*, ſive ori, ut colluendo, vel mandendo per ſputum caput purgent, & vocantur *apophlegmatizonta*, ſeu *apophlegmatiſmi*. Sunt autem ejuſmodi calidæ & acris facultatis, per quam pituitam partim eliquantia, partim attrahentia, partim etiam facultatem, quæ in cerebro eſt, alieni expultricem irritantia, actionem

nem suam perficiunt, 5. de simplic. capit. 20.

Carbo, qui & *Carbunculus* dicitur, cùm melancholicus humor, in cutem decumbens simul cum febre, exanthemata per cutem crassescentem, siccescentemque concitat, assatum sanguinem indicantia, libr. de atra bile, cap. 4. *Carbunculus*, ulcus est, crustam citò, cum inflammatione totius partis vicinæ validâ, faciens, ut & febres vehementes, & extrema pericula inferens, 5. de compos. med. per gen. cap. 15. cujus crusta nigra est, & cinerulenta, aliter quàm quæ sanguine suffusa sunt, aut quæ algore frigent: non enim vehementer lividus, ut in illis, tumor est, sed habet aliquid splendens, ut bitumen & pix; talis autem est exactè atra bilis, libr. de tum. cap. 6.

Carbunculus, vide *Carbo*.

Carcharaconta, dicuntur animalia, quæ serratis sunt dentibus, ut Ursus, Leo, 9. de anat. adm. cap. 1.

Carcinoma, sive *Cancer*, est tumor durus, inæqualis, concolor, dolens (ad differentiam *Schirri*, à quo solo dolore differt) quem & à cancro animali *Carcinon* vocant, lib. defin. med. Si verò ulceretur, oris prætumidis, aspectu teter, lividus & dolens, ab atrâ bile genitus, serosum, eumque acrem, exudat humorem. In quâcunque corporis parte oritur vel sine, vel cum ulcere; atque in ipso quoque oculo, ut plurimum tamen in mulierum mammis frequens est. Venæ in eâ parte manifestè apparent, sanguine nigro & crasso plenæ, atque tumentes, ita tumori circumpositæ, ut Cancri figuram referre videantur. Siquidem tumor ipse Cancri corpus, venæ tumidæ crassæque ejusdem pedes oculis repræsentant.

Carcinos, καρκίνος, Cancer, etiam vinculi genus est apud Galen. lib. de fasciis, quod capiti convenit: fascia scilicet in plures partes scissa, cancrorum pedum speciem referentes.

Cardia, hoc est, *Cor*. quod non solum ei visceri, (quod

(quod suâ naturâ palpitat, & principium vitalis est facultatis) nomen fuit apud antiquos, sed etiam ori ventriculi superiori, pro confesso habetur apud omnes, 4. aphor. 65. propter affinitatem maximam quæ est illi cum corde, & mutuum consensum, Galen. libr. 2. de plac. Hippoc. & Platon.

Cardiaca dispositio, est innati roboris labefactatio, & languor; fit plerumque conflictante ore ventriculi & stomacho, cum sudorum immodicâ vi: sunt qui Cardiâ, id est, Corde phlegmone laborante, fieri affectum putaverint, atque ab hâc virium exolutione, quod evenit malum, *Cardiacam*, vel *dispositionem*, vel *syncopen* (quæ & *stomachica* dicitur) nominarint, 1. de caus. symptom. cap. 7. & lib. finit. καρδιακοὶ dicuntur, qui propter oris ventriculi languorem animo deficiunt, & sudoribus resolvuntur. Est autem os ventriculi in his primariò affectum, per consensum autem cor ipsum vehementer offenditur.

Cardiacus morbus, vide *Cardialgia*.

Cardialgia, id est, *cordis*, seu *oris ventriculi dolor*, & *morsus*, qui & *Cardiogmos* dicitur, à forti ventriculi æstu, flavâ bile in ipsius tunicis ebulliente, quin & à pituitâ impensissimè frigidâ, & flatuoso spiritu frigido genitus, 5. aphor. 65. dicitur etiam *Cardiacus morbus*, lib. Introd. cap. 13. & 8. de comp. med. loc. cap. 1. Symptoma est non cordis quidem, hoc est, visceris hujus, quod vitæ pulsusque principium est, sed oris ventriculi. Nec verò omnis oris ventriculi dolor καρδιαλγία appellatur, sed ille tantum, quem humorum acrimonia irritando & mordendo excitat: Id quòd fit in angoribus, unde mærore confecti bilem evomere consueverunt. Neque dolore vexatis tantum, verùm etiam iis, qui diutiùs paulò jejunium tolerarunt, accidit ut morsus hos ventriculi sentiant, præsertim cum vehementi aliquâ exercitatione fatigati cibum nullum assumpserint. Siquidem & mæror, & vehementior

exer-

exercitatio facit, ut flava bilis in ventriculum confluat, à quà posteà irritati, & morsi homines cordis dolore prehenduntur.

Cardiogmos, vide *Cardialgia*.

Carnosa cutis, vide *Musculus cuticulosus*, aut *Panniculus carnosus*.

Caro vocatur propriè tantum ea, quæ in musculo est, reliquarum partium nullam homines carnem vocant, præterquam admodum pauci; sed quæ in visceribus, seu jecore, renibus, liene, pulmone, visuntur carnes, eas *parenchymata*, (quasi *effusiones* dixeris) Græci vocant, quæ in intestinis, ventriculo, stomacho, & utero sunt, sine nomine relinquunt, 11. meth. 11. *Parenchymata* autem eas partes vocant, non carnes, propterea quòd ex venis effusus sanguis circum vasa omnia concrescat, 11. de simpl. in initio.

Caros, sive *Sopor*, est deperditio sensûs, & motûs in toto animalis corpore, illæsâ manente spirandi facultate, læsâ autem ante anteriore Cerebri parte, & temporum musculis; [sed tamen & medius ventriculus sæpè consentit. Sequitur inde somnus profundus, oculis perpetuò clausis: Nec tamen ita periit sensus, quin si pungantur, sentiant, non tamen propterea vel loquuntur, vel oculos aperiunt,] si verò spirationem adeò vehementer opprimat, ut quis vel magno conatu vix spirare possit, eorum exemplo qui per gravem somnum stertere solent, *Apoplexia* tunc affectio nominatur, cui Paralysis sæpissimè succedit, 4. loc. aff. cap. 2. & 13. meth. 21. & com. 2. in 1. prorreth. 29.

Carotides, id est, *soporariæ arteriæ*, sunt duæ illæ, quæ ab arteriâ magnâ, à sinistro cordis ventriculo emergentes, rectà ad caput feruntur, omnibus, quæ sunt suprà cor, partibus distributæ, 16. de usu part. cap. 12. & 1. de placit. cap. 7. sed has non rectè *Carotidas*, & *Soporarias*, & esse, & dici, censendum est, sed jam obtinent nomen ex multâ omnium, qui post Hippocrat.

pocrat. fuerunt Philosophorum, & Medicorum ignoratione, ceu sentium, Soporem affectionem propriam esse, dictarum arteriarum, 1. de plac. cap. 7. vide *Soporariæ.*

Carpon, & Carpos. Carpus, est pars manus quâ cubito per articulum conjungitur, vide *Brachiale.*

Cartilago, quam Græci *Chondron* vocant, est particula simplex in animalis corpore, quæ aliarum quidem omnium est durissima, toto autem osse est mollior, 7. de usû part. cap. 3. Quamvis autem diversa sit ab osse Cartilago, sæpè tamen ætatis spatio in os degenerat, imo verò nulla ferè sunt ossa, quæ ante cartilagines non fuerint. Ossa namque omnia, & dentes genis adhuc concluſi infantibus cartilago sunt, quæ tandem in ossa duratur, uti cartilagines, quæ inter sterni ossa continentur.

Cartilago ensiformis, est extrema ora ossis medii pectoris, quæ est propter os ventriculi, cui alligatur; Græcè dicitur *Chondros Xiphoeides*, 6. de usu part. c. 3. Eadem dicitur *mucronata*, lib. de ven. & art. diss. c. 5. Aliqui sunt, qui *ensiformem cartilaginem* dicunt esse, totam pectoralis ossis figuram (non eam tantùm, quæ in imo ejus est) quia gladii similitudinem repræsentat, lib. de ossib. cap. 13.

Cartilago innominata, est secunda laryngis cartilago, quæ nomine caret Veteribus, Recentioribus *κρικοειδὴς*, id est, *annularis* dicitur, quòd annulo similis sit: in internis partibus, quâ Oesophagus est, positionem habens, 7. de usu part.

Cartilago peltalis, est imperfectus circulus in principio asperæ arteriæ collocatus, ad modum peltæ, cujus gibbositas apparet in gutture, ac *Adami pomum* appellatur; ejus verò defectus est versus gulam, unde *cartilago peltalis* dicitur, cujus defectum supplet quædam cartilago suppositа ifti inferiùs, faciens etiam circulum imperfectum, sed contrario situ cum superiori,

quia

quia ejus gibbositas interiùs est versus gulam, defectus exteriùs, versus guttur, diciturque *Cartilago cymbalaris*, vel *Coôpertoria*. Estque ibidem tertia Cartilago nomen non habens, cùm modò versus partem exteriorem, nunc versus interiorem collocetur, nunc cùm cibus deglutitur, ut os tracheæ arteriæ, nunc cùm vox formatur, ut os gulæ tegat, lib. de anat. viv. Cartilaginum præcipuus usus est duplex: unus ut partes quasdam leves ac politas ad motuum promptitudinem efficiant, in articulis scilicet, alter ut violentiæ foris occursantium mediocriter cedant. Cartilaginis enim substantia maximè idonea est ad tegendum & defendendum partes subjectas. Non enim potest comminui & trangi, ut dura & friabilia, neque incidi & contundi, ut mollia & carnosa.

Carunculæ, nunc partes sunt substantiæ intestinorum, quæ in difficultate intestinorum excernuntur, adeò magnæ, ut possimus eas *carnes* nominare, 4. aphoris. 26. nunc verò carnosam quandam particulam, in summo ore pendentem, quam & *Columellam* vocant, significant, 6. de compos. med. loc. cap. 3. vide *Gargareon*, & *difficultas intestinorum*.

Casus, qui & *signa*, & *symptomata mox apparentia* dicuntur, 1. aphor. 12. vide *Iudicatoria signa*.

Cataclida, sive *Subclavium* dixeris, primam Thoracis costam parvam significat, libr. de muscul. dissect. cap. 12.

Catagma, id est, *ossis fractura*, 2. method. cap. 2.

Catagmatica emplastra, quæ & *Cephalica* vocant, sunt quæ Calvariæ fracturis accommodantur, habentque abstergendi, digerendi, & siccandi potestatem, quibus plerique & paululum ex astringentibus pharmacis [illegible] miscent, 2. de comp. med. per gen. cap. 16. Dicuntur & *Catagmatica ligamenta*, quibus fasciarum instar ossis rupturæ deligantur, 1. de comp. medic. per gen. c. 4. vide *Cephalica emplastra*.

Cata-

Catalepsis, est deperditio sensûs visûs, apertis pälpebris, servatâ tamen secundum naturam spiratione, in quâ posteriora Cerebri potissimùm, & nervorum exortus intemperie frigidâ & siccâ, unde etiam affectus hic nervorum *Exortus* dicitur, afficiuntur, 4. loc. aff. cap. 2. licet alibi *Catalepsim* dicat esse spiritus cohibitionem, lib. de muscul. dissect. cap. 26. & alibi dicat *Catalepsim* fieri refrigeratâ primâ parte sensitivâ, id est, Cerebro ipso; quæ refrigeratio cùm fortis fuerit, mista humiditati, facit lethargicas passiones; cum siccitate verò eas, quæ à Græcis καταλήψεις dicuntur, id est, *Deprehensiones*, 2. aph. 3. eundem affectum, *Catochen*, & *Catochon* vocant, 4. de caus. puls. cap. 16. vide *Catoche*.

Catalotica medicamenta sunt, quæ cicatrices grossas æquant, & lympidant, lib. de Dynamid.

Cataphora, id est, *veternosa affectio*, prorrhet. 1. quâ ægris sopori gravi simile quid obvenit, fiuntque tum omnis sensûs, tum vocis expertes, 1. de dieb. decr. c. 4.

Cataplasma, compositio est pulti similis, ex aliquo farinæ genere, floribus, & aliquo humido, sive unctuoso, 3. de compos. medic. per gen. cap. 2. sive, medicamentum est molle, & consistentiâ mediocre, quòd repellendo, concoquendo, digerendo, resolvendo, laxando, vacuando, detergendo, calefaciendo, siccando, dolorique sedando adhibetur. Quæ crassiora siccioraque sunt, *Emplastra* & *Cerata*: quæ liquidiora, συγχρίσματα & *Vnguenta* appellantur.

Catapotia, id est, *pilulæ*, de remed. part. fac. cap. 6. κατάποτον aut καταπότιον, medicamentum quod devoratur, aut degluticur, neque diluitur, lib. 5. Epid.

Cataptosis, morbus non est, sed symptoma comitialium, attonitam concidentiam repentinam significans, lib. de tot. morb. temp. cap. 4.

Cataracta, sive *suffusio*, est pituita inter uveam, & crystallinum humorem coagulata, prohibens spiritum

visibilem ab oculo exire, & intrare, lib. de oc. part. 4. cap. 12. vel suffusio est, cùm cernendi facultas, deperditur, apparente, sive non apparente in oculis malo aliquo, & aut propriâ affectione molestatis, aut oris ventriculi, aut cerebri ex cognatione, & consensu, iisdem afflictis, 4. loc. aff. cap. 2. quam vocant Græci *Hypochyma*, 10. de usu part. cap. 1.

Cataſarca, vide *Anaſarca*.

Cataſchesis, dispositio est, quæ facilè discutitur; opponitur hecticæ dispositioni illi, quæ tenaciter inhæret, & habituata est fixa, firma, 3. loc. aff. cap. 2.

Cataſtaſis, *Constitutio*, apud Hippocratem dicitur collocatio cujusque rei in suam sedem. Idem etiam sic solet vocare omnem cujusque rei formam, ut scribit Galenus, sed peculiariter dicitur de aëre & morbis: Ac in aëre quidem est ejus præter naturam temperies. Quæ enim secundum naturam est ὥρα, hoc est, *anni tempus* dicitur, suntque illius quatuor differentiæ propriis temperamentis & nominibus designatæ: ver, æstas, autumnus, hyems, in quæ si aliqua præter naturam temperies inciderit, ea non jam ὥρα, sed κατάστασις propriè nuncupatur. In morbis verò κατάστασις vocatur quædam veluti forma morbi, secundum quam ex tantis & talibus constituitur universalibus temporibus, seu qualiscunque ex totius morbi temporibus compositio, ut docuit Galen. libr. 1. τ κρίσεων. Hæc autem non aliud est quàm totius morbi duratio circumscripta temporibus quatuor, quæ totius morbi tempora, seu universalia appellamus.

Catataſis, est ad inferna loca corporum tractio, quæ obitur partim organis tentoriis, è regione oppositis, partim transumptione in contrarium, nempe transmissis per rotulas principiis, quæ tentionem moliuntur, ac superiùs adnexis. Opposita huic est *Anataſis*, quæ est tentio ad loca superna per traductionem, libr. finit. ἀνατείνειν contentis esse viribus, firmis & integris, aut

contrà

contrà obniti & se erigere significat, quod totum Celsus per firma viscera complexus est.

Catarrhus, καταῤῥοος, seu *Defluxus*, est multorum humorum delatio ex cerebro, per palati foramina & nares, quæ in exitu unà cum flatu egrediente, strepitum quendam faciunt, libr. finit. Nascitur ejusmodi distillatio à cerebri intemperie frigidâ & humidâ, & ab omnibus quæ replent caput. vide *Coryza*.

Cathartica, seu *purgans facultas*, vel *medicamenta*, duo significant, alterum commune omnium, quæ quovis modo animalis excrementa expurgant; alterum, quod per excellentiam, de iis tantùm dicitur, quæ aut per vomitum, aut per ventris dejectionem purgant; neque ejusdem est generis cum iis, quæ per nares, aut vulvæ admota, expurgant. 5. de simplic. med. facult. cap. 20. Primi generis sunt quæcunque vel calfaciendo, vel humectando, vel crassa lentaque extenuando, & obstructa solvendo urinam mensesque movent, aut ex pectore sputa eliciunt, aut aliud aliunde vacuant. Secundi verò, quæ trahendi facultate vacuationem moliuntur, sive per alvum, sive per vomitum, sive per urinas, sive per uterum, seu aliâ quâvis ex parte. Quæ enim urinas mensesque movent aut sputa, tum quæ naribus purgandi gratiâ infunduntur, aut ore colluuntur, aut dentibus manduntur, si trahendi humoris vitiosi facultatem possident, eaque vacuationem perficiant, ejusdem sunt generis cum iis quæ per vomitum aut per alvi dejectionem trahendo purgant.

Cathemerina febris, id est, *quotidiana*; ita enim consueverunt vocare quidam Medici recentiores eam febrem, quæ singulis diebus accenditur, neque ullam habet intermissionem; ego verò (inquit Galen.) solitus sum eandem febrem *Amphimerinam continuam* appellare, nam *Cathemerinon* vocabulum, nusquam apud Græcos scriptum invenitur: omnem verò rem, quæ quotidiè eodem modo fit, *Amphimerinam* vocant: vo-

cetur itaque, quæ singulis diebus accenditur, & finitur febris, *Amphimerina*, id est, *quotidiana simpliciter*; quæ verò non intermittit, *quotidiana continua*, 2. de diff. febr. cap. 7.

Catheretica medicamenta sunt, quæ excrescentiam carnis ulceribus detrahunt, 5. de simplic. cap. 2. eisdemque cicatricem inducunt, ibid. cap. 15. Ea genere quidem & facultate σηπεδονικὰ, hoc est, putrefacientia sunt, sed multò tamen iis imbecilliora. Siquidem extimam modò superficiem quam contigerint, detrahunt; ut sunt testacea omnia usta. vide *Septa*.

Catheter, est fistula cannulave urinaria, cujus extremum aliquo cataplasmate, linimento, aut oleo illinimus, & ad removendam urinæ suppressionem, virgæ immittimus; ad Thrasib. capit. 23. Sive, est instrumentum chirurgicum cavum, & alterâ parte recurvum, quo urina retenta elicitur, & vesicæ vitia probantur. ἀπὸ τοῦ καθιέναι, id est, ab *immittendo*, sive *infundendo*, quod eo instrumento in vesicam injici solent quæ injicere expediat, Galen. lib. 5. meth. med. Cæterum καθετὴρ ab Hippocrate non pro eo instrumento usurpatur, sed pro linimento torto quòd intra ulcera inditur, ut Galenus annotavit.

Καθετηριασμὸς, est administrationis chirurgicæ ratio, quâ injicimus per Catheterem in vesicam id quòd ad ejus curationem convenit: vel eximimus id quòd impedit ne urina reddatur, sive concretus intus sit sanguis, sive calculus, sive aliud quippiam, recto siphone immisso, quem Græci καθετῆρα vocant.

Cat' ixin, seu secundum rectitudinem, eruptio sanguinis est, cùm sanguis è directo loci affecti, effluit, & emittitur, lib. de cur. rat. per sang. miss. 15.

Catoche, qui & *Catochus*, vigilans sopor est, 3. loc. aff. cap. 5. estque solius Cerebri affectus, veluti & per totum corpus convulsiones, com. 3. in 1. prorrhet. 69. Aliter est insomnium, sed sine somno & febre, propensio,

penſio, per quam & oculi manent aperti, & ſervatur ſecundum naturam ſpiratio. Eo qui detinentur κάπῳοι & καπηφόροι dicti ſunt. Habent autem tenſos apertoſque oculos, non ut comatoſi & cataphorici clauſos. In his ſiquidem humiditas affectionis cauſa eſt, nervorum firmitatem roburque diſſolvens: in illis verò propter ſiccitatem tenſio oritur. Galen. com. 2. in 1. prorrh. Eſt quoquo *Catochus* faſcia longior, quæ in orbem faciei, & capiti circumdatur, ut operculum comprehendat, lib. de faſciis. Καθολικὸς autem appellatur faſcia oblonga, quæ capitis totum vinculum quod ἐπιχειρίσμα dicitur, continet, & prohibet ne ipſum vinculum diducatur. Galenus de faſc. vide *Catalepſis*.

Catoterica medicamenta, κατωτερικὰ φάρμακα, quæ & *Hypelata* Græcè dicuntur, ſunt medicamenta dejectoria, quibus renes, veſica, & gibba hepatis, cum multo vitioſo ſucco ſunt referta, expurgantur, ſin mediocri, per urinales meatus, ut Cava jecinoris & inteſtina, dejectione, tantum ventriculus autem vomitu dejectioneque inanitur, 7. meth. 13.

Cava vena (ſic appellata, quòd venarum omnium, quæ per corpus animalis diſſeminantur, latiſſima ſit, & capaciſſima, 4. rat. vict. 27.) eſt vena magna à gibbis hepatis orta, libr. de ven. & arter. diſſect. cap. 2. per quam hepar, ex particulis, quæ ad ventriculum attinent, attractum, alimentum, & in ipsâ hepatis ſubſtantiâ elaboratum, in omnes ſuperiores corporis partes diſtribuit, 4. de uſu part. cap. 13. quæ à convexis jecoris partibus orta, tum *cava* propter ſui magnitudinem, tum *jecoraria*, à viſcere unde egreditur, nominatur, 8. de plac. cap. 1. Nec verò à jecinore ſolùm hæc vena quæ à gibbis hepatis egreditur, ſed alia etiam, quæ à ſimis & concavâ ipſius parte, quam *portas* vocant, (unde & *vena portæ* appellatur) promanat. 4. de uſu part. cap. 13.

Cauda, vide *Coccyx*.

Cavernosa ossa, foraminulenta, Ithmoeidea, & spongiosa, seu *spongoeidea*, sunt ossa quædam parva supra nasi radicem, ante meningas in meatu olfactorio posita, à Cribri, vel Spongiæ similitudine sic dicta, 8. de usu part. cap. 7. vide *Ossa Ithmoeidea*.

Cavernosum nervum appellant *Penis colem*, à quo *Penem*, & ipsum totum nervosum dicunt. *Coles* enim in marium genitalibus, & uteri cervix quoniam extendi, & in se rursus retrahi, & subsidere videntur, *nervosum* proinde dicunt, com. 1. in 6. de morb. vulg. 2. dicturque *flatuosus*, & *fistulosus*, 6. de loc. aff. 6.

Cauledon, Καωληδὼν, hoc est, *caulis*, in morem fractura facta, est species fracti ossis, quæ fit per transversum, in quâ fracti ossis partes ita à se dissident, ut è directo non jaceant, 6. method. 5. Paulus Ægineta author est τὸ καωληδὲς κάπασμα dici etiam ῥαφανηδὲς, & σικυηδὲς, à similitudine fractæ radiculæ & cucumeris; vide *Schidacedon*.

Caulos, id est, *pudendum virile*, 14. de usu part. c. 12, quòd vulgò *Virgam* appellant, & *Penem*. Sic etiam Ostium uteri vocatur in mulieribus. Dicitur in Plantis & Oleribus *Scapus*, & in altum surgens veluti Virga.

Causa morbi, est id, quo præsente afficimur, & quo sublato, statim cessat affectus, 1. de loc affect. cap. 2. aut quod ei, qui fit morbo, aliquam generationis partem tribuit.

Causæ præincipientes, vide *Febres putridæ*.

Causæ præcedentes, vide *Febres putridæ*.

Causodes febris, id est, *Incendens*, 1. aphor. 12 quam etiam *Causon* vocat, id est, *Febrem ardentem*, 1. de cris. cap. 4. vide *Continua febris*.

Causos, vide *Causodes*, *Continua*, & *Synocha*.

Causos legitimus, qui ex redundante flavâ bile fit; *Nothus* verò, qui ex putrescente crassâ pituitâ, 4. de rat. vict. 13.

Cau-

Unable to display this page

Scroto colligitur, *Hydrocele*, id est, *Ramex aquosus* nuncupatur. Quum autem caro dura intra testium tunicas concrescit, *Sarcocele*, hoc est, *Ramex carnosus* dicitur. In summâ, nomen semper à rebus opplentibus, & in tumorem sublatâ à parte accipiunt. Proinde, si *Omentum* in *Scrotum* devolvatur, *Epiplocele*, hoc est, *Ramex Omenti* nominatur; sic, ubi venæ ultra modum repletæ, ac dilatatæ glomerantur, *Cirsocele*, id est, *varicosus Ramex* vocatur.

Celer pulsus est is, cùm celeriter, & brevi tempore arteria distenditur, fit, 1. de diff. puls. cap. 7.

Cenchrias, κεγχρίας, alterum est herpetum genus, quod à similitudine, quam habet cum Milio, *Cenchriam* vocant, (κέγχρος enim Milium, semen panico simile significat) humores mistæ facultatis, bilem scilicet, & pituitam continens, quæ non protinus ulcus faciunt, quemadmodum bilis sincera, sed admodum exiguas pustulas ad speciem Milii, quæ tamen & ipsæ interposito spacio, in ulcus transeunt; diciturque etiam *Herpes miliaris*, 14. meth. 17. vide *Herpes*.

Ceneangia propriè & primùm vasorum inanitionem significat, atque ob id *Asitia*, id est, *ciborum abstinentia*, *Keneangia*, id est, *vasorum inanitio*, sæpiùs dicitur, tanquam nomine generis etiam in specie homines omnes uti consueverint, 2. rat. vict. 47.

Ceneon, vide *Ile*.

Cephalæa, Cerebri morborum symptoma, est capitis diuturnus dolor, difficulter solubilis, qui à parvâ occasione vehementes habet accessiones, ita ut neque voces aut motum tolerare possit infirmus, sed tranquillitatem, obscurumque cubiculum quærat, ob doloris vehementiam, cùm nonnulli veluti malleo se percuti, alii caput sibi contundi distendique sentiant, non paucis ad oculorum radices dolor extendatur, (quod signum est Cerebri membranas dolore affectas esse. Nam quandoque in Pericranio tantùm est, qui in superficie

perficie solùm hæret dolor,) suis intermissionibus circumacti, non secus ac qui *Cephalalgiâ* laborant, sed in *Cephalæâ* affectæ partes redduntur multò debiliores, quàm in *Cephalalgiâ*, 3. loc. aff. cap. 9.

Cephalalgia, est dolor capitis, nec diuturnus, nec vehemens, nec cum magnâ capitis imbecillitate conjunctus, sed qualis à crapulâ, à Sole, à labore, aut febribus excitari solet, vide *Cephalæa*, 2. com. med loc. c. 2.

Cephalica vena, quæ & *Humeralis*, sive *Humeraria* dicitur, ramus est venæ cavæ ad jugulum ascendentis, ibique ad furculas divisa, altera pars humero superposita ad manum tendit, unde & *Cephalica* dicitur, lib. de anatom. viv. vide *Humeraria*.

Cephalica emplastra, capitis fracturarum, quæ usque ad crassæ meningis duplicaturam pervenerunt, accommodata sunt pharmaca, quorum virtus est, ut ossium squamam sursum attrahant, & in pristinum locum revocent, & fragmenta tum ex capite, tum ex aliis corporis ossibus, educant. Nonnulli communi genere hæc etiam vocant *Catagmatica*, propriè verò nuncupata *Cephalica fortiora* sunt, si quidem ex alto superficiem extimam non ossa modò, sed his multò quoque magis, humorem aliquem crassum, & viscosum, vel omnino depravatum suâ caliditate attrahunt, 2. de comp. med. per gen. cap. 18. Horum materia est *Iris Illyrica*, *Ervi farina*, *Manna* sive *purgamentum thuris*, *Aristolochia*, *Cadmia elota*, *Squama æris*, & omnia quæ extergere citra morsum possunt. Similiter adhuc medicamentum siccum, quod carnem producat, *Cephalicon* vocant, method. 2.

Cerææ, mulieres sunt, quarum uterus propriis ex morbis (tum qui in processibus ejus supernis, & lateribus consistunt (Κηραίας Græci vocant) tum qui in collo aut fundo, aliquando quidem plura quàm prius, vel pauciora, vel nulla, vel mala emittit menstrua, 3 de sympt. caus. cap. 4.

Ceratoeides, κερατοειδὴς χιτών, cornea, seu corniformis tunica vel membrana oculi secunda est, à durâ meninge orsa, (tunicam choroeidem complectens) crassa admodum, sed parte ejus media tenuissima, & densissima, splendida ad splendorem recipiendum, & transmittendum, cornibus admodum extenuatis similis; unde eam à cornu similitudine *Ceratoeidem*, *Corneam* & *Corniformem* appellant, 10. de usu part. cap. 3. vide *Rhagoeides tunica.*

Ceratomalagmata, nonnulli Medicorum, nomine à solâ consistentiâ desumpto, vocant medicamenta, quæ corpori imponuntur, non omninò quidem humida, siccitatem verò tantam nec dum consecuta, quantam emplastra possident, 7. de comp. medic. lib. cap. 11.

Cercù, κερκὶς, *radius*, à figurâ rotarum parvarum radios imitante. Est os alterum cubiti superius, sed minus & brevius; vide *Cubitus*. Κερκὶς significat etiam pistillum, quod sæpè & δοιδὺξ, *cochleare* aliàs significans; itemque τριβήδιον atque ὔπερον à Græcis Medicis appellatur.

Cerchnos, est exiguus quidam ad tussiendum impetus, & conatus, non tussis; sed veluti nauseæ vomitiones præcedunt, ita tussim hoc symptoma; Atque ut nonnulli nauseârunt quidem, non tamen vomuerunt, ita nonnullis Cerchnòs incidit, nec tamen tussis propter causæ parvitatem est secuta, 2. de sympt. caus. cap. 4. nam sæpè ex parvâ faucium aspredine κέρχνος fit. Sæpè verò ex tenui aliquo exiguoque prorsus humore, sive is à capite descendat, sive in asperis arteriis collectus sit. Sic autem appellatur ἀπὸ τῆς κέρχνης. Significat enim ἡ κέρχνος apud Ionas idem quod ἡ κέγχρος, *milium*. Itaque cùm in faucibus, asperitates quædam parvæ veluti granorum Milii sentiuntur, id τὸ κέρχνον nominant, à quo κερχνώδης dicitur, quod fauces exasperat, & exiguam tussim movet, Galenus comment. 3. εἰς τὸ περὶ ἄρθρων.

Cerea-

Cerealium appellatio, in toto eorum genere est usitatior, quòd legumina vocant, lib. de attenuan. victus rat. cap. 6.

Cerebellum, posterior est Cerebri pars, ex multis & parvis corporibus coagmentata, quæ à nonnullis, *Encranion*, vel *Parencephalis*, vel *posterius Cerebrum* dicitur, 9. de anatom. admod. cap. 2. estque spinalis medullæ principium, & ejus ratione nervorum omnium, qui in toto animali sunt actívi, fons & origo, libr. tegu. cap. 11. Totum namque cerebrum in duo divisum est, anterius & posterius, sed supernis tantum partibus. Nam sua basi continuum est, non sibi modò, sed spinali etiam medullæ, & per hanc cerebello. Durius autem sicciusque est reliquo cerebro, quòd quo ulterius procedit, eo siccius evadit: colore quoque diversum est; nam cùm reliquum candidum sit, cerebellum velut ustione quâdam subflavium est, & plenum animali spiritu, quem nervis duris à spinali medullâ prodeuntibus impertit.

Cerebrum, quòd Græci à situ *Encephalon* appellant: (nam nominatur ita, quod ἐν τῇ κεφαλῇ, hoc est, in capite situm habet) animæ ratiocinatricis est domicilium, nervorum, & sensûs omnis, motûsque voluntarii principium, substantiâ nervis simillimum, nisi quod mollius; nam id illi conveniebat, ut quod sensus quidem omnes recipit, omnesque imaginationes, atque mentis notiones complectitur, 9. method. & 8. de usu part. Substantia ipsius glandularis est alba, veluti è spumâ quâdam concreta, & humida, lib. finit. Anterior cerebri pars duplex quoque statuitur, dextra & sinistra, duosque sinus seu ventres habet, dextrum & sinistrum, qui à corpore calloso, quod πυλοειδὲς dicitur, dirimuntur. Hi posteriore sui parte in tertium sinum mediocrem sub psalloide concurrunt, à quo meatus est longus τοῖς γλουτοῖς, id est, natibus (ita enim ob similitudinem quandam vocant) subditus, qui

qui in sinum alium quartum, omnium postremum minimumque inter cerebelli basim spinalemque medullam situm, incidit.

Cerelæon, compositio est ex cerâ, & oleo, 7. de compos. med. per gen. cap. 2.

Cerion, id est, *Favus*, ulcus parvum in capite est cum tumore, ex cujus foraminibus crassior sanies, & quasi mellitus humor profluit, libr. de tumor. cap. 15. & 1. de comp. med. loc. cap. 8. Itaque tum ob foraminum figuram, tum propter excreti humoris speciem κηρίον, id est, *Favus*, appellatur, & alio nomine μελικηρίς. Ætius libr. 6. Differt foraminum magnitudine ἀπὸ τῦ ἀχώρου, qui ulceris etiam in cute genus est, sed minimis foraminibus præditum, per quæ humor dimanat. Cæterum κηρίον frequenter in musculosis partibus, in articulis & plantis pedum oritur: sæpè etiam sextam colli vertebram occupat, & aliquando etiam costas invadit. Si verò in capite generatur, primum reliquis partibus, deinde calvariæ etiam putredinem transmittit, ut sæpè dissecto pericranio, os ipsum deradere conveniat. vide *Melicerin*.

Certatoriâ, hoc est, agonisticâ aquâ frigidâ uti dicuntur illi, quibus ea & affatim, & frigidissima exhibetur, lib. de marcore, cap. 8.

Cervix, vide *Spina*. Dicitur & Cervix, tenuis ossium processus, lib. de ossibus, in procem.

Chalastica, id est, *relaxantia*, seu *remittentia*, vocamus, quæ modicè calefaciunt, quorum usus est, ut conniventia, astrictaque corporis laxent, flatuosum spiritum tenuent, & phlegmones materiam digerant, 13. method. 5. Medicamina induratorum corporum, quæ ipsorum solvunt duritiem, *Malactica*, hoc est, *emollientia*, dicuntur: quæ autem tensioni medentur, *Chalastica*, 7. de compos. med. per gen. cap. 9. Cùm autem tensio multis contingat modis, non videtur una esse laxantium species, sed alia humectando laxant,

alia

alia calefaciendo, alia molliendo, alia vacuando, alia tumores præter naturam purgando, alia aliud quippiam faciendo. Attamen si universalem quandam horum omnium substantiam constituere licet, ea certè erit ex genere modicè calefacientium. Præcipuas in eorum ordine tenet partes *Oleum chamæmelinum*, item, *Adipes*, *Butyrum*, *Oesypus*, & reliqua quæ intra secundum gradum calefaciunt. Verùm Methodici multò longiùs τῦ χαλαστικῦ nomen extendunt, ut docet Galenus, ad omnia remedia significanda quibus astrictus affectus, quo unà cum fluente humore omne morborum genus comprehendebant, curaretur. Itaque & venæ sectionem χαλαστικὴν esse præsidium asserebant, & omnia similiter purgantia medicamenta, vide *Relaxantia*.

Chalazia, id est, Tubercula instar grandinis (quæ χάλαξα dicitur) in palpebris, quæque *Posthias* Græci nominant, si quando in iis lentus quidam humor concreverit, 4. de comp. med. loc. c. 7. estque morbus ex vitiis, quæ oculos infestant, cum toto genere præter naturam aliquid peccat, 14. method. 19. Sunt, ut ait Celsus, Tubercula parva in palpebris mobilia, simulatque digito huc & illuc impelluntur, condunturque aliquando sub cute, nonnunquam sub cartilagine, non dissimilia χελώναις, sed non figuræ ejusdem. Sunt autem rotunda & pellucida, ideoque grandini similia, iisque dissectis humor manat candido ovi similis. Dicitur & hic affectus χαλάζωσις ἐν τῇ εἰσαγωγῇ. Sic etiam nominatur vitium quoddam in suis ore, sub linguâ, Ath. l. 3.

Chemosis, morbus oculi est, quando album oculi tumefactum circulum Iridis adeò excedit, ut & nigrum, oculi concavum videatur, lib. de anat. oculi. Alibi, *Chemosis* ex vehementi inflammatione, utrasque palpebras in exteriorem partem detorquet, ita ut totus oculus contegi non possit, lib. introd. cap. 15. Ergo, cùm nigrum cavum sit & subsidat, album undique tumeat

&

& attollatur, non ineptè veteres Medici malum hoc τ̃ χάσμης nomine designarunt, sive illi eo animal intellexerint, quod inter ostrea nominatur, hiatque semper; sive simpliciter hiatum qui χάσμη & χάσκω dicitur. Cæterum affectum hunc duo maximè symptomata consequuntur; unum, rubor oculorum propter inflammationem; alterum verò, palpebrarum, ut ait Paulus ἐκτροπή, hoc est, *perversio*, sive *contorsio*, ita ut oculos tegere claudereque nequeant. Tumor enim oculi impedit, quo minùs palpebræ adduci committique possint: itaque laborantes oculi perpetuò manent aperti. Scribendum est autem χάσμωσις non χάσμωσις, ut vitiosè multis in codicibus legitur, quia, ut dixi, derivatur ἀπὸ τ̃ χάσμης, uti Galenus testatur ἐν τῷ ἰατρῷ, seu quicunque alius author est.

Chion, χίων, idem prorsus quod χιονὶς, hoc tantum interest, ut ait Gal. quod τ̃ χαρχαρεῶνα Veteres χίονα, posteriores autẽ χιονίδα appellarunt, vide *Cion*, & *Staphyle*.

Chironia & *Telephia*, species ulcerum sunt malignorum, oras habentia duras, callosas, & tumentes, lib. de tumor. cap. 13. Tria tantum ulcera propriam habuere appellationem, *Anthrax*, *Phagedæna*, *Herpes*; cætera omnia, communibus deteriora, per se ipsa soleban antiqui ulcera simpliciter *chironia* nominare, quæ in longum tempus protrahuntur, cùm ne quidem posmultum tempus fuerint, ad cicatricem producta, rursusque influente Ichore, ex osse corrupto, in parte penitiore inflammantur, & pus generant pessimum, aquo cicatrix eroditur, & caro exulceratur, 6. aph. 45. Inveterata ulcera, & dysepulota, hoc est, cicatricem ægrè ducentia, *chironia* nominant, 4. de comp. med. per gen. Dicuntur autem partim *Chironia*, ab eo nempe Chirone, qui primum ea sanavit; partim ab ipsis qui iisdem sunt affecti, ut Telephium, 2. meth. 2.

Chirurgia, id est, *manualis operatio*, 6. method. Inde *Chirurgica* ea est medicinæ pars. quæ manu me-

detur

detur, 3. de comp. med. per gen. cap. 2. χειρεία, vel χειρουργικὴ, pars est τῆς θεραπευτικῆς morbos, qui in solutione continui, aut in partium externarum immoderatione consistunt, tollens sectione, ustione, restitutione in naturalem situm, & medicamentis foris appositis. Sectione enim & ustione tollit quod redundat, luxata & fracta ossa reponit in locum naturalem. Ulcera medicamentis deterget, carne implet, & cicatrice obducit. Quibus in rebus tria sibi maximè proponere debet Chirurgus, tum ut brevi curet, tum ut curet citra dolorem, tum ut maximè tutò. Ac rursus ut tutò curet, tria potissimum considerabit: Unum primumque ut absolutionem operis consequatur; alterum, ut si cubi hanc non consequatur, saltem curandum non lædat; tertium, ut vitium non revertatur facilè. Hæc enim qui præstiterit, meritò optimus Chirurgus censebitur.

Chloron, id est, *pallidus & æruginosus color*, 2. prognost. 20. χλωρὸν duo significat, interdum quidem viride, ut cum brassicam χλωρὰν dicimus. Quod coloris genus, ut scribit Galen. comment. 1. in progn. rubro nigrius est, & veluti principium quoddam nigri & livid. Provenit à frigiditate, ut & color niger, sed longè minori, Interdum verò pallidum, quod propriò ὠχρὸν dicitur, ex loquendi quâdam consuetudine Asianis Græcis familiari, qui aliquos pallore suffusos videntes, quærere solent quâ de causâ χλωροὶ evaserint, non arbitrantes χλωρὸν atque ὠχρὸν ab invicem differre, ut notavit Galenus, comment. 2. εἰς τὸ περὶ διαίτης ὀξέων. Hinc *Chlorosis*, quæ partim de morbo, febre pallidâ, uteri vasorum oppletione; partim de symptomate, discoloratione universi corporis habitus virginum nubilium, ex utero ægrotantium usurpatur.

Choana, Infundibulum, Scypho, Pelvis, Pyelos, significant, dictum, canalem seu cavitatem quandam, in quam meatus cerebrum expurgantes in palatum desinunt

nunt, usque ad adenis ventriculum, 9. de usu part. cap. 3. quæ vulgò *lacuna* dicitur. Aliàs, *Choana*, χοάνη, seu χόανος, à χέω, id est, *liquefacio, diffundo*, vas dicitur ex argillâ, quo argentarii & chymici utuntur, infundendis ac liquefaciendis metallis.

Chœnicidas, instrumenta quædam vocant, quibus in Calvariæ fracturis utimur, 6. meth. 6.

Chœras, id est, *Struma*, sæpè propter ulcus quod in manûs, aut pedis digito fit, glandulæ in inguinibus & alis, tùm intumescunt, tùm phlegmone occupantur, quin etiam in collo, & secus aures, sæpè glandulæ iis (quibus in collo, capite, vel aliquâ vicinâ parte ulcus est natum) intumescunt: nominant autem ipsos adenas, cùm sic intumuerunt, *Bubones*, quòd si scirrhosior earum partium phlegmone aliquando fuerit hæc & ægrè sanabilis redditur, & *Chœras*, id est, *Struma*, dicitur, 13. method. 5. Oritur non ex calidâ quidem materiâ, neque ad suppurationem tendente, sed pituitosiore & frigidiore, qui subinde affluens, Strumam non modò duram, sed miræ etiam magnitudinis aliquando excitat. Omnis autem Struma includitur membranâ, uti Steatoma, Atheroma, & Meliceris. Dicitur autem χοιράς, vel ἀπὸ τῶν χοιράδων τῶν ὑπὸ τὸν λάρυγγα, vel à porcis, in quorum gutture frequentes ejusmodi tumores reperiuntur. Alii verò à multiplici partu porcorum, nomen desumptum putant.

Cholagoga, id est, bilis eductiva medicamenta, 4. aphor. 2.

Choledochos, id est, *vesica bilis receptiva*, quam etiam *Iecoris vesicam* nominant, libr. 6. de anatom. admod. cap. 2. Eandem etiam *Cystim bilis*, id est, *Vesicam bilis susceptricem* vocant, 4. de usu part. capit. 12. & *fellis folliculum*, 5. de loc. affect. capit. 7. Est autem κύστις χοληδόχος, vesica in cavis jecinoris sita, inter venam portæ & cavæ radices, bilem ex jecinore attrahens. Constat simplici tunicâ, villos habente intus rectos

nec

nec ita multos, foris transversos, & medios horum obliquos. Ac rectis quidem bilem trahit ex hepate, obliquis retinet, transversis verò expellit. A collo enim suo stomachos habet duos; unum in hepar inter venæ portæ & cavæ radices, numerosis surculis distributum, quibus bilem in se allicit; alterum verò rarò geminum, sæpiùs simplicem in ecphysim delapsum, quo in ipsum & intestina bilem flavam expellit, eversâ facilè geminâ membrana ejus osculum in ecphysi claudente. Maximo illa hepatis lobo dimidia mergitur, reliquam simæ hepatis tunica tegit ad venæ portæ exortum, à quâ venulas duas, quas κυστικὰς quibusdam appellare placuit, & à vicinâ hepatis simæ arteriâ arteriolas in imum usque fundum admittit. Recipit verò etiam una portionem quandam nervi, qui à sectâ conjugatione per costarum radices dextrâ parte ad partes ventris inferni pervenit.

Cholera, id est, *biliarù*, 1. progn. 25. est acutus affectus, cum vomitibus bilios multis, alvique dejectionibus, Suris quoque se contrahentibus, ac frigescentibus extremitatibus, fiuntque in his ægris pulsus minores, & obscuriores. *Cholera* duplex est apud Hippocratem; altera, *humidâ*, in quâ, ut omnes norunt, vehemens est excretio bilis suprà infr que erumpentis, intestina graviter torquentur, accedunt convulsiones, sæpè etiam crurum Suræ contrahuntur; alteram, *siccam choleram* vocat Hippocr. ab eâdem provenientem causâ, ac circa eadem consistentem, at citra ventris fluorem, & vomitum, lib. finit. Hic morbus ex continuâ ciborum cruditate proveniens quibusdam accidit certis intervallis, omnemque corporis redundantiam educit, unà cum vitiosis humoribus, magnam quoque bonorum partem evacuans: tantus est impetus, tantaque vis erumpentis humoris biliosi χολερικοὶ seu χολεροῦντες dicuntur à Medicis, cholerâ morbo laborantes. Nomen habet non tam à χολὴ, quam à χολὰς,

id est, *intestinum*, per quod materia ex ventre egeritur.

Chondros, id est, *Cartilago*, 7. de usu part. cap. 3. pars corporis omnium, post os, maximè terrea & solida, sensus expers Communi autem significatione dicitur *Granum*, & quod seorsum ex aliquo concrevit, ut *salis frustum*, aut *grumus*, & *thuris mica* seu *granum*, quòd χόνδρος λιβάνου à Medicis appellatur: Quod & à Latinis *Alica* dictus sit χόνδρος, nemo Doctorum ignoravit: tam consentiunt omnia inter se quæ Græci περὶ χονδρου, Latini de *Alicâ* prodiderunt.

Chondrosyndesmus, id est, *cartilagineum ligamentum*, 1. de temp. cap. 9. Hinc & συνχονδρωσις, unio ossium, cartilaginis interventu facta.

Choræ, χωραι, id est, *regiones oculorum*, seu *cavitates*, quæ superciliis subjacent, 8. de usu part. cap. 6.

Chorion, id est, *secundina*, est membrana extima fœtûs vulvæ prægnantis mulieris adhærens, multarum venarum, & arteriarum contextu, intervalla membranis obducta habens, cui duæ aliæ membranæ interiùs adnascuntur: Altera, quæ *Amnium*, id est, *Amiculum*, dicitur, toti fœtui circumjecta: Altera, quæ *Allantoeides*, id est, *Intestinalis*, eminentibus tantùm partibus, capiti, natibus, pedibus, duplex superjecta, libr. de vulvæ diss. cap. 10. quæ Arabicis *Abgas*, *Camisia fœtus*, & *profundatio sudoris* dicitur, libr. de anat. viv. χοεῖον augetur unà cum fœtu, cumque utero extenditur, ac fœtum totum involvit, etiam quâ os est uteri, ut scribit Galenus. Dicitur ἀπὸ τοῦ χορεῖν, quod in eo vasa, veluti in choro disposita sint. Sunt tamen qui χωεῖον per ω scribant, quod fœtus veluti domicilium & sedes sit: vel quod unà cum fœtu χωρεῖ, id est, *procedit*. Dicitur alias δευτεῖον, id est, *secundæ*, ut scribit Paulus, libr. 6. cap. 75. Quo tamen nomine non extima modò fœtus membrana, sed totum etiam fœtus involucrum tribus membranis compactum significatur.

Cho-

Choroeides plexus (qui & *Retiformes*, & *Reticulares* dicuntur, vide *Plexus retiformis*) sunt convolutiones membranarum cerebri, ex multis venis & arteriis, secundarum instar effigiatæ, nomine ἀπὸ τοῦ χορίου, id est, *membranâ deducto*, quæ fœtum extrinsecus in orbem ambit, 9. de anatom. adm. cap. 3. Constituitur autem prope medium cerebri ventriculum, 9. de usu part. capit. 7. Dicitur adhuc & tenuis cerebri membrana *Choroeides*, id est, *secundi formis meninx*, 8. de usu part. cap. 9. eò, quod cerebri vasa non aliter sustineat, quàm τὰ χορίου vasa ad fœtum pertinentia complectitur. Dicitur & *Choroeides*, oculi tunica, corpus quoddam retiforme, quasi tunica, (*Amphiblestroeides* dicta) humorem vitreum oculi ambiens, quod ex portione tenuis meningis, & ipsius quasi cerebri supernè descendente, atque amplificatâ, est conflatum reti simile, quod retiforme corpus, à *Choroeide*, id est, *tenui meninge*, quæ illi supernè committitur, continetur; unde tunica oculi *Choroeides* dicitur, 10. de usu part. cap. 2.

Chorda, est membrum, ab extremitatibus musculi ortum habens, ad similitudinem Chordæ arcus effecta. Est autem *Chorda* idem quod *Tendo*, non quod *ligamentum*, 6. aphor. 46. & libr. de anat. viv.

Chordapsus, *Ileos*, seu *Volvulus*, est tumor eminens, in tenuium intestinorum parte internâ, ut videatur intestinum ad similitudinem Chordæ obvolutum, vel ab inflammatione, vel obstructione aridi stercoris, graviter ægros vomitionibus crucians, adeò, ut nonnulli stercus quoque evomere conspiciantur. Hinc *Stercoraria* etiam dicitur *Vomitio*, & *Miserere mei Domine*, 6. de loc. affect. Dicitur autem χορδάψος, quod qui manum loco dolenti admoverit, is veluti τὴν χορδὴν ἅπτεται, id est, videtur sibi Chordam tangere, propter magnam ex intestini inflammatione tensionem, vide *Ileos*.

Chronicæ ægritudines, id est, *longæ*, de part. art. med. cap. 7. vide *Polychronius*.

Chrysitis, χρυσίτις γῆ, terra est aurea, in quâ parvis terræ particulis immistæ sunt parvæ auri partes, quæ ab igne in fornacibus fusæ secum coëunt, 5. de simpl.

Chylus, est hordei lactisve cremori analogus succus, albicans ex assumptis cibis, nativi caloris vi elaboratus, partim tenuioribus portionibus, partim crassioribus constans, ex ventriculo per mesaraeas in jecur, ut ibi sanguinis formam consequatur, transmittitur, lib. de atrâ bile, cap. 3. Ejus generatio χύλωσις dicitur, ventriculi propria actio, per quam cibus in Chylum mutatur.

Chymethla, id est, *Perniones*, 6. simpl. vide *Perniones*.

Chymosis (quæ & *Chemosis*) est utriusque palpebræ distortio, ex inflammatione oborta, 4. de comp. med. loc. cap. 4. Est item *Chymosis*, rubra, carnosaque corneæ oculi pelliculæ inflammatio, lib. de remed. part. fac. vide *Chemosis*.

Chymus, est nutrimentum, seu humor ad nutrimentum animalis in hepate præparatus, depositis excrementis. 4. de usu part. Atqui Antiqui *saporem* vocaverunt *Chymum*, id est, *liquorem*, lib. de ocul. part. 2. cap. 1. *Chymi* autem appellatio apud Hippocrat. semper humoribus corporis destinata est, ex quibus nos constituimur, sanguini inquam, nutrimur, & fovemur, pituitæ, & duplici bili flavæ & nigræ: Apud Platonem verò, & Aristotelem, gustabilis qualitas quævis nobis insita, *Chymus*, id est, *Sapor*, nominatur, lib. finit. χυμὸς itaque communi significato omnem humorem designat coctione quodammodo incrassatum, tam in animantibus, quàm in plantis: Inde ἀγαθόχυμα & κακόχυμα nomina deducta sunt. Quibus ea designantur, quæ humorem bonum malumve, hoc est, nutriendo corpori servandoque aptum aut incommodum continent: In quo nihil differt χυλὸς ἀπὸ τοῦ χυμοῦ. Sed peculiari

culiari quâdam significatione χυμὸς appellatur ipsa gustandi facultas sive qualitas, quam *Saporem* vocant. Hic autem non aliud est, quàm partis siccæ terrenæque in humore permistio, vel partis siccæ per humorem vi caloris percolatio: efficitur enim Sapor permistione quâdam.

Chyphosis, id est, *gibbositas*, (quam etiam *Chyrtosin*, id est, *Incurvationem*, dicunt) est distortio spinæ in posteriorem partem, ut in anteriorem *Lordosis*, λόρδωσις dicitur. Galenus scribit, Hippocratem κυφὸς solitum nominare, quos omnes κυρτὸς appellant. Est autem κύφωσις vitium spinæ, quod à casu, ictu, & tuberculis, anteriorem thoracis partem distendentibus, pulmonemque prementibus aliquando contingit, ut docet Galen. comment. ejus aph. quo scribit Hipp. gibbos ex asthmate aut tussi factos, ante pubertatem mori.

Chyrtosis, vide *Chyphosis*.

Cicatrix, οὐλὴ, ab Hippocrate nunc sumitur pro ipsis ulceribus, nunc pro consolidatione ulcerum, caro callosa, pro cute inducta, ubi vulneris, quod jam coïvit, hiatus fuerat, 1. de artic. 56. Particulatim autem *cicatrix oculi* appellatur, ubi nigro oculi ex alto ulcere, membranæ crassities supervenit, & color albior apparet; quæ *Cicatrix*, si sit & major, & crassior ex ulcere Iridis nata, dicitur *Albugo*, lib. Introd. cap. 15. vide *Albugo*.

Cilia, extremæ illæ palpebrarum partes sunt, quæ in somnis clausis oculis simul committuntur, quæ & *Tarsi* nominantur, lib. Introd.

Cingentes, sive *Succingentes*, membranæ simplices quædam tunicæ sunt, telæ araneorum similes, (membranæ quidem ab essentiâ, tunicæ verò ab usu nuncupantur,) quæ totam utramque thoracis regionem internam subcingunt, vocanturque in costis *Cingentes*, Græcè *Hypezocotes*; ubi verò rectà ad jugulum perferuntur, *Intercipientes*, Græcè, διαφραγλοντες, (medium

thoracem latera duo distrahentes) ubi pulmoni circumhæreſcunt, hujus operimentum ſunt; quarum baſis ſupernis partibus ſepti tranſverſi objicitur; inferioribus autem alia quædam membrana, huic perſimilis ſubſtrata, quæ *Peritonæi vertex*, & *principium*, jure optimo nuncupatur, 6. de anat. adm. cap. 8.

Cinumenus, κινούμενος, id eſt, qui movetur, morbus eſt, qui diverſis horis ſemper accedit, ac remittit. Contrarii hujus ſunt affectus ἰσῶντες, iiſdem horis ſubinde accedentes, & remittentes. Illius ſpecies duæ: *Anticipans*, & *longiùs emanens*, προληπτικὸς, καὶ ὑστερικός. Ille qui prævenit, citiùſque horas perſolvit, *Proleptic us*, ſive *Anticipans* dicitur; qui tardat, *Hyſtericus*, id eſt, poſteriùs invadens, lib. de Typis, cap. 3. Κίνησις omnem motum ſignificat, & pro abſurdâ in ægris motione ſumitur, cùm aut mente turbati, aut incontinentiâ corporis vexati, inordinatos & temerarios motus exercent, μετακλιτικῶς que jungitur. In Coac. prænot.

Cion, hoc eſt, *Columna*, idem prorſus quod κιονὶς. Hoc tantùm intereſt, ut ait Galenus, quod τὰ γαργαρεῶνα, Veteres κίονα, poſteriores autem κιονίδια appellarunt. vide *Gargareon*, & *Staphyle*.

Cionis, vide *Staphyle*.

Circuitus, ſive *Periodus*, eſt tempus intentionum & remiſſionum in morbis quæ fiunt: ut Typus eſt ordo earundem intentionum & remiſſionum, lib. de Typis, cap. 3. vel *Circuitus*, ſive *Periodus*, eſt ſimilis ab eodem ad idem reditus, 1. aphor 12. Sic enim ſingulis acceſſionibus recurrit morbus, ut redintegrari renovarique videatur. Is in febribus intermittentibus manifeſtiſſimus eſt, atque aliis morbis qui ſimiliter poſt aliquod intervallum repetunt. Continentes perpetuique morbi circuitus nullos habent. Eſt autem alius brevior, qui citò recurrit, alius plurium horarum vel dierum, alius analogiam ſervat, alius non ſervat. Eſt autem analogia temporis ad tempus, moris ad morem

colla-

collatio, ut si fiat eâdem horâ, vel tardet, vel anticipet, æqualiter aut inæqualiter, ordinatè vel inordinatè, mitiùs vel sævius. Omnis autem per circulum videtur fieri, ut qui ab uno statu redeat in eundem, atque id perpetuò ad finem usque morbi observetur. Itaque ab horrore qui febrem tertianam inchoat, usque ad alterius accessionis horrorem circuitus unus est: similiter à rigore febris quartanæ, usque ad initium alterius rigoris unus circuitus est: Ergo in circuitu remissio continetur, sive perfecta sit, sive imperfecta. Dividitur enim circuitus in duas partes, παροξυσμὸν & ἄνεσιν, hoc est, *accessionem* & *remissionem*, uti Hippocrates distinxit, & Galenus multis in locis explicavit.

Circumcisio, vel *Circumsectio*, est ablatio cutis glandem contegentis. in virili pudendo, quæ *Præputium* dicitur, lib. finit.

Circumnuens, vide *Innuens*.

Circumocularis tunica oculi est, quæ à crassâ meninge orta, toti oculo substernitur, circumtangens, & circuminduens osseam oculi substantiam, ne oculus huic indatur nudus, lib. de anatom. viv.

Circumossalis membrana, quasi ossium involucrum dixeris, est, quæ singulis ossibus in longitudine circumjicitur, 1. de sem. cap. 10. quam in capite, *Pericranion* dicimus, libr. de anat. oculi. In costis autem, aliisque ossibus ferè cunctis, *Periostion*, 8. de anat. adm. c. 10.

Cirri, vide *Cornua vulvæ*.

Cirsocele, vide *Cele*.

Cirsos, id est, *Varix*, alias quoque venas omnes dilatatas, Antiqui sic nominabant, lib. de tumor. cap. 16. Id autem contingit venæ, non etiam arteriæ, propter tunicæ mollitiem. Arteriæ namque tunicæ crassiores sunt atque robustiores. Distentionis causa est sanguis multus & crassus, qui non facilè cedit, sed cui contrà cedere vena cogitur, præsertim verò flatulentus, qualis melancholicus est, proindeque ab eo varices ut plu-

rimum fieri, Medici omnes prodiderunt. Fiunt tamen interdum à pituitoso atque à puro etiam sanguine, præsertim quidem in cruribus, propter ejusmodi sanguinis gravitatem: aliquando verò etiam in temporibus, & in imâ parte ventris sub umbilico, & circa testiculos & scrotum, atque in ipsis etiam inguinibus. Nascitur & in palpebris, authore Aëtio, atque, ut semel dicam, in omni parte quæ venas habeat, maximè si prona est, & longiùs dissita à fonte caloris nativi; vide *Varices*.

Citta, vide *Cittosa*.

Cittosa, id est, *vitiosi cibi appetentia*, qualis gravidis contingit, 6. de sanitate tuenda, cap. 9. Dicitur etiam *Citta*, *Pica*, & *Picatio*, 1. de symptom. caus. capit. 3. & cap. 7. Causa est vitiosum quoddam recrementum, ventriculi tunicis impactum, sed cujus vitium facilè explicari non possit. Pro diversis autem ejus qualitatibus varia appetuntur, sed imprimis Acida, Acerba, atque etiam Acria, & aliquando Terra, Testæ, Carbones. Panni veteres, Putria coria, & alia ejusmodi à naturâ abhorrentia. Maximè autem hoc malo gravidæ infestantur ad extremum usque secundum tertiumve mensem. Quarto namque eo ferè liberantur, partim vitioso humore per vomitum vacuato, partim concocto, atque etiam absumpto crebris vomitionibus, fastidio, & ciborum quibus vitium ali debuisset, abstinentiâ, quodque auctior eo tempore fœtus unà cum sanguine vitiosum pariter humorem attrahat, atque conficiat. Verumtamen viros quoque idem affectus aliquando exercet, cùm & ii vitiosum depravatumque ejusmodi humorem in ventriculo collegerint. Vocatur hoc vitium à Græcis κίττα, vel à picæ varietate, (est enim avis varia, nec sibi concolor, sed quæ alias plumas & pennas candido, alias nigro colore præferat) vel quod fortè affectu consimili picam laborare observatum sit. Plin. gravidarum malaciam sæpè dixit.

Cla-

Claves, sive *Iugulum*, sunt duæ primæ costæ propè guttur, inter os pectoris, ac spinæ finem, quæ ad scapulas est, à naturâ constitutæ, 13. de usu part. cap. 11. *Claviculas* etiam vocant, lib. de musc. diss. c. 12. quas vulgò *Furculas* dicunt, quarum una *superior*, altera, *inferior* nuncupatur. Recentioribus autem, elatiore in thoracis fine, & quidem in anteriori parte Claves exsistunt; sic dictæ, quòd sterno, Omoplatas, id est, humerum firment, is autem finis vulgò, *Furcula superior* dicitur; Cavitates sub his Clavibus σφαγὰι appellantur, id est, Juguli, ut sint duæ Claves, & Juguli totidem, dexter, & sinister: unde & σφαγιτιδες, *jugulares venæ* à Græcis appellantur.

Clavus, sive *Gomphos*, est oculi morbus, cùm Uvea locum suum egrediens, pelliculas superficie tenus operit, unde ejus forma fit, quasi Clavus, libr. de ocul. cap. 11. vide *Gomphos* & *Myrmecia*,.

Clunes, vide *Coxa*.

Clydones, κλύδων, Symptoma est retentricis facultatis ventriculi, cibos, vel non complectentis, vel diminutæ, vel vitiosæ, unde flatulentiæ, & fluctuationes cum sonitu succedunt; flatulentiæ quidem, ubi & cibi flatuosi sunt, & ventriculus non admodum frigidus; fluctuationes cum sonitu, cùm vel nihil in eo continetur, quòd verti in flatum possit, vel vehementer sit refrigeratus, 3. de sympt. caus. cap. 2. Qui hoc symptomate laborant, non possunt concoquere sufficienter, & eò diutiùs in eorum ventre gravitas manet, quo tardiùs concoquunt.

Clyster, κλυστὴρ, Latinis idem est quod *Lavamen*, seu *Ablutio*,, à Verbo κλύζειν, quod & *lavare* significat; Alio nomine Græcis ἔνεμα, ab ἐνίημι, *infundo*, dicitur, quæ vox Latinis *injectionem* significat. Medici hujus temporis, *Clysterii* & *Enematii* Græcis vocibus quàm Latinis malunt uti. Dicitur adhuc & *Clysma*, unde *Diaclysma*, id est, lavatio ad ulcera, & dentes

titubantes, infirmosque. Dicitur adhuc & *Clysmus*, de medic. facult. part. cap. 16. Est autem *Clyster* medicamenti genus, quod liquidum intra partem aliquam corporis injicitur: Sed privatim etiam instrumentum ipsum significat, quo medicamentum injicitur. Id Galeno, ut multis apud eum locis videre licet, fuit vesica, cui cornea vel alterius materiæ fistula recta, & fracta ad finem annexa erat. *Clysterii* usus præcipuè inservit intestinis, iisque crassioribus; neque enim ad tenuia, ferè pertingit. Convenit tamen & utero & auribus & fistulosis sinuosisque ulceribus: sed qui utero adhibetur, peculiari nomine μητροσίχυτης dicitur. Est autem multiplex *Clysterii* facultas. Intemperiem emendat contrariâ qualitate, deterget ulcera, siccat, conglutinat, mollit alvum, vim excretoriam sopitam irritat, vacuat omnis generis humores intestinis contentos, solvit flatus, sedat dolores, adstringit alvum, pro variâ medicamentorum, ex quibus constat, facultate.

Cneme, Κνήμη, id est, *Tibia*, seu alterum ex duobus ossibus tibiæ, eodem cum toto membro nomine; alterum verò *Perone*, seu *Fibula* dicitur, 3. de usu part. capit. 9. ambiguæ ergo significationis est. Interdum totam eam partem significat, quæ inter astragalum genuque posita est, ossibus geminis constantem, quam *Crus* Latini dicunt. Interdum verò id os peculiariter designat, quod eorum est maximum, Latini *Tibiam* vocant, nam quod minus est, περόνη, id est, *Sura*, appellatur. Sic πῆχυς modò utrumque os cubiti, modò eorum longissimum significat, ut annotat Galenus. Certum tamen est, τὴν κνήμην partem esse ϑ σκέλους, quod Galenus dividit in tres partes, μηρὸν κνήμην κὴ πόδα. Est autem os tibiæ crassissimum & interiori in parte situm, eique soli femur per Diarthrosim articulatur. Nam περόνη tenuior multò est, & exteriùs sita, nec tam altè assurgit, ut genu contingere possit. Inter

ter se autem hæc duo ossa membranoso ligamento sursum deorsumque colligantur, in medio multùm ab invicem discedunt, ut se habet etiam in cubito & radio. Quâ parte verò tibia cum femore copulatur, magnam habet epiphysim, & in eâ cavitates duas, in quas duo femoris condyli inseruntur. Inter eas autem corpus quoddam πυραμοειδὲς eminet, ipsas etiam cavitates adaugens, & inter duos illos femoris condylos attollitur. Habet autem & tibia inferiore in parte epiphysim internâ in parte prominentem & gibbam, sicut & aliam πτέρνη externâ in parte, quæ quidem duæ apophyses σφυρὰ, id est, *malleoli* propriè appellantur. Est autem tum tibiæ tum perones figura prope triangularis. Ac tibiæ quidem anterior angulus quia multùm acutus est, à quibusdam ἄκανθα: quia verò veluti frons est τὸ κνήμης, ἀντικνήμιον nominatur.

Coadjutrix causa est, quæ suâ virtute morbum efficere non potest, sed alteri auxiliatur, ut libido articularem morbum promovet, & sanguinis eruptionem remigatio, lib. Introd. cap. 8.

Coarticulatio, vide *Abarticulatio*, & *Dearticulatio*.

Coccyx (vulgo *Cauda*) id est, *Cuculus*, est os quod subest ossi sacro, lib. de ossib. cap. 12. & 3. de art. 104. vide *Cuculus*.

Coctio, quid sit, hinc noscès, cùm facultates quatuor sint, atque inter eas non minimè valeat alteratrix, per quam natura alimentum assimilat, *Coctio* nuncupatur nutritivæ substantiæ permutatio, secundùm qualitatem, 4. rat. vict. 44. *Perfecta urinæ coctio* est, quando in urinis subsederit aliquid album, & læve, & æquale, & continuum: *Debilis autem coctio* est, quando ex aquosâ mediocriter subpallida facta fuerit, & quidem si turbulenta apparuerit, & talis permanserit, hæc quoque imminutæ, & debilis coctionis est signum, & rufa etiam ac tenuis, ex eodem genere est, 1. de crisi. cap. 27.

Coctio-

Coctionis signa sunt, quæ hominis salutem, non tamen per Crisim, futuram ostendunt, quo distinguuntur à *Decretoriis*, quæ salutem hominis futuram, per Crisim ostendunt. *Coctionis* autem, quæ in spirandi fit instrumentis, *sputa*; ejus quæ in venis, *urinæ*; illius quæ in ventre, *alvi excrementa*, *indicia*, & *characteres* statuere oportet; in febribus (quoniam venosi generis sunt passiones, nam & arterias in hoc genere comprehendimus) ad urinas præcipuè attendere oportet, 1. de cris. cap. 7.

Cæcum foramen, est angustius illud foramen, quod ex duobus inæqualibus foraminibus, quibus quinta nervorum conjugatio à Cerebro excipitur, propè aures est collocatum, cui subditur labyrinthus quidam, quem natura effecit, musculis temporalibus consulens, nervum eis durum simul, & labiis immittens, 9. de usu part. cap. 13. vide *Meatus auditorius*.

Cæcum intestinum, sive *Orbum*, sive *Monoculum*, est quartum intestinum in ordine, primum locum inter crassa obtinens, lib. de anat. viv. Quidam illud *saccum* nominant.

Cœli status, id est, ambientis nos aëris temperies, temporisque præsentis constitutio, 9. meth. 5.

Cœlia, κοιλία apud Græcos, sine adjectione omnem ventrem significat, 6. aph. 20. Apud Aristotelem tamen dicitur *Cœlia*, illa tantùm corporis partis cavitas, in quam cibus devoratur, & prima concoctio peragitur. Latiùs tamen patet hoc nomen, nec receptaculum modò ciborum significat, sed omnem etiam cavitatem in profundo positam, ut cerebri, cordis, jecinoris, & reliquarum partium. Apud Hippocrat. nunc cum adjectione superior, & inferior venter significantur; ut *superior* sit ventriculus; *inferior*, omne, quod sub diaphragmate est, spatium latius. Erotianus annotavit τὴν κοιλίαν ab Hippocrate dici non modò spatium illud latius, sed interdum internum quoque thoracis

racis ſpatium, & ventrem ipſum, & ulcerum cavitatem.

Cœliaca, id eſt, *Ventralis diſpoſitio*, communis morbus eſt ventriculo. & inteſtinis, in quo materiæ, non mordaces, egeruntur, ob inteſtinorum imbecillitatem, quæ retinere contenta, ne exiguo quidem tempore poſſunt, ſed ea illicò excernunt, perinde ac ſi grave aliquod onus deponerent, haud ſecus quam in ſtranguriâ, in quâ ob acrimoniam & vellicationem veſica jugiter, quicquid ad eam pervenerit, excernit, quòd molem ipſius vel exiguam ſuſtinere nequeat; 6. loc. aff. cap. 2. unde κοιλιακοὶ dicuntur, quibus excrementa lævia, humentia & ſemicocta, alvo continenter fluida redduntur aliquanto poſtquam aſſumpta fuerint tempore. Cauſa hujus mali eſt aſſidua cibi corruptio & cibus cacochymus, adhæc frigiditas, aut vehemens ardor, aut plagæ ventri inflictæ. Ex longis quoque morbis facilè hic morbus contrahitur; vide *Lienteria*.

Cœlomata, ſunt rotunda, & cava ulcera, bothriis latiora, quæ in oculis circa Irim naſcuntur, in corneâ eorum tunicâ, lib. Introd. cap. 15.

Cœlum, κοῖλον more vulgi, appellat Hippoc. aërem, 1. de morb. vulgar. 1. qui ſupra nos eſt, uſque ad nubium regionem, com. 1. in 1. de morb. vulg. 4. quamquam eo nomine *cavitas omnis* deſignari poteſt, tamen ſpecialiter *Cœlum* vocatur *ſuperioris palpebræ ſuperficies*, ſicut *Hypocœlum* ὑπόκοιλον pars inferior, quæ ei reſpondet, illud tùm in aquâ inter cutem, tùm in alterius generis malo habitu, tùm in diuturnis hæmorrhoidibus, longis mulierum profluviis, atque inchoantibus ophthalmiis intumeſcit. Sunt qui *Cœlum* τὰ κοῖλα oculorum interpretantur cavitates, quæ ſub oculis, & utrâque naſi parte cernuntur, quæ tamen κανθοὶ dicuntur.

Cærulea oculi tunica eadem eſt cum *Rhagoeide*, *Vvea*, &

& Vniformi, procul dubio ob versicolorem internam hujus superficiem sic dicta, 10. de usu part. cap. 4. vide *Rhagoïdes*.

Coincidentia, sive *Intercidentia*, quam *Paremptosin* Græci vocant, est, cùm aliunde in aliud vas humor fluit, 7. de anat. adm. cap. 16. In oculo autem *coincidentia* est, ubi in meatum porumve opticum qui à basi cerebri veniens, oculo videndi facultatem tribuit humor adaperto, vel rupto vase incidit, obturatque eum, unde cum dolore visus offenditur, libr. Introd. cap. 15.

Coindicantia sunt, quæ præter proprias cujusque morbi indicationes, ad hæc ægri virtutem, naturam, ætatem, anni tempus, regionem, consuetudinem, & si quæ sunt id genus alia, considerant, ac à primis indicantibus indigitata præsidia approbant & confirmant. 13. meth. 16.

Cola, dicuntur in homine longiora, majoraque membra, à Thorace separata, & quasi dependentia ut brachia & pedes. Latinis dicuntur Artus, 3. de usu part. cap. 1. verùm Pollux κῶλον (quod & κώλυμα, inquit, vocatur) ex femore tantum & crure constare scribit. Dicuntur & *Cola*, ossa narium, vide *Ithmoidea*.

Colatoria ossa, sunt narium foraminulenta & cavernosa ossa, quæ à cribri similitudine, *Ithmoidea*, vel à Spongiâ, *Spongoidea* appellantur: varia enim habent foramina, quo modo & Spongiæ; neque ea habent recta, ut cribra, quòd per ea superflua Cerebri excrementa transcolentur, & odoratarum rerum species ad processus mammillares rectà ascendant, 8. de usu part.

Coles, est particula quædam corporis insignis, ad extremum collum vesicæ sita, quâ mares fœminas exsuperant, quam Græci *Caulon*, πέρατον, seu πεῖον, Lati-

Latini, *Penem*, *Colem*, *Mentulam*, *Virgam*, & *Pudendum virile* nominant. 5. de usu part. cap. 15.

Colica dispositio, est morbus plenioris intestini diuturnus, in quo cruciatus intolerabiles, difficultates spirandi, sudores, perfrictionesque suboriuntur, libr. finit. Suntque *Colicus* & *Volvulus* intestinorum etiam inflammationes, quorum alter tenuioris intestini affectus est, alter plenioris, quare dejectiones includuntur, & flatus intestinis involuti, eò quòd exitum non habeant, dolores vehementes, & tormenta concitant, libr. Introd. cap. 13. & 2. de loc. aff. 5. Inde Colica medicamenta sunt, quæ ad sedandum *Coli* dolorem sunt comparata, quæ quidem etsi anodyna sunt, à communi tamen anodynorum formâ differunt, quòd quæ propriè *Colica* appellantur, aromatis odoratis, ac urinam cientibus seminibus permiscentur, & quanquam *Colica* vocentur, non tamen ad Colicos tantum, sed ad omnem dolorem in quâcumque corporis parte factum, sedandum admoventur, quo factum est, (inquit Galen. initio libri sexti de locis affectis,) ut Antidotos omnes dolorem sedantes, Veteres *Colicos* nuncupaverint; vide *Narcotica*. Quamvis autem κωλικὴ variis de causis oriri possit, sic tamen potissimum dicitur, qui à frigido, crassoque aut viscoso humore, aut flatuoso spiritu excitatur. Eum consequuntur nausea & vomitus pituitosi atque corrupti humoris multo graviores & magis assidui, quàm per nephriticos affectus, adhæc excrementorum retentio, ut ne flatum quidem, neque etiam ructum possint emittere. Sæpè etiam veluti circuire videtur dolor, atque plurima loca occupare, & modò in hoc, modò in illâ parte vehementior fieri, cùm nephritici dolores eodem in loco stabiles jugiter infestent. Difficile tamen est discrimen, adeò ut non modò plebei, sed Medici quidem discernant, omnesque eos dolores, sive Renes, sive Ureteras, sive Mesenterium, sive tenuia

etiam

etiam inteſtina occupent, κωλικὴν indifferenter appellent.

Collectica medicamenti facultas eſt, quæ ulcera, & vulnera glutinat, 5. de ſimpl. cap. 2. κολλητικὸν φάρμακον: glutinatorium medicamentum, eſt quod conjungit & unit diviſas partes, ut in priſtinam unitatem reducantur. Quidam ἔναιμον & τραυματικὸν etiam appellant, quod cruentis & vulneribus adhibeatur. Verùm non in cruentis modò protinus glutinandis eorum uſus eſt, ubi ſanguinem ex plagâ adhuc profluentem ſpongiâ deterſerimus, deinde ſuturis aut fibulis coarctaverimus, ſed etiam in ſinibus veteribus, cùm ab omni inflammatione eos vindicaverimus, puroſque medicamentis reddiderimus. Cæterum quod glutinandi facultatem habet, plus ſiccet quidem oportet, quàm quòd carnem producit, nec tamen detergeat, nec expurget, ſed contrà prorſus ſubſtantiam omnem in idem cogat, cujuſmodi facultatem habent medicamenta ea, quæ *auſtera* & *adſtringentia* vocantur: hæc namque in idem cogendi ac ſtipandi, non detergendi neque purgandi facultatem habent. Eorum namque finis eſt, prohibere ne ulla inter coituras partes ſubnaſcatur humiditas. Eſt autem glutinantium materia diverſa pro corporum varietate, quæ glutinari debent. Quæ ex Argenti ſpumâ, Oleo & Aceto præparantur imbecillam mollemque carnem glutinant: quæ Bitumine, Ærugine, Squamâ, Aloë & Myrrhâ conſtant, robuſtam & duram.

Collectiva inæqualitas pulſuum, quæ ex inæqualitate plurium pulſuum eſt conflata, 1. de diff. pulſ. cap. 30. quæ eſt *Syſtematica* dicitur; vide *Syſtematica*.

Colliculum idem eſt quod Nympha, caruncula nimirum membranoſa, ad fiſſuram colli matricis exorta quæ dum virgo defloratur, rumpitur, quam quod multùm promineat, Ægyptii in Virginibus excidere consueverunt, libr. Introd. cap. 10. Atqui plures ex antiqui

tiquis Anatomicis, tum præsertim Avicenna, dicunt iis, quæ nondum Venerem sunt expertæ, circa medium colli uteri, panniculum virginalem dictum esse, qui *Hymen*, aliis *Hymenæon* vocatur, &, ut ajunt, in primâ coïtione rumpitur, quod verisimile non videtur; nam in dissectione Virginum non apparet, nec usquam quod legerim, meminit Galenus, sed potiùs credendum est, collum ipsum, quod musculosum sit, & nervosum, ex ipsâ texturâ tantummodò connivere, & angustum esse. Nympha verò est adnata Epiphysis, & appendix cutacea, lata, intra pudendum muliebre, supra alarum commissuram, ad urinarium meatum sita; gemina autem est, utrinque scilicet una, data est à naturâ, tùm ornamenti causâ, (nam quod Peni virili præputium est, & Uva Pharingi, id Nympha utero) tùm etiam, ut Uterum à pulvere, frigore, & aliis externis injuriis tueatur, 15. de usu part.

Colliquatio, vide *Anastoicheiosis*.

Collisio, & *Contusio* est, cùm exterior superficies percussi corporis continuitatem servat, multæ verò exiguæ divisiones in profundo apparuerint; at cùm cavitas aliqua forinsecùs apparet, quam rei collisæ percussor impresserit, tunc *Illisio*, Græcis θλάσμα dicitur, lib. de sympt. caus. cap. 11.

Collum uteri, sive *Os uteri*, est illud, quod intus est, ubi Uterus desinit, Collum verò incipit, quod magis propriè *Os uteri* diceretur; nam altera colli extremitas, quæ mulieris pudendis conjungitur, non *Uteri*, sed ipsius *Colli os* non sine ratione diceretur, 5. aphoris. 46.

Collum, vide *Dorsum*.

Collyria, Latinis medicamenta vocantur, quæ oculis admoventur, Græci κολλύρια nominant, hæc verò duûm generum sunt; quædam enim liquida sunt, & passim *Collyria* nominantur; quædam arida, & hæc

barbarâ voce dicuntur, *Sief*, Græci hæc vocant ξηροκολλύρια; illa verò, ὑγροκολλύρια, 9. simplic. & 4. de comp. medic. loc. cap. 5. Κολλύριον quodque medicamentum est oblongum, rotundum, ex liquoribus, succis, seminibus, fructibus & metallicis, ad varios usus compositum, compactum, cohærensque in modum ferè ejus, quòd vulgus *Pharmacopolarum Magdaleonem* appellat. Sic enim olim reponebantur & asservabantur *Collyria*, cùmque utendi occasio esset, ea vel integra, sicuti condita erant, adhibebantur in usum, vel solvebantur in pulverem, qui aut siccus, aut humore aliquo dilutus affectæ parti vel oblinebatur, vel linimento exceptus indebatur, vel suffitionibus, aut alio modo inferviebat. Namque τὸ κολλύριον Antiquis figuratum fuisse, & certam habuisse formam, ex veterum Medicorum lectione cognoscitur, qui pleraque medicamenta in *Collyrii* formam fingenda præcipiunt. Sunt ex Græcis, qui κολλύριον, sine diphthongo scribant. Sunt etiam qui malint κολλύριον dictum esse ἀπὸ τὸ κολλᾶν τὴν ῥῦσιν: hoc est; quod comprimat fluxionem: alii verò, ἀπὸ τὸ κωλύειν: utrique credo existimantes, eam modò unam esse *Collyriorum* facultatem, ad sistendas fluxiones. Verùm tamen non ad eam rem modò, sed ad omnes omnium partium affectiones, quibus admoveri possunt, comparata sunt à Medicis *Collyria*, diversarum omnino facultatum; Fistulis enim induntur aliàs ad conglutinandum, aliàs ad detergendum, aliàs verò ad exterendos earum callos. Imponuntur & naribus ad Polyporum & Ozænarum curationem, itemque auribus ulcere affectis, authore Galeno. Adhibentur & utero tum ad ciendas purgationes, & ad fœtum atque secundas expellendas, tùm ad sistendum etiam immodicas sanguinis excretiones, &c. Verùm *Collyria* in oculis præcipuum usum habent, qui quantò sunt reliquis corporis partibus præstantiores, tantò magis Medici veteres in eorum *Collyriis* elaborarunt,

runt, & eorum copiâ quodammodo luserunt.

Collobomata Græci vocant partes, quæ in labiis aut narium alis, aut aure deficiunt, & decurtantur, 14. method. cap. 16. quæ propriè *Curta* vocantur, seu *Mutila*. Hujus generis sunt & quas in majore oculi angulo ῥωγάδας vocant, eo utique vel impensius extenuato minoreque facto, vel prorsus abolito.

Colon, intestinum quintum in ordine à ventriculo, secundum autem in crassis, inter cæcum & rectum medium, 6. de anat. adm. cap. 9. Dicitur verò *Colon*, id est, *Laxius intestinum*, quod excrementa ex distributione segregata suscipit, lib. Introd. cap. 11. quod & *pingue intestinum* appellat Galenus, 2. de sympt. caus. capit. 5. unde propter sui latitudinem, ipsum solum quidam *ventrem inferiorem* appellant, 4. rat. vict. 112. Id dextra prius ilia prætervectum, ad sinistrum renem emergit, perque ventriculi fundum & jecinoris cavum exporrectum, descendit ad rectum intestinum. Abscedit longissimè à centro mesenterii, quod non expediat venas mesaraicas valdè exugere ea quæ continet excrementa: cæco autem, ut ait Galenus, ad portionem respondet. Sicut enim cæcum valdè extuberat globosumque est, ita & *Colon* totâ sui longitudine multos habet medios globos, & veluti cellulas, exiguas quidem, nec tantas quantum cæcum (hoc enim totum veluti quidam venter est) sed ad portionem ejus similitudinemque factas. In eo crassiores fæces diutiùs commorantur, donec excernendi tempus appetat. Itaque fit, ut sæpè ab his malè afficiatur, variisque morbis tentetur, pro contenti excrementi qualitate.

Columella, Κίων, Κιονὶς & *Columna*, sive *Gargareon*, & *Uva*, caruncula est membranosa, in fine palati, à faucibus dependens, vocis instrumentum, quod hiante ore conspicitur, libr. finit. vide *Gargareon*, & *Staphyle*.

Coma, id est, *Sopor*, sive *Propensio* & *Delatio* in somnum,

num, est, cùm vigilare ægri nequeunt, non apertos habentes oculos, sed conniventes, & alto somno, detinentur, com. 1. in 3. de morb. vulgar. 7. vide *Caros.* Hippocrates verò *Cataphoram*, omnem ad somnum propensionem, *Coma* appellat; est enim in somnum delatio, non valentibus infirmis vigilantium munia obire, sed cùm palpebras claudere cupientibus, tùm dormire sperantibus; cùm autem ægri clausis palpebris dormire nequeunt, sed plurimùm vigilant, *Coma* ἀγρυπνώδες, id est, *Pervigil*, & non somniculosum vocat, comm. 1. in 1. prorrhet. 1. Aliquando *Coma* pro *marcore* sumitur, 4. sanit. tuend. cap. 4. Marcere enim torpere significat, atque languore & inertià teneri, unde Celsus de Lethargo dicit; *Marcor* est inexpugnabilis dormiendi necessitas, & comatosos proinsomnolentos, & inertes appellat. vide *Sopor.*

Comitialis morbus, est omnium corporis partium, ex temporum intervallis facta convulsio, cum mentis ac sensuum oblæsione, qui & *Epilepsia* dicitur, 3. loc. aff. 7. & de differ. morb. cap. 5. Quin etiam *morbus magnus, morbus sacer, affectus puerilis*, & *Herculeus* dicitur. *Puerilis* quidem, quoniam pueritiæ tempore sævit; *Herculeus*, non quod *Hercules* eò vexaretur, sed quidam morbi sævitiem exprimere volentes, nomen hoc magnitudinem significans, *Herculeam* effinxerunt, comm. 6. in 6. de morb. vulg. 7. Dicitur adhæc *Puerilis*, ut qui à pueritiâ incipiens, ferè semper consenescat; Latini *Comitialem* dixerunt, quòd in comitiis, & hominum frequentiâ maximè ægros corripiat. Quo in morbo quia spiritus se ferè totum in suos ventriculos tanquam in arcem recipit (quod & spiritui vitali calorique accidit, si quid cordi molestum est, tunc enim in cordis ventres, spiritus calorque vitalis se recipiunt, reliquis partibus calore destitutis & frigentibus) idcircò ægri neque vident; neque audiunt, neque aliter omnino sentire possunt, sed facultate pristinâ

ſtinâ deſtituti muſculi urinam, ſtercus, & ſemen quaſi reſoluti profundunt. Horum enim ſymptomatum ego potiùs eam cauſam eſſe exiſtimo, quàm cerebri ventriculorum obſtructionem. Nam præterquam non eſt tanta ventriculorum obſtructio (qualis in Apoplexiâ eſſe perhibetur) ut curſum prorſus intercipiat ſpiritus animalis, certum etiam eſt eam non eſſe communem omnis Epilepſiæ. Tres enim cùm ſint, authore Galeno, comitialis morbi differentiæ, una omnium frequentiſſima cerebri propria eſt, hoc eſt, ab humore in ipſo cerebro genito aut cumulato: altera, ab ore ventriculi, affectu ſcilicet ab eo ad cerebrum per conſenſum aſcendente: tertia verò, à quàvis alia parte, à quâ affectus ipſe incipiens, ſentiente ægro ad cerebrum uſque conſcendit. vide *Epilepſia*.

Commiſſura, quæ & *Sutura* dicitur, Synarthroſis ſpecies eſt, & oſſium compoſitio, ad conſutarum rerum ſimilitudinem, quæ & *Serrata* dicitur, cum Serræ modo, contrario occurſu congrediuntur, ubi dentatæ alterius partes in alterius ſinus committuntur, libr. de oſſibus in proœmio.

Communis morbus, ſive *univerſalis*, Græcis πάνδημος, eſt, qui multos in communi invadit, cui oppoſitus eſt morbus, qui *Diſperſus*, ſive *Sporas*, dicitur, qui aliquos ſeparatim tantum invadit. Σποράδες igitur ſive σποραδικοὶ νόσοι, plures ſunt ſimul morbi vagantes, & genere diverſi ſive pernitioſi, ſive mitiores, quorum alius alium invadit. Non ab aëre, ſed à victus ratione naſcuntur, quam ſinguli habent propriam & peculiarem. Inter communes alii ſunt *publici*, quos vocant *Endemios*, in quo genere Scorbutus eſt; alii, *vulgares*, ſeu *publicè graſſantes*, quos *Epidemos*, ſeu *Epidemios* vocant, ut eſt *peſtilentia*. *Endemius morbus*; ſi alicujus ſit civitatis, vel loci proprius, dicitur *Vernaculus*, comm. 1. in 1. de morb. vulg. in argumento; vide fuſiùs, in verbis *Pandemus*, & *Epidemus*.

Communis, sive *media Cubiti vena* est, quæ communis ei, quæ humeralis nominatur, atque ei quæ per axillam ad manum fertur, 2. de loc. aff. cap. 7. quæ & *Mediana*, & *Corporalis*, & *Purpurea*, & *Nigra* dicitur, libr. de anatom. viv. vide *Media*,

Compages, Capitis sunt suturæ, quâ parte ossa capitis inter se mutuò compacta coaptantur; suturæ verò ex translatione dici consueverunt; Calvariæ enim ossa adeò exquisitè inter se conjunguntur, & coaptantur, ut ipsorum conjunctio per Harmoniam, id est, ex compage, & coaptatione facta, meritò sutura ex pannorum, qui consuuntur, similitudine, dicatur, com. 3. in lib. de iis quæ in med. fiunt, 36.

Complexio febrium est, quando quæ febres horis differentibus invaserunt: *Confusio* autem, quando eodem tempore incœperunt, 2. de differ. feb. cap. 8.

Compositus morbus est, qui ex pluribus accessionibus, & remissionibus, sive ejusdem generis, ut duarum, vel plurium tertianarum, quotidianarum, vel quartanarum, sive diversi generis, ut unius tertianæ cum quotidianâ, vel cum quartanâ, constat: cui oppositus est *morbus simplex*, unam genere intensionem, & remissionem faciens, lib. de Typis, cap. 3.

Compressio, est laterum cujusque vasis astrictio, & angustatio per coalitum, 1. de caus. sympt. cap. 5. differens ab *obstructione* (quæ & *oppilatio* dicitur, 2. de caus. puls. c. 1.) quippe hæc est meatuum nostri corporis intercluſio, ex aliquo tumore, vel corpore interposito, non per coalitum, lib. de differ. morb. cap. 7. Illa autem inprimis ab externis oritur causis, E. G. compressio extrinsecus nervo, angustia meatui ejus contingit, 1. de sympt. caus. cap. 5. & de differ. morb, cap. 5.

Compunctio, est perforatio, quæ acu fit suffusis. 10. de usu part. cap. 6.

Conarium, vide *Conoeides*.

Con-

Concava vena, est *Vena portæ*, 5. loc. affect. cap. 3. vide *Vena porta*.

Concausa, vide *Continentes*.

Conceptio, id est, *seminis comprehensio*; motus est quidam contractionis Uteri, dum semen in seipsum ejaculatum amplectitur, manu veluti quâdam avidissimè, lib. an animal sit id quod, cap. 2.

Conchula, Κόγχη, vide *Aures*.

Concoctio est ciborum à ventriculo, in convenientem animali qualitatem alteratio; quæ concoctio si tarda, & ægrè longioriquejusto tempore fiat, *Bradypepsia*; si autem in alteram qualitatem, non in eam, quæ sit secundùm naturam, fiat mutatio, *Dyspepsia*: si verò nulla fiat alteratio, sed quales sunt assumpti cibi, tales in omni qualitate manent, & dejiciuntur, dicitur *Apepsia*, 1. lib. de symptom. differ. cap. 4. Alteratio ipsa, usque quò alimentum in similitudinem partis, quæ nutritur, transmutatur, *Concoctio*; ubi verò jam parti apponitur, *Nutritio* dicitur, 8. de compos. medic. loc. cap. 6. *Concoctio* eorum quæ præter naturam sunt, est ipsa maturatio morbi; at ipsa *Concoctio* in coquentis substantiam deductio quædam est ejus, quod concoquitur, com. 2. in 1. de morb. vulg. 44.

Condensantia medicamenta omnia frigida sunt, & aquea, quare poros cutis, & meatus in unoquoque corpore condensant, & contrahunt: Cæterùm, instrumentum undique totum constringere nequeunt, unde & *Pycnotica* dicuntur, differuntque à *siccantibus*, quod frigida & sicca sint, ab *obstruentibus*, quod frigidæ & crassæ sint substantiæ, 5. de simplic. cap. 14. vide *Obstruentia*.

Condyloma, quasi dicas *Nodus*, est extuberatio, quæ cum phlegmone in rugosâ contrahentique se ani parte, exsurgit, lib. finit. quæ & *Thymus* dicitur, 14. method. 6. 3. Est adhuc carnis excrescentia callosa in digitis manuum & pedum, in sede item, ac uteri ore

coalescens; sic dicitur tumor hic, quod promineat in modum articuli, quem *Condylon* appellant, sed hic affectus in sede præcipuè oritur, rugâ aliquâ corporum in ano reduplicatorum insurgente, ac præter naturam intumescente. Quum enim sinuosus sit anus, rugas coagmentatas habet; ubi verò amplius intumuerit, tunc fit *Condyloma*, & aliquando citrà inflammationem fit, & molle est; quandoque verò cum inflammatione, tumque durum est, & dolorificum. Galenus lib. de ossib. cap. 5.

Condylus, id est, *Tuberculum*, seu *Nodus*, est gibba ossium explantatio Radii, & Cubiti, quæ Carpo dearticulatur; ob id etiam aliquando *Capita* dicuntur, & *Apophyses*, 2. de usu part. cap. 2. Dicuntur & *Epiphyses*, id est, *artuum capita*; ubi enim os medullam habet, ejus finibus utrinque caput instar operculi cujusdam, ut plurimùm vides adnasci, 10. de usu part. cap. 18. vide *Nodi*, & *Articulus*.

Confusio febrium, vide *Complexio*.

Congelationes, passiones omnes dicuntur, quæ à causâ frigidâ, & vehementibus algoribus ortum duxerunt, lib. de differ. morb. cap. 5. In specie *Catalepsin*, & *Nervorum rigorem*, sic vocitant.

Conia facta, id est, *Lixivium destillatum*, 1. ad Glauc. cap. 3. Κονία tria potissimum significat, *Calcem*, *Cinerem*, *Lixivium*, sed aliquando additur hoc ipsum de quo intelligi debeat, ut κονία ἄσβεστος, κονία ἀσβέστου, *Lixivium caleti*. Similiter κονία σακτὴ καὶ διηθημένη, *Lixivium stillatitium* & *excolatum*, ex loto & percolato cinere factum, cujuscumque generis ille sit, Vitis, Fici, Mali, Tithymalorum, Lapidum partiumve animalium. Ex reliquiis enim quorumlibet corporum ustorum ablutis, lixivium fieri potest præditum diversis facultatibus, pro ejus quod eluitur natura. Ejus enim quod empyreuma, seu igneam naturam habet acerrimam, ipsum quoque acerrimum est, ejus quod

tale

tale non est, etiam moderatius. Idem verò etiam simpliciter στακτὴ appellatur. Quod si Cineri cuicumque Calx addatur, id Lixivii genus πρωτόστακτον appellari, Paulus Ægineta author est, lib. 7. Sunt & alia lixiviorum genera, varias sortita appellationes ab artificibus, quibus illa inserviunt; ut πηλοποιητικὴ, & σαπωνιακὴ, quorum illud figulis, hoc verò saponariis in usu est, nisi quis malit paratum ex sapone lixivium intelligere.

Conjectura artificiosa est, quæ prope ad veritatem accedit, 1. de cris. cap. 9.

Conjunctiva oculi tunica, vide *Rhagoïdes*.

Conjunctiva causa, vide *Continens*.

Conoeides corpus, sive *Turbinatum*, quod & *Conarium* dicitur, Cerebri particula est, veluti firmamentum quoddam venis, à magnâ venâ cavâ propagatis adjacens, libr. 9. de anat. admod. cap. 3. cujus substantia glandula est, figura autem *Cono* perquam similis: unde ei nomen quoque est impositum; utilitatem autem ei eandem esse existimant aliqui, quæ est Pyloro ventriculi; nam ut hunc confirmant esse glandulam, prohiberéque ex ventriculo cibum priùs, quam is coctus sit, in tenue intestinum transumi; ad eundem modum, & hanc glandulam *Conarion* in principio meatus ejus constitutam, qui spiritum ex medio ventriculo in *Parencephalidn* ventriculum transmittit, custodem quendam esse ajunt, & velut *Oeconomum*, non plures spiritus de sese emittens, quàm quantum spiritus mitti oportet, 8. de usu part. cap. 14.

Connutritus morbus est, qui longinquo tempore hominum corpora infestat, atque his veluti connatus est, com. 5. in 6. de morb. vulg. 6.

Consistentia urinæ, hujus est tenuitas, & crassitudo, 9. meth. 4. quam Arabes vocant *Vrinæ substantiam*.

Consistentia, seu *Status Paroxysmi*, ἀκμὴ, est illud tempus accessionis febrilis, cùm jam caliditas materiam

riam convicerit, atque usque adeò calor augetur, ut non modò locum exurat, in quo est putredinis focus, sed etiam continuatim per totum corpus dispergatur; ac cùm jam ad summum fervoris devenerint humores accensi, id accessionis tempus *consistentia* appellatur; tunc verò universum laborantis corpus igneum redditur, extensâ per totum animalis corpus æqualiter caliditate, 2. de differ. febr. cap. 11. vide *Ascensus morbi.*

Constitutio, Κατάστασις, est in propriam sedem alicujus luxati corporis collocatio, restitutio, & repositio, 4. de fra. 38.

Contenta, ἐγκόιλια dicuntur ab Hippoc. humores in solidarum partium spatiis & cavitatibus concluſi: qui tamen non hâc tantum ratione contineri dicuntur, sed quod etiam ab ipsis solidis partibus regantur & gubernentur. Quod enim ii gignantur, quodque usibus corporis inserviant, id habent à solidis partibus; vide *Continentia.*

Contentiva causa, vide *Continens.*

Contentus pulsus, idem est ac vehemens, 3. de diff. puls. cap. 5.

Continentes causæ (quæ *continuæ*, & *conjunctæ* dicuntur) sunt, quæ cùm præsentes sunt, morbi quoque adsunt; cùm tolluntur, morbi etiam discedunt; aut (ut in Scholis dicunt) quibus positis, ponitur; sublatis verò tollitur morbus; ut spina, telum: opponuntur *evidentibus*, seu *procatarcticis*, & *antegressis causis*, quæ cùm adversùm valetudinem creârunt, separantur & secedunt ab eâ: ut, labor, Solis ustio, cruditas. *Concausæ* sunt, quæ affectum suâ vi generare licèt possint; generant etiam, & alteri cohærentes, unde *Synaitia* dicuntur: ut, lapis in vesicâ, & inflammatio; nam ambæ urinæ suppressionis causa sunt, etsi per se utraque illam generare possit. *Coadjutrices causarum partes* sunt, quæ suâ virtute morbum efficere non possunt,

sed

sed alteri auxiliantur ; ut libido articularem morbum promovet. *Præcedens causa interna* est, quæ ab evidentibus, vel præparantur, vel coadjuvantur ; ut sanguinis abundantia, nutrimenti soboles est. Introd. cap. 8.

Continens febris, vide *Synocha*.

Continentia, Ἔχοντα vocat Hippocrates solida corporis membra, ut quæ comprehendant, regantque humida ; *Contenta* autem appellat humores, ut qui à solidis comprehendantur, quæ cum impetu feruntur spiritus ; siquidem in omnem corporis partem momento temporis, & facilè, & citrà impedimentum perveniunt, lib. de trem. palp. cap. 5. *Continentes* ergo partes erunt, ut corpus solidum cordis, arteriarum, & aliarum partium cavarum, atque aliquid suo sinu concludentium, quæ sunt bases, radices, & fundamenta aliarum : in ipsis enim singulis triplex adest substantia verè solida, & ipsam ambiens, muniens, fovensque, carnosa, & per utramque sparsa, spirituosa, in quarum trium substantiarum, & maximè in solidæ quantitate idoneâ, & justâ qualitate seu temperamento, vitæ primum robur & firmitas residet. Hæc ob id omnium maximè continet ac regit reliquas duas, & hujus præcipuè beneficio corpora solida dicuntur Ἔχοντα ab Hippocrate, à quibus singularum partium actiones proficiscuntur. Nam ventriculi solidum corpus trahit, retinet, coquit, expellit calore suo & spiritu adjutum. Eadem hepatis solidum corpus præstat, suis duabus aliis substantiis similiter adjutum. Pari ratione & reliquæ partes. Ex quibus fit, ut Hippocrates optimo jure corpora solida continentia vocaverit, non aliter quàm fæcem vini vinosam & spirituosam ejus substantiam fovere & continere videmus. Neque enim continere tantum significat loco aliquo & spatio concludere, sed etiam regere, moderari & gubernare, quomodo & Præceptor discipulos, & Imperator milites continere dicitur.

Con-

Continua febris, Συνεχὴς πυρετὸς est, quæ ad infebricitationem, antequam ex toto solvatur, non devenit, etsi declinatio aliqua & remissio sensibilis appareat. Cùm verò declinatio aliqua sensibilis non fiat, semper verò à primo principio febris, usque ad crisim similis perseveraverit, erit *febris deûrens, ardens, Causon*, à continuis solâ acutie differens (quæ enim idem cum genere nomen sortiuntur, atque in pluribus particularibus accessionibus continentur, *continuæ* appellantur) quæ & *Synocha* appellatur; alia quidem *Epacmastica*, sive *Increscens*, sive *Anabatica*; alia, *Homotona*, sive *Acmastica*, in eodem semper vigore & tenore perseverans; ultima, *Paracmastica*, sive *decrescens*, 2. de cris. 6. & 2. de differ. cap. 2. Bifariam Veteres uti *continui* nomine, & *intermittentis* videntur; nam *continuas* vocant febres, quandoque omnes, quæ nullum tempus liberum habent accessione; quandoque non omnes, quæ accessione nunquam vacant, sed solas præcipuè illas, quæ omni carent, usque ad judicium mutatione, Ita *Intermittentes* interdum appellant illas solas, quæ accessionem perpetuam non habent; interdum eas, quarum equidem non recedit accessio, sed insignes sunt mutationes singularum accessionum, in initio, incremento, vigore, & remissione. At Medici quidam juniores, quæ non magnam mutationem habent, non *Continuas*, id est, *Synochas*, sed *Synochos* nominant: *Continuas* autem has solas, quæ non veniunt ad integritatem, & intermittunt singulis accessionibus, has vocant Antiqui, interdum Continuas, interdum Intermittentes; nam sunt rectè inter Continuas, & Desinentes in integritatem, mediæ. Proinde rectè, ubi cum Synochis conferuntur, *Intermittentes* appellantur; cùm ad integritatem venientibus, *Continuæ*, comm. 3. in 1. de morb. vulgar. 2.

Continui solutio, διάπαυσις, vide *Vnionis solutio*.

Con-

Contractiones, vide *Ganglia*.

Contraindicare, vide *Endeixis*.

Contraria, apud Hippocratem & Medicos sunt, non in corporum modò qualitate, ut calidum frigido, humidum sicco; sed in quantitate etiam, ut magnum parvo, laxum denso, plenum vacuo, quæ Aristoteles *Opposita* vocat; quo sensu dicunt Medici, curationem fieri per contraria, 11. method. capit. 12.

Conturbatio, seu *Perturbatio*, παράξις, vide *Taraxis*.

Contusio, θλάσμα est, cùm grave aliquid supra corpus incidit, ac id ipsum collidit; ita ut carnea pars disrumpatur; cùm verò caro contusa, in loco sub cute cruorem contraxerit, sine ullâ cutis divisione, *exuccatio*, *sugillatio*, *effusio*, *nigror*, & *nigritia* affectio hæc dicitur; venas tamen exiguas, simul cum carne rumpi, ac discindi in hujusmodi sugillationibus, est perspicuum, 3. de his quæ in medic. 30. libr. de tumore, cap. 105. de compos. med. per gen. cap. 3. Id quoque in osse aliquando videtur evenire, sed in pueris maximè. Oportet enim in sese cogi id os quod colliditur, atque ita molle evadere, ut perfectè durum non sit. Θλάσις etiam numeratur inter fracturæ cranii differentias, quamvis fractura cranii non sit, nec fractura quidem simpliciter, sed ossis calvariæ in anteriorem partem impulsio, & veluti inflexio, cavitatem tantum, non etiam unitatis solutionem in calvariâ efficiens, ut licet in plumbeis, & æneis vasis videre, si foris illidantur; vide *Collisio*, & *Vnionis solutio*.

Convexa Hepatis, vide *Sima*.

Convulsio, σπασμὸς; Cùm omnes arbitrarii motus, musculis obeantur, quando ad sua ipsorum capita retracti, unamque particulam, cui inseruntur, simul attraxerint, si affectus aliquis p. n. in tensionem musculos ducens, iisdem acciderit, hunc motus

sequi-

sequitur, similis quidem naturali, sed citra voluntatem, & vocatur affectus *Convulsio*, lib. de Trem. palp. cap. 3. quam Celsus libr. 2. cap. 1. vocat *nervorum distentionem*; quæ *Convulsio*, vel universalis est (ut cùm totum corpus curvatur, aut in anteriora, & dicitur ἐμπροσθότονος, ut in posteriora, ὀπισθότονος, aut in utramque partem æqualiter, τέτανος, quibus additur & ἐπιληψία) est enim quædam totius corporis convulsio, patiente nimirum nervorum principio, vel particularis, aut in musculis oculorum, & dicitur τραυσμὸς; aut *mandibulæ*, τετανὸς; aut *oris*, κυνικὸς σπασμὸς aut *penis*, σατυρίασις. Sunt autem plures earum causæ quas tamen omnes Hippocrates in duas contulit, inanitionem & repletionem. Ad inanitionem quidem revocatur febris ardens, hellebori potio, immodica sanguinis profusio, vigiliæ, inedia, & quæcunque corpus vehementer exiccant; ad repletionem verò ebrietas, crapula, suppressa vacuatio consueta, exercitatio intermissa, phlegmone, & quæ eam consequuntur dolor morsusque, præterea & flatus qui in musculis conclusus, sive illic genitus, sive aliunde influens, eos distendit atque contrahit, ut docet Galenus, libr. 2. de symptom. causis, Quo etiam loco ab utrâque illâ causâ convulsionem fieri chordarum eleganti similitudine docet: ut enim illæ vel nimio humore imbutæ vel vehementiùs resiccatæ tenduntur, contrahunturque, ut interdum etiam rumpantur, sic & nervi afficiuntur, atque ita tensi musculos adducunt. Itaque in nervis quidem ipsis convulsionis causa aliquando est non etiam in ipso musculi corpore: musculi tamen non nervi morbus esse, *Convulsio* dicitur, quod ipse non autem nervus proprium sit motus, qui in convulsione læsus est, instrumentum. Itaque si nervi ex chordarum comparatione convelli aliquando dicantur, id non propriè dicitur, sed quod ita affectis, necessariò quoque musculus contrahatur. Ergo quæcunque ner-

vorum

vorum principio, vel copiâ, vel acrimoniâ, vel malignâ venenatâque qualitate molesta sunt, convulsionem possunt excitare: siquidem ab iis gravati nervi irritatique contrahuntur, & musculos secum adducunt. Ex his patet, convulsionis causam vel in musculo, & præsertim ejus capite esse, vel secundum nervi ipsius ductum, vel in ipso nervorum principio, quod geminum à Medicis statuitur; unum in spinali medullâ, alterum, in cerebro; vide *Rhegma*, & *Vnionis solutio*.

Convulsio canina, σπασμὸς κυνικὸς, est affectio musculorum maxillarium, per quam os, nasus, oculus, labrum, atque adeò dimidia faciei pars in obliquum torquetur; quæ affectio nonnunquam dicitur *Convulsio*, interdum *Paralysis*, quæ ad musculum latum pertinens affectio est, quam quidam vocant *oris torturam*, 4. loc. aff. cap. 2. versûs finem.

Convulsio comitialis, quæ laboranti Epileptico affectu accidit, 5. loc. aff. 5. & 3. loc. aff. 7.

Convulsivum affectum vocat Galenus, qui antè mortem necessariò convulsionis habet symptoma, 1. de præsag. ex puls. c. 4. & com. 3. in 1. prorrhet. 69.

Convulsivus & *Vibratus pulsus* sunt, qui naturali sede relictâ, unum locum non tenent, sed sursum atque deorsum agitantur. In *Vibratis*, arteriæ quædam partes quasi jacula superiora petere, quædam demitti, uno eodemque tempore conspiciuntur, quæ distentio parva est in *Convulsivis*, 1. de diff. puls. cap. 28.

Convulsivus pulsus est, in quo ad utrumque terminum tenditur arteria, quem convulsio sequi solet, 2. de caus. puls. cap. 12.

Coopertoria cartilago vide *Circoeides*.

Cophosis, Κώφωσις, id est, *Surditas*, est abolita auditûs actio, inducta ab iis, quæ vel ipsam audiendi facultatem, ejusque primarium instrumentum (quod est animalis spiritus in aures affluens,) aut ipsius organa, quæ natura ad audiendum comparavit, lædunt. Ad primum

primum genus pertinent causæ omnes quæ ipsum sen
suum nervorumque principium, hoc est, Cerebrum
malè habent, præsertim quâ parte ex eo nervus audi
torius producitur; cujusmodi sunt intemperies aut vi
tiosus aliquis humor, vel sensim in Cerebro cumula
tus, qui habitualem aliquando & incurabilem surdi
tatem facit: vel confertim & subitò in ipsum irrum
pens, sicuti per febres acutas accidit, de quo celebri
apud Hippocratem habetur Aphorismus: *Quibus bi
liosæ dejectiones, superveniente surditate cessant, & qui
bus surditas supervenientibus biliosis dejectionibus cessat.*
Item, qui non multò postea scriptus est; *Quibus in
febribus aures obsurduerunt, sanguis è naribus fluens, au
alvus turbata solvit morbum.* Pleno enim ejusmodi hu
moribus cerebro, iisque ad aures maximè vergenti
bus, fieri non potest, quin & audiendi potentia vel he
betetur, vel etiam in totum auditu privetur, & ips
animalis spiritus impurior, crassior & fæculentior red
ditus, ad audiendum prorsus ineptus evadat. Possun
tamen & hæ ipsæ causæ organis auditus esse commu
nes, & in ipso auditorio nervo, præsertimque meatu
ejus interno talem intemperiem, tantamque obstru
ctionem excitare, ut nec sonis in aures aditus pateat
nec interno spiritui in ipsum nervum via. Id quoc
etiam à sorde, callo aut alio tumore præter naturam
meatum nervi auditorii occupante accidere potest
Hæc quidem causæ si magnæ sint, surditatem indu
cunt: Sin autem exiguæ, auditum vel obtusiorem
reddunt, vel depravant, vel in eo dolorem etiam mo
vent. Sunt enim harum omnium affectionum com
munes causæ solâ magnitudine ab invicem differen
tes. Præter quas tamen aliud quoddam discrimen ad
ferri potest, quod læsis aliis instrumentis audition
usum aliquem præbentibus, iis scilicet quæ aurem fo
ris circumstant, intemperie, aut tumore præter natu
ram aut continui solutione, aboleri quidem in totum

audi

auditus, surditasque fieri non potest, sed tantùm hebetari, vel etiam depravari. Quod autem ad dolorem attinet, qui in auditus sensu aliquando movetur, non est dubium quin à proprio sensibili fiat, ut voce asperâ, gravissimâ, maximâ, celerrimâ, qualis sonus est tonitrui, à quo sæpenumero inductam esse surditatem, animadversum est divulso audiendi instrumento, sicut è contra vox leniſſima tardissimaque sano auditui solet esset grata: fatigato autem gratior, si præterea sit perexigua, ægro verò longè gratissima, eaque etiam magis ipsum silentium.

Copos, id est, *Lassitudines*, Græci vocant *Affectus*, ex multo vehementive motu corporibus, vel totis, vel particulis, quæ justo plus laborârunt, obortos; unde *Acopa medicamenta*, quæ talem lassitudinem tollunt, 7. de comp. medic. per gen. cap. 11. Triplex in universum omnis lassitudo est, ἑλκώδης, τονώδης, φλεγμονώδης. In ulcerosâ lassitudine ulceris sensus, cùm moventur, se exhibet: in inflammatoriâ, inflammationis: in tensivâ, incendi tendique sibi videntur qui laborant. Ulcerosa quidem oritur ab excrementorum tenuium copiâ & acrimoniâ, quos ipsa exercitatio nimia, & celeres ac multi motus pariunt, eo excremento, quod crassius erat, fuso & attenuato, nec tamen toto expulso, aut adipe mollive carne liquatâ. Nec verò solus exercitationis excessus eam gignit, sed sponte etiam aliquando provenit, & maximè in ea incidit corpora, quæ & mali succi sunt, & excrementis abundant. Succedit verò & recentibus cruditatibus. Tensiva verò à nullo quidem excremento gignitur, de quo magnopere sit curandum, sed residet in musculis & nervis ex nimiâ tensione, quàm exercitando admiserunt, affectus quidam effectricis causæ potestatem testificans. Accidit namque in vehementi tensione omnes musculorum fibras contendi, non tamen similiter omnes lassari, sed eas maximè quæ per longitudinem tensionis por-

riguntur. Quippe quæ obliquiores quodammodo jacent, minùs in directum aguntur; quare his nullum instat periculum. In iis verò quæ immoderatiùs sunt extentæ, ita ut parùm à rumpendo absint, relinquitur affectio quædam similis ei, quæ inter agendum fiebat. Quippe tendi adhuc videntur, cùm tamen nullâ jam tensione urgeantur. Tertia autem lassitudinis differentia, quæ inflammatoria, seu inflammationi similis dicitur, in quâ nimirum ceu contusas aut phlegmone obsessas partes sentimus, tum maximè solet incidere, cum musculi nimium excalfacti attraxere quippiam ex circumfusis sibi excrementis. Ex vehementissimis nascitur motibus, solaque supra naturalem habitum musculos attollit, ita ut phlegmone persimilis sit affectio. Itaque & levi tactu offenduntur, & calidiores apparent. Dolent verò etiam, si ipsi per se moveri conentur. Incidit hæc lassitudo iis plurimum, qui assuefi exercitationibus non sunt: Nam exercitati assuetis rarò incidit, etiam ex vehementissimis, plurimisque motibus. Illud autem huic uni præter cæteras commemoratas egregiè inest, nempe major quàm pro naturali habitu tumor, nec doloris ipse sensus idem in hâc atque in tensivâ lassitudine habetur. Quippe in illâ tendi, in hâc contusos esse usque ad ossa nervos putant, qui ipsâ laborant. Quare in his saltem proprium à reliquis duabus discrimen habet, nec est composita tantùm. Præter tres has proprias lassitudinis differentias alia est, quæ ceu lassitudo sit, nonnullis imponit. Hæc incidit, cùm supra justum musculi siccantur, ita ut squalens contractumque corpus appareat, atque ad motus quodammodo pigrum, non tamen ei vel ulceris, vel tensionis, vel phlegmones sensus inest: sed nec horrorem ullum doloremve, nec pigritiam ad motus ei similem infert, quam lassitudines invehunt, sed gracilitatem tantùm ariditatemque facit. Hæ quidem sunt lassitudinis simplices quatuor differentiæ ab immodicis

modicis motibus genitæ, quibus aliæ totidem respondent spontè venientes quas αὐλομάτους κόπους Hippocrates appellavit, & dixit morborum esse prænuncias. Ut enim quæ immodicas exercitationes lassitudo excipit, sanorum symptoma est: ita quæ sine his consistit, morbosum. Ac lassitudo quidem ulcerosa spontanea, eadem prorsus est cum eâ quæ exercitationi supervenit, sive ipsum affectum, sive ejus symptomata spectemus, causâ tantum differt. Hujus enim externa, illius interna causa est, acrimonia scilicet tenuis & calidi humoris corpus erodentis, stimulantis ac pungentis, qui imprudentibus nobis in corpore succrevit. Tensura verò, quoties suâ sponte incidit, plethoris supervenit. Tertia verò, quæ phlegmones sensum affert, ex ambobus oritur, tum nimia succi boni abundantiâ, tum acri illo & vitioso succo, non utique in venis cum bono sanguine misto, sed ab his transflato, atque in carnibus & ad cutem solo hærente.

Copula, seu *Ligamentum*, Σύνδεσμος, terminus musculi est, sensu omni carens, durior & crassior *Nervo* & *Tendone*, usum eum, quem vel nomine ipso præ se fert, exhibens: differt à *Nervo* & *Tendone*, quod Nervus à Cerebro, vel spinali medullâ exorsus, sensum, aut motum membris inducit: *Tendo* verò finis musculi nervosus est, ex *Copulâ* & *Nervo* procreatus, 1. de placit. cap. 9. quam quidam *Nervum* nuncupant, com. 1. in 6. de morb. vulg. 2. vide *Nervus*.

Cor, Καρδία, est viscus, carne compactâ, durâ, fibrosâ, cavâ constans, principium vitalis facultatis: sunt qui Musculum esse definierint, verùm & minùs rubet quàm Musculus & longè durius, spissius, solidiusque est, multòque aliter fibris intertextum; fibris namque validis, & rectis, caro ejus circumfusa est, (unde *Parenchyma*, nomine quoque aliis visceribus communi appellatur,) à basi ipsius in mucronem tendentibus. Habet præterea & transversas, in eas ad angu-

lum rectum incidentes, & obliquas earum medias. Ac rectis quidem per diastolas è venâ cavâ sanguinem per arteriam venosam attrahit: transversis autem per Systolas in venam arteriosam, & arteriam magnam expellit, fuliginosumque pariter excrementum in arteriam venosam: obliquis verò per quietes inter Diastolen Systolenque medias sanguine ex venâ cavâ in ventriculum dextrum, & spiritu ex arteriâ venosâ in sinistrum attracto retentoque perfruitur. Sunt namque cordi duo ventriculi seu sinus, κοιλίαι Græcis dicti, carnis ipsius portione mediâ seu Diaphragmate quodam distincti. Dexter multo amplior est, carne & parciore & molliore circumseptus: Sinister verò multo angustior, ut qui carne tum largiore, tum densiore contineatur. Utrique autem sua est auris nervosa, cava, ad ora vasorum materias in cor immittentium affixa, in quibus veluti in penu quodam sanguis & aër recondita sunt: has Græci ὦτα & ὑβρίδας ὠτειδεῖς appellant. Habet enim uterque sua vasa; dexter quidem venam, tum cavam, tum arteriosam; sinister autem arteriam tam magnam quàm venosam, in quorum vasorum orificiis certæ quædam sunt membranarum epiphyses, quarum aliæ foris ortæ, introrsum feruntur, (cujusmodi tres habentur in venæ cavæ orificio, duæ autem in arteriâ venosâ, omnes inæquales & veluti laceræ) aëri atque sanguini in cor immittendo destinatæ: aliæ verò ab internis sedibus foras vergunt, tres quidem in magnæ arteriæ osculo, & totidem in venâ arteriosâ sitæ inter se æquales, per quas sanguis tum crassior ex dextro sinu in pulmones per venam arteriosam, tum spirituosus ex sinistro in magnam arteriam emittitur. Omnium autem orificiorum quæ in cor dehiscunt, maximum est arteriæ magnæ, quod ut juvenibus cartilaginosum est, ita natu grandioribus, præsertimque senibus, osseum. Cordi porrò sua est tunica, nervulum à sexto pari aut recurrente sinistro sortita.

Venam

Venam etiam à venâ cavâ habet, antequam ea in dextrum ventriculum subeat, coronæ modo (στεφανιαία ob id dicitur) circa cordis basim implexam, & ramulis postea plurimis in cordis partem extimam distributam: duas item arteriolas inæquales ab aortâ sub membranarum epiphysibus productas, &, ut vena coronaria variè per summum viscus dispersas. Interna namque ejus caro à sanguine in ventriculis contento, abundè nutritur & temperatur. Est autem cordis figura pyramidata, è lato in acutum tendens. Arteriarum, & caloris nativi, quo animal regitur, ac vita continetur, quasi fons & domicilium, in medio omnino Thorace situm est, præsertim suâ basi, quàm caput ejus nominant. Ea vis cordi insita à Medicis facultas vitalis nuncupatur, 6. de usu part. & 7. de anat. adm. Vocant adhuc & *Cor*, Veteres omnes, *Os ventriculi*, propter affinitatem maximam, quæ illi est cum Corde, & mutuum consensum; ut ostendit Galenus, 2. de placit. & 5. loc. aff. 6.

Coracoeides, vide *Ancyroeides*, & *Acromion*.

Coryphe, vide *Vertex*.

Cornea, sive *Corniformis*, (Κεραλοειδὴς χιτὼν ἢ ὑμήν) oculi tunica est, tenuis, dura, & densa, quæ à durâ cerebri meninge proficiscitur, & tenuem oculi tunicam choroeidem in orbem amplectitur, quæ & *Ceratoeides* dicitur, 10. de usu part. cap. 3. & *Cærulea*: estque tunica secunda oculi, hoc est, proximè subjecta adnatæ tunicæ, quam ὑπὸ φυσῶσι appellant. Prætenditur humori crystallino veluti operimentum & propugnaculum adversus ea quæ extrinsecus possunt accidere. Ideoque non modò densam, sed etiam prætenuem, albam & pellucidam fieri oportuit, ne ullo pacto visionem humori crystallino (quod primum est visus instrumentum) prætensa impediret. Itaque non aliter quàm cornu prætenue, & quàm accuratissimè derasum condita, & humorem eum tuetur, & splendorem ni-

hilominùs transmittit. Græci Κερατοειδῆ appellarunt; sive propter firmitatem, sive quod per eam, qui illi adjacet internus humor, tanquam per cornu transluceat, sive quod cornus instar veluti in laminas dissolvatur, ut scribit Rufus Ephesius. Pluribus enim ceu corticibus constare dicitur à Galeno, lib. de oculis. Ut autem illa sic composita aptissima est ad visionem, ita cùm ejus pars, quæ pupillæ antestat, crassior, aut spissior, aut humidior est facta, visionem impedit; similiter si colorem mutavit; nam crassior & spissior visus hebetudinem creat: humidior non eam tantùm, sed etiam ut quasi per caliginem vel nebulam, vel halitum quempiam, vel fumum cernatur, efficit: Mutato autem ejus colore, ut per regium morbum contingit, pro naturâ coloris error in visu respondet. Rugatur & ipsa iis, qui ad extremum senium pervenerunt; tum propter senectæ imbecillitatem, tum propter spiritus supernè influentis penuriam. Eoque fit ut ii, servatâ etiam pupillæ magnitudine, imbecillius, aut nullo etiam modo videant. vide *Cærulea*, & *Ceratoeides*.

Cornicularis processus, vide *Ancyroeides*.

Corniformis, vide *Cornea*, & *Ceratoeides*.

Cornua, Κέρατα, numerantur inter affectus præter naturam; sunt autem duæ eminentiæ osseæ, quæ prope tempora nascuntur; Dicuntur & *Dionysisci*, Διονυσίσκοι; sunt & cornua vulvæ, sive sinus, duo processus insignes, à lateribus vulvæ, ad utraque ilia, quos alii vocant *Cirros*, libr. de vulvæ diss. cap. 3. vide *Apices matricis*.

Corona oculi, vide *Iris*, & *Stephanos*, Ἰρις, Στεφάνη.

Coronale os, ut *Coronalis sutura*, Στεφανιαία ῥαφὴ, Στεφανιαῖον ὀστοῦν, sunt sutura anterior Cranii ab uno temporum osse ad alterum transversim perveniens: sic etiam *Os frontis*, *Coronale* dicitur, quoniam eâ capitis parte, ubi id ipsum consistit, Coronæ gestari soleant, vel quòd in orbem frontem cingant, 9. de usu part. 2.

de

de ossibus, cap. 1. & 6. de anat. adm. cap. 1. Inde & *Coronalis vena*, Στεφανιαῖα φλέψ, propago est, veniens à magno trunco venæ cavæ sursum ascendentis, cingens cordis basim in modum Coronæ, eidemque alimentum advehens. Ea quidem magnâ ex parte simplex est, interdum tamen gemina apparet. Distribuitur autem in partem cordis externam. Est & alia venæ cavæ propago, quæ *Coronalis stomachica*, Στεφανιαῖα στομαχικὴ appellatur, quæ à ramo splenico venæ cavæ proficiscitur, & ad stomachum effertur, ibique bipartito ramo majore, ceu Coronâ, stomachum totum cingit; ramulis sursum ad Œsophagi finem, & deorsum in ventriculum demissis; minore ad pilωron descendit, ramulis obiter ante & post distributis. Quemadmodum autem à venâ cavâ, Coronalis hæc vena proficiscitur; sic à magnâ arteriâ statim, ubi à corde orta est, arteriæ duæ coronariæ prodeunt, major sub valvulâ dextrâ, minor sub posticâ, quæ in cordis superficiem, & ejus partem crassiorem, perinde ac venæ, distribuuntur, 7. de anat. adm.

Corona, sive *Coronon*, Κορώνη ἢ Κόρωνον, est extremum ossis, quod in mucronem desinit, lib. de ossib. in procœmio, unde omnes Apophyses rotundas appellant *Coronas*: sic autem dicitur, quia τὸ Κορώνης, hoc est, cornicis rostro similis sit: quæ autem Apophysis in caput crassum & rotundum desinit. non Κορώνη, sed ἀυχὴν nominatur, 2. de usu part. cap. 14.

Corporalis vena, vide *Communis*.

Corrugatio pupillæ, vide *Tabes oculi*.

Coryza gravedo, Κόρυζα, tenuis & incoctus humor aquens est, qui per nares secernitur, quasi gravedinem dixeris; hic cerebri morbus est, præsertim verò priorum ejus ventriculorum: sunt enim eo humore referti plenique: talis defluxio, cùm per palatum fit, dicitur *Catarrhus*, 2. progn. 49. Est autem hic humor, non qui propriè ὠμὸς, sive *Crudus* dicitur, sed qui

ἄπνοον, hoc est, *Liquidus* & *Tenuis*. Celsus autem author est, & *destillationem*, & *gravedinem*, κόρυζαν Hippocratem appellasse. Verum tamen non locorum modò, qui ad nares habentur, obstructio sit, sed etiam tum spiritui ipsi, qui in ventriculis est, tum cerebro quod hos continet, intemperies quædam accedit, qualis ab obstructione solet contingere. Causa ejus est Solis æstus, vini potus largior, balnea calidiora, perfusio capitis ex aquâ calidâ, maximè si caput calidiùs existat, & cibus in ventre incoctus manens, neque per inferna descendens: his enim caput humorem superfluum colligit & repletur: Sed immodicè refrigeratum Cerebrum Coryzam creat. Sic enim caloris penuria malè concoquit alimentum, patiturque idem quod ventriculus diarrhæâ laborans. Quod enim in ventre diarrhæa est ex malâ concoctione, talis in Cerebro est Catharrhus & Coryza. *Catharrhum* appellamus, cùm quod supervacuum est in Cerebro, in os diffluit; *Coryzam*, cùm in nares; *Bronchos* autem, sive raucitas Catharrhis supervenit, faucibus scilicet humore imbutis; quòd si in Gurgulionem fluxio procumbit, quam ex similitudine Græci *Staphylen*, id est, *Acinum*, vocant, in eâ gignit, aut aliàs eam in *tumorem* attollit; at si Glandulas, *Antiadas*; si in eas, quæ iis proxima sunt, *Paristhmia*, 3. de symptom. caus. cap. 4.

Costa extrema est, non parva illa reverà spuria, quæ ab aliis discedit, & carnosæ parti septi transversi obducta est, sed ipsi proxima, cui manifesta jam membrana tenuis intùs subtenditur, ei continua, quæ omnes costas subcingit, 5. de anat. adm. cap. 3.

Costæ, ossa pectoris sunt, quæ à collo toto ad ilia usque ex anteriore parte, ad utrumque latus protenduntur, libr. Introd. capit. 10. & 3. de articul. 37. Duodecim ut plurimum numero sunt; ex quibus superiores septem simpliciter πλευραὶ dicuntur; quinque verò

verò reliquæ coſtæ inferiores νόθαι dicuntur, hoc eſt, *ſpuriæ*, & *illegitimæ*, quia imperfectæ ſunt.

Cotyle, Κοτύλη, vide *Articulus*, & *Acetabulum*.

Cotyledones, Κοτυληδόνες, vide *Acetabulum*.

Coxa, quæ & *Iſchion*, magnum femoris oſſis caput eſt, Græcè ἰσχίον, id eſt, *Coxa*, appellatur, veluti cavitas ejus, *Acetabulum* dicitur, 2. de fract. 70. unde affectus ſit, qui *Iſchias* & *Coxendix* appellatur; inde *Iſchiadici*, & *Coxarii*, id eſt, Coxæ morbo laborantes, 7. de compoſ. medic. per gener. cap. 16. *Iſchion* aliquando ſignificat ligamentum ipſum, quo Femur Coxendicis Acetabulo colligatur; interdum verò ipſum articulum; ſed & *Iſchia*, ἰσχία, dicuntur à quibuſdam, partes carnoſæ ex utroque ſacri oſſis latere, (quæ & σκιάδια Græcis, à Latinis *Clunes* appellantur.) *Os* autem *Coxendicis*, eſt apophyſis oſſis ſacri, ad Coxendicis acetabulum undique pertinens. *Os* enim *ſacrum*, quâ parte femoris caput ei inſeritur, *Iſchion* vocatum eſt.

Cranium, *Calva*, *Calvaria*, κρανίον, eſt os capitis craſſum, rarum, rotundum, oſſibus ſeptem compactum, ſuturiſque veris tribus, coronali, lambdoeidea, & ſagittali, diſtinctum, Cerebrum continens, atque utramque meningem ambiens, quod quaſi κράνος, id eſt, *Galea*, cerebro adjaceat, ſic dictum, 8. de uſu part. cap. 9. Craſſitudo quidem illi magna eſt, ut validum ſit, nec obnoxium externis injuriis: ſolidum verò eſſe non expediebat, tum ne juſto graviùs evaderet, tum ne ineptum eſſet tranſmittendis cerebri excrementis: itaque rarum & cavernoſum eſſe oportuit. Idem verò, ſi rectè à naturâ conformatum eſt, rotundum quidem eſt, ac ſphæræ ſimile, ita tamen ut ſphæram non omnibus numeris æquet. Siquidem oblongum eſt, & à lateribus quidem utrimque parùm depreſſum: anteriore autem ac poſteriore parte parumper extuberans & gibboſum, inferiore autem planum.

Crasis, Græcè Κρᾶσις & Κρῆσις, temperiem significat, 1. de natur. hum. 12.

Crassa membrana, vide *Membrana dura.*

Crassa vena, id est, *humeralis*, 1. de artic. 53.

Crassus pulsus, vide *Gracilis.*

Crea, vide *Tibia.*

Creber pulsus est, cujus intermediæ quietis est breve tempus; rarus, cùm longum; 4. de puls. ad Tyron. cap. 4.

Cremasteres, Κρεμαστῆρες sunt musculi duo, utrimque scilicet unus, à quibus testes sursum trahuntur. Eorum uterque gracilis est & longus, & cum vasis spermaticis à musculis hypogastrii descendit ad ipsos testes, eos relevans: Contrariis carent musculis, qui contrarium motum efficiant: nullus enim est, qui testes ad inferiora revellat, quod satis suâ gravitate ima petant, ægris præsertim & senibus.

Cremor idem est ac *Chymus*, χυμὸς, 3. de natur. fac. capit. 4.

Cremor ptisanæ est, ubi à decoctione quis Ptisanam colaverit, deinde cremorem à decocti parte aquosâ separaverit, 1. acut. 26.

Cricoeides cartilago, est *Laryngis cartilago*, basim annuli figuram repræsentantem efficiens; Tribus enim cartilaginibus constat Larynx, quarum prima maxima ex internis partibus collocatur, cujus convexum extrà prominens, *Pomum Adami* vocatur, concavum intus, quæ dimidium totius capacitatis laryngis comprehendit, ad formam scuti, à quo Anatomici *Thyreoeidem*, id est, *scutiformem*; alii, *Peltalem*, quòd *Peltæ* formam agat, nominant: posterior, quæ basim *Cricoeidem*, id est, Annuli figuram imitantem efficit, postremæ ipsius asperæ arteriæ cartilagini, figmæ literam imitanti, incumbit; Scutiformi verò in priori sui ipsius parte subjacet, (quæ & *Cricoeides*, *Cymbalaris*, & *Coopertoria* dicitur.) Reliqua ab his Cartilago,

lago, quæ tùm positione, tùm magnitudine tertia est, in supremâ Cricoeidis, (quæ & *innominata* dicitur) Cartilaginis parte sita est, gutturniis, infundibulisque, quas *Arytænes* vocant, similis; unde & *Arytænoeides* dicitur. Quæ autem à radice linguæ exoritur, quam *Epiglottida*, quasi *Superlingulam* dixeris, non est *Bronchii* propria, lib. de vocal. inst. diff. cap. 4. & 7. de usu part. cap. 11. & libr. de anat. viv. κρίκος *annulum* & *circulum* significat. Unde κρικόω & ἐγκρικόω, quod est, annulis trajicio, infibulo, aut fibulæ modo illigo & pernecto. Hippoc.

Crimnoeides urina, Κριμνώδης, cujus sedimenta *crimnoidea* sunt, id est, quæ speciem furfuris, vel spumæ referunt, significantque sanguinis cremationem, si rubea sedimenta sunt; vel solidorum nimiam liquationem, si alba; lib. de urinis, cap. 29. itaque omnis hujusmodi hypostasis mala est, ut scribitur in prognost. Nam si per exitiales morbos inciderit, brevi futuram mortem significat: si verò in morbis non mortiferis apparuerit, morbi longitudinem portendit, aphor. 31. libr. 7, Sed plurimi quidem per ejusmodi morbos citò pereunt, aut si evadant, diutissime ægrotant. vide *Hypostasis*.

Crisis, *Iudicium*, sive *Iudicatio*. Κρίσις apud aliquos est subita in morbo in melius pejusve, ad vitam aut mortem, mutatio; apud alios, est ea, quæ antecedit judicium, humorum agitatio; apud alios, integra totius morbi solutio; apud alios, illa tantùm morbi solutio, quæ ad bonum fit, 1. de cris. capit. 1. Sed ea, quæ repente fit, per excellentiam *Crisis* dicitur, & à naturâ, ea, quæ præter naturam sunt, superante, exquisitè perficitur, 3. de cris. cap. 1. Judicatio per morbos, de foro translatitiâ appellatione dicta est, significans, præcipitem in morbo mutationem, cum quâdam evidenti evacuatione, vel abscessu, quæ quadrifariam existit; aut enim statim vindicantur â morbis,

bis, aut magnam obtinent in melius mutationem, aut statim moriuntur, aut multò deteriores evadunt. Itaque duas primas judicationes bonas appellant, proximas duas magnâ ex parte cum adjectione, malam, aut pravam judicationem, quandoque verò sine adjectione simpliciter sic vocant, 3. prognost. 1. Utitur item Hippocrat. *Crisi* pro λύσι, id est, solutione morbi, ut in prognost. optimam eam dicit esse urinam, in quâ per totum morbi curriculum, donec ipse judicatus sit, subsidet album, læve, & æquale. Neque enim aliter κρίνειν illic interpretatur Galenus, quam λύειν, hoc est, *solvi*: ut nec aliis plerisque locis cum κρίνειν in luxationibus usurpat. Unde Cor. Celsus pleraque ex Hippocrate in Latinum convertens, κρίνειν nunquam aliter vertit, quàm *solvi* & *finiri morbum*. Eodem etiam modo Ephemeræ & Hecticæ febres dicuntur judicari per abusionem, ut scribit Galen. lib. 2. de cris. quòd & sine magnâ perturbatione & minimè subita permutatione finiantur. Tertia adhuc est ejusdem Κρίσεως significatio, denotans motum vehementem naturæ ad cujuslibet rei molestæ depulsionem: & hæc quidem generalis est, secundum quam non modò morbi, sed & conceptiones, & abortiones, & partus, & omninò quæcunque magno conatu naturæ indigent, dicuntur judicari, & per Crisin solvi. libr. de symptom. part.

Crisis, ἄσημος, quæ à nullo dierum indicantium, aut signo in illis apparere solito, prædemonstrata fuerit indicata, 3. de cris. 10. Α' σήμως citra ullam judicationis significationem, citra rationem, significat Hippocrates, ἀκρίτως, ἀλόγως, aut προφανῶς, & in judicationis ratione iis quæ temerè aut præter rationem contingunt, attribuitur: *Periculosa*, quæ cum gravibus symptomatis accidit; *Infida*, seu *incerta*, cùm morbi recidiva contingit; *Obscura*, quæ citrà excretionem, vel abscessum evidentem evenit; *Absoluta* crisi

crisis autem est, quæ in morbo nihil facit reliqui, 1. die. decr. cap. 2.

Crisis imperfecta, quæ non omninò à morbo liberat, 3. de cris. 7. sed ex morbo quippiam relinquit, 1. die. decr. capit. 2. Κρίσις etiam sumitur aliquando apud Hippoc. pro ipsâ accessione, ut aphor. 1. lib. 1. sicut Galen. & Philotheus in explicatione ejus loci scripserunt. A quibusdam vocatur etiam *medium spinæ foramen*, quo omnes spinæ articuli sibi junguntur, & spinæ medulla à cerebro descendit: magis usitato nomine σωλὴν dicta. Julius Pollux id spatium inter scapulas cavum, quod secundum longitudinem ad lumbos porrigitur, κρίσιν nuncupari scribit, fortè quod dextram partem à sinistrâ διακρίνῃ, hoc est, discernit, & disterminat.

Crisima signa, id est, *decernentia*, & *judicantia*, 1. aphor. 12. Κρίσιμον, duobus modis accipitur apud Hippocratem, ut signum, & ut causa per se τῆ κρίσιος. Signum quidem id dicitur, quod futuram crisim præ-nunciat. Eorum duplex est differentia: alia signa tantùm sunt; alia, non modò signorum, sed causarum etiam rationem habent. Signa tantum sunt colli dolor, temporum gravitas, tenebræ oculis obversantes, vertigines, capitis dolores, lacrymæ invito obortæ, facies & oculi rubentes, labiorum motus, vigilia, somnus gravis, asthma, dyspnæa, præcordiorum retractio, stomachi fastidium, nausea, æstus, sitis ingens, rigor, cardialgia, molestus decubitus, lethargus, delirium, vociferatio. Signa verò & causæ sunt vomitus, excrementa alvi, copia urinæ, sudores, sanguinis eruptiones, parotides, & abscessus, quos ἀποκυήματα vocant. Nam si quædam ex iis die θεωρητικῇ apparuerint, eademque proximo die critico graviora magisque evidentia sint, non est dubium eodem die futuram esse crisim. Qualis verò futura sit ex aliis notis petendum, tum iis quæ concoctionem cruditatemque significant,

tum

tum aliis quibusdam incertis & ambiguis quidem, se magnam tamen vim habentibus, qualia sunt men constare, bene se habere ad ea quæ offeruntur, faci respirare, facilè ferre morbum, pulsus bonus, faci sanis simillima, decens accubitus, totius corpor æqualitas, & alia, de quibus Hippocrates in prognos Nam pro horum signorum viribus illa superiora bo nam malamve crisim, & perfectam vel imperfectam fore ostendent. Κρίσιμον autem ut causa dicitur omn vacuatio, & abscessus, per quem crisis ipsa perficitur ut vacuatio per alvum, per hæmorrhoidas, per vom tiones, per sputa, per αἱμορραγίαν, per sudores. Omne præter ea abscessuum differentiæ post aures, in alas, i inguina, in articulos, in cutem (est enim quidem icte rus criticus) & in alias omnes corporis partes. Hæ quamvis κρίσιμα ut causæ propriè dicantur, signorum tamen etiam rationem quandam habent, ut paulò ant dictum.

Crithe, κριθή, id est, *Hordeum*, sive *Hordeolum*, siv *Posthia*, hoc est, *Præputiolum*, est tuberculum par vum, oblongum, palpebræ cilio, quâ pili sunt, ac nascens. Externum est, & foris prominet, atque i eo, sicut Celsus ait, tunica quiddam quod difficulte maturescit, comprehensum est. Ex quo patet plur mum pituitæ in eo contineri, vel simplicis ustæque vel cum alio humore mistæ. Sic dicitur à similitudin *Hordei*, quod vulgò notum est, culmo tritici fragilior minorique, sed octonis geniculato articulis, simplic in stipulâ folio, & eo quidem scabro latoque, grana fe rè nuda, longiore capillamento, mordaci aristâ stria tim spicantur, radice frequenti, comâ fibratâ refrige rat, siccat, extergit. Ex eo saluberrima illa ptisana, & tot laudibus ab Hippocrate celebrata conficitur, refri gerandi detergendique facultate insignis; unde & κρι θεῖον ὕδωρ, aqua hordei, quam in vehementi siti pro pinat, Hippocrat. libr. de rat. vict. in morb. acut. d

remed

remed. part. facult. cap. 10. vide *Hordeolum*, *Posthia*, *Chalazia*.

Crotaphitæ, Κροταφῖται, id est, *temporales musculi*, qui maxillam inferiorem movent, & sursum trahunt, libr. de muscul. diff. cap. 6. Κρόταφοι, tempora, sunt ossa duo cranii, utrinque singula ad aures sita, trilatera, parte superiore futuris λιτοειδεῖσι, posteriore laterum & λαμβοειδεῖ additamentis, anteriore futura quæ cranio & ossi σφηνοειδεῖ communis est, terminata. Sunt autem omnium cranii ossium infirmissima, tum quod tenuissima sint, tum quod pertusa meatu auditorio, & cavata partim ad genæ superiæ diarthrosim, partim ad venæ jugularis ramos intus & foris excipiendos: Non sunt verò simplicia, sed multiformia: Et omnia hæc ossa musculus à totâ temporum cavitate exoriens, contegit, innixus ossi jugali, quo solo à cerebro ipsiusque membranis dirimitur. Est autem ille valde sensilis, ut qui oblæsus convulsiones & stuporem indicat. Motus autem duos habet: hominis namque firmanti dentes, & os claudenti atque contrahenti tenditur, hianti verò lexatur, A partis nomine cui incumbit, κροταφίτης dicitur; vide *Manducatorii*.

Cruda urina, vide *Aquosa*.

Cruditas, ἀμέψις est, cùm Ventriculus, vel proprio morbo, vel vitiosis humoribus in ipso accumulatis, vel pravâ, alimentorum qualitate, ut nidorosâ, acidâ, fœtori aut putredini, aut corruptioni obnoxiâ, aut ex præparationis modo, ad hujusmodi aliquam dispositionem deductâ, cibos non amplectitur, sed in ipso corrumpi eosdem sinit. Differt ab *incoctione*, quæ est rerum, quæ non possunt concoqui, ut acinorum, & omnium, quæ omninò integra & immutata dejiciuntur, 1. de loc. aff. cap. 3. Provenit ob defectum caloris nativi, aut hujus quod in fructu coqui debet immensam copiam. Sed ut Arist. ait, veluti ἡ πέψις,

matu-

maturatio, sic etiam ἡ ὠμότης multipliciter dicitu
Nam & salvi excrementa, & urinæ & catharrhi, ὠμ
dicuntur, quod à proprio calore non vincantur, nequ
consistant. Sed & testa, & fictile etiam dicuntur cru
da, quod ab externo calore non sint evicta.

Crudus humor, ὠμὸς χυμὸς est, cùm alimentum suan
naturam, in ventriculo, hepate, & intestinis, quàt
diutissimè servat, nullâ alteratione ex particulâ, qu
ad ipsum concoquendum est destinata, susceptâ; ve
cùm transmutatio fit, sed in peregrinam qualitatem
8. de compos. med. loc. cap. 6. *Humor crudus*, pituit
crassior est, ac minùs flatulenta, qualis in urinis subs
det, iis præsertim, quæ ex edacitate sedimentum mu
tum fabaceæ, pulticulæ simile obtinent: quin & co
poribus iis, quæ ab exercitatione abstinuêre, cibis ve
rò quam plurimis, ac balneis post sumptos cibos ute
bantur; sæpè ejusmodi humor confertim per alvum
descendit, sed & unà cum hoc humore, perinde a
cum pituitâ, decolor quædam in toto corpore subes
albedo, qui crudus humor inappetentes homines effi
cit, lib. de mul. cap. 11. ὠμὸν dicitur propriè in fru
ctibus: per metaphoram tamen non modò fructus
sed cibi, humores & morbi à Medicis ὠμοὶ appellan
tur. Cibus ὠμὸς, id est, *Crudus* dicitur, qui licèt i
suo genere perfectus sit, nullam tamen ab externo c
lore mutationem alterationemve perpessus est, ut cùm
carnem vel Perdicis, vel Galli, vel aliam etiam opt
mam crudam vocamus, quæ nondum assa sit vel elix
Aliter verò crudum cibum dicimus, qui quamv
obtimè ab externo calore alteratus coctusque sit,
nostro tamen calore difficillimè concoqui potest, se
humores omnino crudos generat. Morbus autem ipt
Crudus nominatur, quamdiu videlicet noxius humo
resistit naturæ conanti ipsum mitificare, & in melio
rem statum reducere.

Crura, à *currendo*, (quod crurum ministerio curra
mus

mus) κῶλα καὶ σκέλη. dicuntur extremæ corporis partes, quæ thoracem medium, & imum ventrem prætergrediuntur; ut, quicquid prominet ultrà os sacrum, & carnosos musculos ibi subjectos infernè, usque ad pedes, id Crura dicantur. Dividit hæc Galenus in partes tres, εἰς μηρόν τε, καὶ κνήμην, καὶ πόδα. Κνῆμαι etiam dicuntur Tibiæ in rotâ, à similitudine Tibiæ in animantibus, libr. Introd. capit. 10.

Crysorchè, Κρυσορχὲς, est testiculi, aut testiculorum occultatio, vel recessio, libr. finit.

Crystallinus humor, κρυσταλλοειδὲς ὑγρὸν, & *crystalloeides*, (qui *glacialis* adhuc dicitur, quòd concretam glaciem seu crystallum imitetur, 7. de placit. cap. 5.) est humor albus, splendidus, lucidus, non omninò rotundus, sed aliquantulum planus, in medio oculorum situs, (estque ejus veluti centrum, propter dignitatem & præcipuum usum) in quo fit visio, primumque videndi instrumentum, qui per Diadosin alimenti, id est, transumptionem (non per venam quidem, quæ nulla inest) vitreo humore nutritur. Cui adhæret vitreus oculi humor, qui & *Hyloeides* dicitur, quique quantò crassior & albior est sanguine, tantò à crystallino humore, humiditate, atque albedine superatur; subest huic *Albugineus*, albo ovi simillis, quem *Hydatoeidem*, quòd aquæ sit similis, vocant, 10. de usu part. cap. 1. lib. de ocul. cap. 2. & Introd. cap. 11. Crystallino humori ejusmodi est durities, ut per sectionem à cæteris oculi partibus solutus non defluat, sed instar molliusculæ ceræ per se consistat, suamque asservet figuram: Nec verò eò durior humor ullus in oculo continetur. Solus à coloribus alteratur, & in ejusmodi corpore omnes colores facilè citòque suscipiuntur & relucent, neque propter puritatem & coloris synceritatem vitiantur, adulteranturque.

Cteis, κτεὶς, *Pecten*, *Cunnus*, *Muliebris pudendi finus*, *Pili decoratus*, appellatur: quæ Sinum ambiunt,

πτερυγώματα, id est, *labra*, & *alæ* vocantur, 15. de usu part. cap. 3. Κτένες dicuntur à quibusdam dentes quatuor primores acuti, qui & δικασπίδες, τομεῖς, & γελαστικοὶ dicti. Sunt etiam qui κλίνας vocent partem manus externam, τῇ ἔνας oppositam, quam propterea alii ὀπισθένας, alii, ἀποκάρπιον, alii, δῶρον appellant. Sunt & κλένες θαλάσσιοι, *Pectines marini*; Plinius, *Pectunculos* vocat.

Cubitus, (πῆχυς, ἀγκὼν, ἄγκος, ὠλέκρανον, ὠλένη) est os, quod inter Humerum, & Carpum, quod *brachiale* dicitur, situm est; ejusdemque partis os grandius, *Cubitus* item dicitur, qui alteri subest ossi, quod *Radium* nominant, lib. de ossibus, cap. 17. quem Cubitum *Pechyn*, id est, *Vlnam* dicunt, 2. de usu part. 2. Clarius; *Cubitus Pechys*, πῆχυς, seu *Vlna*, Arabibus, *Focile majus*, est ea pars totius Brachii, quæ supernè terminatur, quâ Brachio quidem continua est, per articulum, qui in curvaturâ cubiti est, cui innitimur: infernè autem, quâ Carpo manus extrema conjungitur, quo spatio, duo ossa recipiuntur, alterum magnum & rotundum, nominatum eodem nomine, quo pars, id est, Cubitus; alterum, quod *Cercis*, Arabibus, *Focile minus*, id est, *Radius*, appellatur, 2. de motu muscul. cap. 2. & 1. de fract. 18. sicut κνήμη, *Tibia*, & totam partem, & partis totius portionem significat. Est & πῆχυς mensuræ nomen, quâ rerum intervalla dimetimur. Est autem extensio à cubitu usque ad summum medium digitum pedis unius & dimidii. Est igitur mensura digitorum quatuor & viginti: Latini, *Cubitum* etiam vocant. Ab eo derivantur, πηχυαῖος, ἡμιπηχυαῖος, δίπηχυς, τρίπηχυς, ἑξάπηχυς, quæ sæpè apud Authores occurrunt.

Cubiforme os, quod Κυβοειδὲς ὀστοῦν, sive *Os cubicum* dicitur, est os quod ab externis pedis partibus firmum in terrâ statuitur, externisque Tarsi partibus est locatum, & articulatur cavitati calcanei, ad finem adjacenti,

centi, 3. de usu part. 7. Est enim os unum, ex quatuor Tarsi ossibus, solum nomine donatum, cùm reliqua tria careant nominibus; est autem os, ut reliqua Tarsi ossa, intùs cavum, foris gibbum, cubo simile, quòd latera sex habeat cubo communia, admodum inæqualia, & ferè aspera.

Cuculus, Coccyx, est os in imo sacri ossis positum, tribus propriis partibus constans. Sunt autem partes illæ ossicula, etiamsi Galenus ita non audeat appellare, propterea quod pueris adhuc sint cartilagines, quæ quamvis annorum spatiis osseæ evadant, in ambitu tamen & commissuris & fine adhuc cartilaginosæ permanent, ut & Epiphyses omnes solent. Uniuntur autem inter se Symphysi, quamquam Coccygis tertium os, (quòd proprio nomine & στοιδίλιον & ὀρρῶ & ὀρόπυγιον appellatur) ut ossis sacri primum persæpè Synarthrosi jungatur, & in iis foramina intus ampliora, foris angustiora, ut in osse sacro, nisi quòd ad Coccygis ossis secundi cum tertio commissuram, pro foraminibus futura tantum sit. E Coccyge tria nervorum paria prodeunt per ejus foramina, non lateralia, sed antica & postica: Quorum prima conjugatio ex eâ oritur parte, quâ Coccyx sacrum os attingit: secunda, ubi prima hujus ossis pars cum secundâ committitur: tertia, medio inter secundam & tertiam spatio.

Cucurbitulæ leves, quæ citra scarificationem adaptantur, 3. de loc. aff. cap. 4.

Cunei os, quod & ὀστοῦν σφηνοειδὲς, *Os cuneiforme*, *Os basilare*, & *Os palati*, appellant, medium inter superiora, & inferiora totius capitis ossa; de ossibus, cap. 1. Galenus scribit fuisse apud Veteres controversum ad quam pertineat partem, quòd à nonnullis inter cranii, ab aliis inter genæ superioris ossa numeretur, quia inter utrumque est medium; vicit tamen eorum opinio, qui id cranio tribuunt. Est igitur unum ex ossibus cranii, quòd in capitis basi collocatum inter ca-

pitis & genæ superioris ossa, velut σφὴν, id est, *Cuneus*, adigitur, atque immittitur. Sic dicitur à *Cunei* formâ, vel potiùs usu, quòd omnibus suis partibus *Cunei* modo se insinuet inter ossa capitis omnia, & probè omnia genæ supernæ. Nam os occipitis λαμδοειδὴς tangit, atque ab eo distinguitur futurâ communi, deinde longo tractu attingit ossa temporalia, & supra hæc angulum bregmatis, &c.

Cunnus, τὸ γυναικεῖον, *Pudendum muliebre*, inanitas ea est, quæ inter ossa pubis penetrat, extrinsecus pelliculam quandam habens, virorum præputio correspondentem, lib. de vulvæ, diff. cap. 2.

Curatoria, θεραπευτικὴ, medicinæ pars est, quæ tùm factum morbum tollit, tùm fienti occurrit, tùm eum qui imminet, aut futurus timetur, amolitur, & præcavet, (quòd est proprium τῆς φυλακτικῆς, quæ hâc ratione sub Therapeuticam cadit.) Tres autem sunt partes ad curationem necessariæ, Therapeutices, διαιτητικὴ, φαρμακευτικὴ, χειρουργικὴ, quarum prima victus rationem instituit; altera, medicamenta propinat; postrema, manum adjutricem admovet, de part. art. medic. cap. 1.

Curta, κολοβώματα, id est, *Mutila*, & *Curta*: id autem dicitur à Græcis *Coloboma*, quòd in labiis, aut narium alis, aut aure deficit: hujus generis sunt, & quas in majore angulo *Rhœadas* vocant, eo utique, vel impensiùs extenuato, minoréve facto, vel prorsus abolito. vide *Colobomata*.

Cuticula, vide *Cutis suprema*.

Cuticularis membrana, vide *Membrana dura*.

Cuticulosus musculus est, qui extrema sedis ora cuti commixtus obtinet, ut vel cuticulosus musculus, vel carnosa cutis dici possit, lib. de musc. diff. cap. 30.

Cutis suprema, Δερμὶς, & δέρμα appellatur Græcis, quasi *Corium* dixeris, quia excoriari potest. Est autem membrana omnium amplissima, partium subjectorum tegu-

tegumentum, munimentum, ornamentum. Quia membrana est, ex eo intelligitur simplicem esse, planam, tenuem, albam, nervosam, atque ob id sentientem. Siquidem per cutem dispersi nervi, dant illi sensum, verumtamen sentit tantum, non etiam motum habet voluntarium. Oritur ab extremitatibus vasorum per subjectam carnem dispersorum: hæ namque dilatatæ, conjunctæque in cutem degenerant: quo fit, ut à subjectâ carne sine summo dolore separari non possit. Ac quanquam ex carne, venulis, & alicubi arteriolis composita sit, ex nervis tamen præcipuè conflatur, nec tamen nervi prorsus naturam retinet, sed inter nervum, carnemque quodammodo media est. Nec verò solùm omnium corporis partium, sed etiam universæ quæ generationi corruptionique subjicitur, substantiæ media est: quòd enim in duritiâ & mollitie, & in calore ac frigore similiter medium omnium particularum sortita sit, ex ejus quàm dixi substantiâ, maximè intelligitur. Est enim veluti sanguine præditus nervus, qui sit inter carnem & nervum quiddam planè medium, & iis ambobus secum mistis, conflatum. Est enim nervus durus, exsanguis, & frigidus: caro mollis, multi sanguinis, & calida: media inter utrumque est cutis, nec dura, & planè exsanguis ut nervus, nec mollis & sanguine abundans, ut caro. Est igitur cutis extremorum media calidi, frigidi, humidi, & sicci; præsertim autem manus, in qua tanquam temperatissima, perfecta tangendi potestas sita est. Cujus exterior pars, ab illius excremento producta, *Epidermis*, sive *summa cutis corporis*, sive *Cuticula* dicitur, & toti superextensa, sensuque destituta, aut certè hoc perquàm obtuso pollens, quippe quæ sæpè citra dolorem facilè ab ea separatur; 2. de usu part. cap. 6. & 3. method. 4.

Cyboeides, vide *Cubiforme*.

Cyclisci, sunt cava excisoria scalpra, 6. meth. 6.

Cyllum, Κυλλὸν dicitur apud Hippocratem *Crus varum*, id est, in exteriorem partem luxatum, vel conversum, adeò ut Suræ processus, qui talum exterius complectitur, sine ullo stabilimento suspensus relinquatur, quamvis propriè mutilum, & imperfectum significet, ut scribit Galen. 3. de diebus criticis; ubi in eâ significatione mensem κυλλὸν appellari inquit, qui diebus viginti novem constet; alios autem perfectos, qui triginta. Unde *Cylloſim*, κύλλωσιν, distortionem cruris in exteriorem partem vocat Galenus, 4. de artic. Idem tamen com. 3. dicit, nonnullos de omni longorum membrorum distortione κύλλωσιν intelligendam censere, generalêque ei tribuere significatum; alios verò eo nomine distortionem solùm intelligere, in quâ in interiorem partem membrum inclinatur.

Cyema, κύημα, fœtus est, cùm nondum menses duos in utero absolverit, quo tempore *Embryon* dici nequit; sed *Cyema*, id est, *uteri gestatio, & conceptus, & genitura*, 1. de symptom. caus. cap. 7. Quanquam autem κύημα animalium propriè sit, in iis tamen quæ florent, præsertimque in brassicâ, tum à Græcis, tum à Latinis etiam usurpatur. *Cymata* enim in iis, quasi κύηματα vocarunt scaporum delicatiores tenerioresque coliculos, quos appetente verè in primâ florum germinatione, & in summâ stirpe hoc olus profert, discretis, verùm clausis adhuc, florum calicibus, quales quotannis videre licet, in quibus floris primum, mox seminis fœtus clauditur. Theophr. à Græcis κύημα dici, scribit, in quo flos ad semen clauditur. Latini non tantùm *Cymata* neutro genere dicunt, sed etiam fœminino *Cymas*.

Cymbalarij, vide *Cricoeides*.

Cynanche, est inflammatio extra guttur existens, quæ & *Paracynanche* dicitur; si autem sit inflammatio adjacentium musculorum faucibus adveniens, dicitur *Synanche*, vel *Paraſynanche*, 4. aphor. 34. Propriè loquendo,

quendo; *Angina* Græcis est *inflammatio*, quæ in gutture, & faucibus advenit; Hippocrates verò & alii Veteres, omnes passiones in iis locis advenientes, quas spirandi difficultas comitatur, *Anginæ* nomine vocant, nullo existente in pectore, vel pulmone vitio; quâ in re differt *Angina* à *Peripneumoniâ*, & *laterali morbo*, ex eo, quòd angustiæ sensus in gutture est, cunctis in *Anginæ* speciebus, suntque ejusdem (exquisitè loquendo) quatuor differentiæ: una, ubi fauces inflammantur; altera, ubi neque reliquæ oris partes, neque etiam externarum partium ulla inflammata videtur, æger tamen suffocationis periculum in gutture persentit; tertia, quando gutturis partes, tum externæ, tum internæ similiter inflammantur; quarta, ubi ad anteriorem regionem, cervicis vertebræ luxantur, & inde cavus apparet locus, doloremque quando tangitur, æger sentit. Recentiores Græci quidam, ut est Paulus, libr. 3. cap. 27. & nostræ ætatis Medici non pauci, inter *Cynanchen*, & *Synanchen*, inter *Paracynanchen*, & *Parasynanchen* discrimen faciunt, quòd tamen Galenus, l. 4. de loc. aff. cap. 5. & 3. prognost. 20. reprehendit. Inflammationem itaque, quæ in interioribus faucium musculis oritur, Συνάγχη nominant; eam verò, quæ in exterioribus eorundem musculis fit, Παρασυνάγχη; Inflammationem item, quæ in interioribus musculis gutturis accidit, vocant κυνάγχη; eam autem, quæ in exterioribus ejusdem musculis oritur, Παρακυνάγχη. Est autem omnibus *Anginæ* differentiis communis deglutiendi difficultas, adeò ut potus sæpè per nares remeet; vide *Angina*.

Cynodontes, vide *Canini dentes*.

Cyphosis, Κύφωσις *Gibbositas*, seu *Gibberositas*, vitium spinæ est, quod à casu, ictu, & tuberculis crudis & duris, anteriorem thoracis partem distendentibus, pulmonemque prementibus, aliquando contingit, ut docet Galen. eo aphor. quo scribit Hipp. *gibbos* ex asthmate,

aut tussi factos, ante pubertatem mori; vide *Gibberositas*: Dicitur eadem, Κύρτωσις, nempe Spinæ dorsi distortio in posteriorem partem; hæc & ὀπισθοκύφωσις dicitur, ut annotavit Galen. 8. de artic. Opposita huic Contorsio, dicitur *Lordosis*, λόρδωσις, spinæ vertebris in anteriorem partem conversis; vide *Lordosis*.

Cyrtosis, vide *Cyphosis*.

Cyrtoma, Κύρτωμα, *Tuberculum in Ilii*, appellavit Hippocrates, & omnem tumorem præter naturam generali significatione, quòd & *Oedema* ab eodem appellari solet, 2. prognost. 25.

Cyssaros, Κυσσαρος, est ultimum intestinum in ordine, quòd & *Rectum* dicitur, & Podex est, libr. quod animal sit, id, cap. 5. vide *Rectum*.

Cystis, κύστις, *vesica*, est pars membranosa, urinam à renibus excipiens, & foràs excernens, exanguis, nervosa omninò, latissimè distendi, & arctissimè contrahi idonea, ut reliqua omnia alba, & exanguia, nervis insignibus instructa; partim à ramo sextæ conjugationis, qui per costarum radices ad partes ventris infimi tendit, partim ex infimâ spinali medullâ derivati: in quam renes, tanquam in lagenam, urinam deponunt per meatus οὐρητῆρας dictos, qui à renibus prodeuntes, obliquo itinere delati, inter ipsius tunicas, paulò supra ipsius os, inseruntur; cujus vesicæ cervicem musculus ambit, transversis constans fibris, quibus undequaque constrictis, vesicam claudit, ne urina effluat. Duabus constat tunicis, unâ propriâ & internâ villis valdè intertextâ, intus rectis, foris transversis, mediis inter hos obliquis; alterâ verò exteriore, ex peritonæo pubis os intus vestiente ortâ. Præter nervos dictos, etiam venæ & arteriæ inter vesicæ tunicas à colli lateribus ad usque fundum sparsæ sunt, à ramo per foramen ossis pubis in crus descendente. Illæ sanguinem & spiritum vesicæ subministrant, cùm ipsa alioqui exsanguis

sanguis sit. Urinam autem ubi continuerit, donec vel quantitate vel qualitate molesta sit, excernit: in fœtu quidem quamdiu utero continetur per ὄυραχον in cavitatem tunicæ allantoidis, edito autem in lucem foras per οὐρήθραν.

Cystin choledochos, quæ & *vesica fellis*, & *vesica bilis susceptiva*, Græcè autem κύστις χοληδόχος dicitur, vesica est, in cavâ ipsius hepatis parte sita, inter venæ portæ & cavæ radices, bilem ex jecinore attrahens, quam rectis fibris trahit ex hepate, obliquis retinet, transversis verò expellit, quæ & ob id, *fellis folliculus* appellatur, 4. de usu part. cap. 12. & 2. de natur fac. cap. 9. & 9. de anatom. adm. cap. 2. A collo enim suo stomachos habet duos, unum in hepar, inter venæ portæ & cavæ radices numerosis furculis distributum, quibus bilem in se allicit: alterum verò rarò geminum, sæpiùs simplicem in Ecphysim delapsum, quo in ipsum & intestina bilem flavam expellit, eversa facilè gemina membrana ejus osculum in Ecphysi claudente. Maximo illa hepatis lobo dimidia mergitur, reliquam simæ hepatis tunica tegit ad venæ portæ exortum, â quâ venulas duas, quas κυστικὰς quibusdam appellare placuit, & à vicinâ hepatis simæ arteriâ arteriolas in imum usque fundum admittit. Recipit verò etiam unà portionem quandam nervi, qui à sextâ conjugatione per costarum radices dextrâ parte ad partes ventris infimi pervenit.

D.

DACTYLIOS, ὁ πρωκτὸς καὶ ἡ ἕδρα, id est, *Podex*, 1. de compos. med. loc. cap. 15. sunt quoque qui *rectum intestinum* eo nomine intelligant. Δακτύλιος etiam ab Hippocrate aliquando dicitur, ὁ κύκλος ἢ τροχίσκος, hoc est, *Circulus*, *Pastillus*, sive *Orbiculus*, quo in medicinâ utimur: δακτύλιον dicitur à quibusdam τὸ σκαμμώνιον.

Darsis, id est, *excoriatio*, quâ cutis, à subjectis partibus scalpello deciditur, & separatur, 3. de anatom. adm. cap. 2.

Dartos, una est è quatuor membranis, quæ testes involvunt: earum prima & intima, *Epididymis*; post eam, *Erythroeides*, id est, *vaginalis*; tertia, *Dartos*, carnosa, *Erythroeide* multò valentior & crassior; quarta & extima, *Scrotum* est, Introd. cap. 11. Mulierum autem testes, penitius in vulvâ latentes, unicâ tantùm tunicâ contenti sunt, quæ *Darta* appellatur, proportione respondens tertiæ testium virilium tunicæ, cæteris autem recensitis carent, de dissect. vulvæ, cap. 9.

Dasymma, oculi vitium, vide *Trachoma*.

Dearticulatio, ea est ossium naturalis conjunctio, cujus ratione copulata ossa evidentem motum habent, & contrà, *Synarthrosis*, *Coarticulatio* naturalis ossium est commissio, quæ exiguum & obscurum aliquando, aliquando nullum motum præ se ferunt, & edunt, 2. de artic. 8. & 1. de artic. 1.

Declinatio est illa paroxysmi pars, quæ statum ipsum subsequitur, usque ad secundæ accessionis principium, 1. crisi. 3. vide *Principium*.

Decrescens febris, vide *Continua*.

Decretorius, sive *Iudicatorius dies* est, in quem ut plurimùm morborum judicii tempus incidit, 1. de diebus decretor. cap. 3. Est adhuc alius dies *Iudicatorius incidens*, sive *intercalaris*, in quo imperfectæ solent fieri judicationes, ut *dies tertia, quinta, sexta, nona*, 3. prognostic. 1. *Decretoria* autem signa sunt, quæ salutem ægri, per crisim futuram ostendunt, 1. crisi. cap. 7. *Incidentes* verò, sive *Intercidentes dies*, differunt à *Iudicatoriis*, & *Decretoriis*, cùm eorum naturâ, tùm usu. Naturâ quidem, quòd naturæ suæ ratione *Iudicatorii* perfecti sunt, (omnibus siquidem ritè factis, solâ naturâ sponte agente, in iis crises fiunt,) ac numero quaternario, & septenario dividuntur; *Intercidentes* autem minùs

minùs perfecti sunt, & in eos, non nisi aliquo errore interveniente, crises incidunt; unde non vi naturæ, sed morbi malitiâ, aut aliquo extraneo impellente, in iis crisis accidit: Atque hinc est, ut à nonnullis *dies provocatorii* nominentur, quòd in his natura ad pugnam irritata, insurgit. Usu adhuc differunt *dies judicatorii* & *intercidentes*, quòd ad futuri vigoris & judicii cognitionem, quaternariorum circuitus sufficiunt; ad crisim verò jam factam discernendam, num scilicet fida, aut infida sit, intercidentium cognitio conducit.

Deficiens pulsus est, qui admoventi digitos, videtur exsolutus, & tenenti applicatos paulatim, prorsus definit, 2. de caus. puls. cap. 3.

Deficiens decurtatus, *Μυωξίζων σφυγμὸς pulsus*, qui & *mutilus*, & *decrescens pulsus* dicitur, est, qui perpetuò diminuitur, nec minui desistit, ad quietem denique omnimodam venit, prorsusque deficit; qui pulsus, si iterum redit, & de integro augetur, *decurtatus reciprocus* dicitur, 1. de diff. puls. cap. 11. quòd si in eo nulla servetur æqualitas, motuque ipso frequenter deficiat, *deficiens inæqualis* appellatur, 2. de caus. puls. cap. 12. nomen autem Græci à figuris, quæ in acutum desinunt, & à Caudâ muris transtulerunt: hujusmodi autem pulsuum inæqualitas, *Systematica*, sive *Collectiva* dicitur. Pulsus omnis *μύωρ* provenit ab imbecillitate facultatis pulsificæ. Verùm ea imbecillitas in eo, qui *μύωρ ἐκλείπων* dicitur, maxima est, neque enim se recipit, & recolligit; postea in eo, qui in quâ desiit parvitate, hanc servat, minor verò, ubi magnitudinem recuperat.

Deglutitio, *καπάτοσις*, est cibi & potus ab ore in ventriculum per œsophagum descensus. Actio est facultatis attractricis, quam vi fibrarum rectarum agit, quas multas interna ventriculi tunica possidet, ad id munus naturâ comparatas. Id quòd liquidò cernitur, deglu-

tien-

tientibus nobis, larynge simul sublatâ, sursumque in tantùm currente, quantùm gula deorsum trahitur. Cum autem completâ jam deglutiendi functione laxaverit se gula, tunc luculenter descendere cernitur summa arteria: siquidem interna ventriculi tunica quæ rectas habet fibras, quæque tum gulam intrinsecus vestit, tum os ipsum, ea super internis summæ arteriæ partibus extenditur, quo fit, ut cùm ipsa à ventriculo deorsum trahitur, simul etiam summa arteria necessariò attrahatur.

Dejectiones, & *Subductiones*, solet Hippocrates vocare, *excrementa per alvum exeuntia*, 7. aphor. 64. *Syncera* autem dejectio est, quæ unum tantum humorem, cæteris impermistum habet, 2. prorrhet. 5. ut dejectio biliosa, sola bilem flavam egerit.

Deletetium, quod & *Phtharticum*, & *Phthoropœum* dicitur, lethale venenum est, quod ubi in animalis corpus ingressum fuerit, totum id momento temporis immutat, sibique simili affectione alterat, penitusque enecat, 1. de semin. capit. 16. Id genere duplex est: Unum quod omnino corpori contrarium est, & nullâ qualitate à corpore alterari potest, ejusmodi est papaveris succus, siquidem nullâ substantiæ suæ mutatâ parte, sed tota servata integra corpus nostrum afficit: neque enim in eum quicquam agere, ne unâ quidem qualitate potest, multò minùs totâ suâ substantiâ possit. Alterum genus est eorum, quæ ex nostro calore momentum, aliquod mutationis accipiunt, ac deinde in multifarias alterationes vertuntur, quibus naturam nostram corrumpi accidit. Sunt autem hæc genere duplicia: alia, potestate calida, ut quæ corporis naturam rodunt, putrefaciunt & liquant: alia verò frigida sunt, ut cicuta, hyoscyamus, mandragora. Hæc enim omnia calido corpori applicata, & mutationis momentum aliquod hinc adepta, partim eorum ad summam caliditatem, partim perveniunt ad putredinem, partim in con-

delata

lelata, calorem nativum ſuo frigore extinguunt. Tamctſi verò etiam Alexipharmacum medicamentum ultra modum exhibitum nos interficiat, moderatâque in doſi aſſumptum ſanet, non ob id deleterium cenſendum eſt; propriiſſimè enim deleterium eſt, quòd quocumque tempore, loco, & quantitate quantumvis minimâ ſumptum, aptum eſt interficere: comm. 6. in 6. de morb. vulgar. 5.

Delirium, deſipientia, παραφροσύνη, mentis alienatio, duobus modis dicitur, generaliter, & ſpeciatim; generaliter, eſt motus errans, & depravatus facultatis imaginatricis, aut ratiocinatricis; plerumque in utrâque facultate conſiſtit delirium, tum parùm probè imaginando, tum parùm aptè ratiocinando; aliquando verò in alterâ tantùm facultate, ut exemplo illuſtrat Galenus, libr. de ſympt. diff. cap. 3. Theophilo nempe Medico, contigiſſe, ut ſola ei imaginatio depravata fuerit, ſimiliter & phrenetico cuidam, qui omnia vaſa diſcernens, & ſuis nominibus appellans perfregit: huic enim ſola vis ratiocinandi depravata fuit, atque tum maximè ſine febre eſt, 1. prorrhet. 1. & 4. Inſanire omnes dicunt eos, qui citra febrem deſipiunt; & ſubdit omnes, qui mente læſi, continuè febricitant. *Phrenetici* vocantur, ſolâ febre ab iis, qui *deliri* appellantur, diſcrepantes. Speciatim verò ſignificat mentis alienationem cum febre, à Phrenitide differens, quòd hæc fiat, Cerebro primario affectu laborante, cum ſymptomatum magnitudine & vehementiâ: Dilirium autem ejuſdem febris ſymptoma eſt, atque ex ſubjectis Cerebro partibus affectis, inprimis verò ex inflammato Diaphragmate originem ducit, ſublato in caput acri, & ferventi bilioſi ſanguinis vapore; neque impetus tantos habet, quantos Phrenitis, 5. de loc. aff. 4. Accidit autem potiſſimùm in febrium ardentiſſimarum vigore: quanquam & aliquando in principiis, pro qualitate ſcilicet humoris moti, & ce-

& cerebri robore aut imbecillitate. Eâ autem qui de tinentur, nemo φρενιτικὸς appellaverit, ut ait Galenus libr. 3. de libr. aff. Sed vel παραφροσύνας, vel παραπλη σίας, vide *Phrenitin*, & *Paraphrosyne*.

Deltoeides, quasi deltæ literæ figuram imitans, mus culus est multum carnosus, & in longum exporrectus qui superiorem humeri partem, quâ brachii caput est tegit, (unde & ἐπωμὶς dicitur, quasi humero instratu & superpositus) qui etiam totius manus initium est 3. de anat. adm. cap. 3. Græcè Δελτοειδὴς sic dicitur quòd triangularis videatur, ut ad literæ Δ similitudi nem efformatus: cujus basis intelligi potest à medi claviculâ, ad extremam usque scapulam secundum hu meri longitudinem, à quibus scilicet partibus duci originem: latera verò hinc quidem internum à clavi culâ, inde verò externum ab imâ scapulâ ad medium usque brachium, quo loco hujus musculi veluti ver tex est.

Denervationes, (ἀπονευρώσεις Græci vocant) sunt ner veæ musculorum tenuitates, in quas musculi desinunt & *Tendones* dicuntur, 1. de motu musc. cap. 1. & 1. d anatom. adm. cap. 3. Nervus quidem non est, sed cor pus inter ligamentum atque nervum naturâ medium latum semper & aliquando tam tenue, ut membran videri posset, nisi fibris quibusdam intercurrentibus al eâ distingueretur; vide *Tendones*.

Dentem, sæpè Hipp. secundam colli vertebram vo cat, propterea hunc processum à dentis hominis simi litudine, *Odontoeidem*, id est, *Dentiformem*, appellat lib. de ossibus, cap. 8. Est autem ea apophysis secun do spondylo propria, perque eam cum primo spondy lo, & cum occipitis cavitate inter suas apophyses κορω νοειδεῖς per diarthrosim jungitur, & valido quodam ro tundoque ligamento occipiti alligatur, eique locum cui aptè & tutò affirmetur, & stabiliatur, præbet spon dylus primus, ipse quoque ligamentum quoddam

tran

ranſverſum producens, quod illi apophyſi intus injicitur: Subit enim dens in cavitatem primi ſpondyli. Ab hâc apophyſi totam etiam ipſam ſecundam vertebram Hippocr. ut Galenus ait, ὀδόντα appellavit. Alii *Pyronoeidem* productionem, à nuclei ſimilitudine nominant: Alii, à nuce Pineâ κωνοειδῆ. Ab eo caput inflecti & extendi, quod ἐπινεύειν καὶ ἀνανεύειν Græci dicunt, Galenus exiſtimavit, 12. de uſu part. cap. 7.

Dentes in oſſium numero reponuntur, mollium Cerebri nervorum participes, ob idque ſoli ſentiendi vim habent evidentem, libr. de oſſib. cap. 5. A reliquis adeo oſſibus differunt primum, cum reliqua ſenſu careant: dentium enim radicibus mollis quidam nervus à tertiâ conjugatione utrâque genâ inſeritur. Superiore quidem per foramen ejus quod ſub oculo eſt, inferiore verò ad muſculum in ore latentem. Hic autem nervus ſecum venam ad dentium nutritionem, & arteriam ad caloris nativi cuſtodiam, cum meninge tenui in dentes adducit. Inde fit, ut dolor in dentibus pulſatorius per inflammationes ſentiatur: verumtamen foris & in ſuperficie integros dentes non ſentire verum eſt, quod in eam dentis partem denſiſſimam nervi fibræ non permeant, eamque ob rem cum eâ parte limantur, ſecantur, uruntur, punguntur, non dolent. Totâ verò parte interiore quam ſint dolori obnoxii dentes, apertè docent qui eos cavos aſperiùs tractant, aut frigidi calidive contactu irritant. Deinde verò differunt ab aliis oſſibus, quod toto vitæ tempore dentes augeantur: Id enim niſi fieret, prorſus deficerent, cibis comminuendis attriti. Differunt & ab aliis oſſibus, quod nudi ſint, ſine membranâ, ſine carne, quodque ſint reliquis oſſibus, ut ait Celſus, duriores, videlicet ne occurſu mutuo, mandendo, frangendoque attenuarentur magis quàm reliqua oſſa, propterea quòd nec cartilagine, nec adipe, ut reliqui articuli, ſuperlinuntur, quibus atteri vetentur. Sunt autem dentes

tes in perfectis hominibus utraque gena sedecim. I
aliis enim plures sunt, vel pauciores, & tam multo
fieri potiùs, quàm unum expediebat, ne uno aut do
lente, aut vi vel vitio pereunte, affectio aliis commu
nis existeret. Quatuor autem incisoris unam modo ra
dicem habent. Κωνόδοντες singulares sunt radices sor
titi. Hi à basi rotundâ in acutissimum mucronem fasti
giati desinunt. Post hos sequuntur γόμφιοι sive μύλαι
hoc est, *clavales*, seu *morales*, quini ab utroque latere
ut plurimùm, aliquando autem pauciores aut plures
omnes asperi inæquales, ampli & lati. Hi pluribus ra
dicibus genis infixi sunt, ternis quidem genæ superio
ri, binis verò inferiori, nonnullis tamen exceptis qu
supra sæpè cum quaternis, infra verò cum ternis radi
cibus deprehenduntur. Sunt enim dentium genæ in
ferioris, quàm superioris radices & pauciores & mi
nores, quoniam genæ inferioris substantia durior den
siorque dentes suâ etiam gravitate incumbentes, fi
miùs continere potest, quam gena superior rara mo
lisque pendulos, & velut in casum ob suam gravita
tem proclivis. Habent autem dentes omnes in pue
ris epiphysim, quæ ipsis sæpè excidit sponte, sed re
licta dentis radice, alia prompte in ejus locum suc
crescit. Omnes præterea dentes infiguntur, ut ait Ga
len. ἐν τοῖς τῶν φαλίων βοθρίοις. Sunt autem φάλια, o
sa ipsos continentia: βόθρια verò, alveoli & cavitate
quas subeunt: priores quaterni, quia secant, Tom
τομεῖς vel τομικοὶ, id est, *Incisorii*, ad cultri similitu
dinem, ad eos cibos incidendos, qui mollitiem in
habent; hisce utrinque Canini adjacent, quòd Ca
num dentibus sint quàm simillimi, ad dura cibaria nc
secanda, sed admodùm confringenda. Ultra hos, m
xillares, & molares ab utroque latere, quòd iis ci
(veluti molis cereales fruges) tenuantur, & atterun
tur: ibidem.

Dentes genuini, qui omnium novissimi nascuntu

Σκφ

Σωφρονισῆρες, ut plurimùm ab anno duodevigesimo, usque ad annum vigesimum sextum; visi aliquando sunt etiam anno octogesimo nasci, aliquando indolenter, sæpè cùm magno cruciatu, utrobique singulares, in penitissimâ oris parte oriuntur; ideòque ita nominantur, quod nascantur, cùm homo σωφρονίζειν, id est, sapere incipit; sunt autem è genere dentium molarium.

Dentifricium, medicamentum est, quo utimur ad dentes confricandos, à sordibus abluendos, quin & gingivarum circumsitarum, quando humore fuerint prægnantes, ad depurationem, & absterssionem, 5. de loc. aff.

Dentitio, ὀδοντίασις, est dentis jam concreti, extra gingivam eruptio, seu dentium ortus, 8. de placit. cap. 6. Dicitur & ὀδοντοφυία. Primum quidem dentes intra suos alveolos concipiuntur & concrescunt; deinde erumpunt, quorum utrumque magno cum dolore fit. Illud ὀδοξυσμὸν, hoc ὀδοντιάζειν Græci vocant. ὀδοντάγρα Instrumentum est Chirurgicum seu Volsella, ad evellendos dentes, cujus usum simplicem nulliusque negotii esse, dicit Hippocrates.

Depascens ulcus, idem est ac *Phagedæna*; vide *Herpes*, & *Phagedæna*.

Deperditio, vide *Abortus*.

Deprehensiones, vide *Catalepsis*.

Depressum, & oblongum ossis caput voco, ad cervicem utrumque, cui adnascitur, referens, l. de ossib. in procem.

Derivationem appellare consuevit Hippocrat. quando succus aliquis evacuatione indigens, neque per convenientem regionem ferri incipiens, artis auxilio vacuatur per loca proxima: E. G. si per lotii vias exire cœperit, vitiatâ vesicâ, aut renibus, tunc per alvum derivare satiùs fuerit; veluti, si per ventrem vitiatis intestinis ferri tentaverit, succum evacuandum ad urinarios meatus dirigemus: In mulieribus verò nonnunquam ad uterum, aut è contrario, interdum uteri

profluvium, ad urinæ vias, ac ventrem derivabimus. At, si in aliquâ id genus evacuatione vomitum concitaverimus, *revulsionem* hanc nominant; ut, si vomitus etiam retraxerimus, ad uterum, aut vesicam, aut sedem, com. 2. in 6. de morb. vulg. 7. *Derivatio*, Græcis παροχέτευσις, ejusdem est generis cum evacuatione, facta per particulam, quæ fluxionem suscipit; fit autem per aliquam vicinarum partium. *Rivare* igitur est, per rivos ducere; *Derivare* autem est, à rivis ad latera divertere. Ex Oribas. lib. de Cucurbitulis; vide *Purgatio*.

Derma, vide *Cutis suprema*.

Desipientia est, cùm ægri nihil rationi consentaneum dicunt, aut agunt, 7. aphor. 14.

Desipientia ferina est, in quâ ægri calcitrant, pedibus feriunt, mordicus impetunt, & excandescunt, eos, qui ingrediuntur; tanquam hostes suos reputantes, com. 1. in 1. prorrhet. 25.

Deficcatio oculi, est idem ac spasmus oculi, libr. de ocul. cap. 13.

Desperata ulcera sunt, quarum curationem plerique aggressi non absolverunt, sed tanquam ab insanabilibus destitêre, 4. de comp. med. per gen. cap. 5.

Destillatio, id est, fluxio quælibet, quæ per venas à capite ad partes inferiores fertur, 3. aphor. 12.

Desudatio, ab Hippocrate sumitur, vel pro sudore circa Thoracem, & Caput apparente, vel pro eo, qui ex toto manat corpore, ubi tùm paucus, tùm nihil conferens, fuerit, comm. 3. in 1. prorrhet. 33. quæ & *Sudamina* dicuntur; vide *Sudamen*.

Detritio, vide *Rhacosis*.

Deûrens febris, vide *Continua*, & *Synocha*.

Diabetes, est *Vrinæ profluvium*, *Hydrops ad matulam*, *Hydrops matellæ*, *Dipsacos*, *Hydrops in vas urinale*, *Diarrhœa in urinâ*, Διαβήτης: ὕδερος εἰς ἀμίδα; εἰς οὖρα διάῤῥοια, ἄῤῥηκος; Synonyma sunt, quæ significant,

cùm

cùm continuò & exuberanter per urinam redditur id, quòd bibitur, nihil planè immutatum, 6. de loc. aff. cap. 3. de symptom. diff. cap. 6. Passio hæc talis est, qualis circa alvum lævitas intestinorum, & bulimos, extinctio, ut diceret quispiam, utriusque virtutis, & retentricis, & alteratricis, 1. de cris. 12. Consentit quidem quodammodo vesica, & copia urinæ premitur, at nec ipse morbus, nec morbi causa est in vesicâ, sed in solis renibus. Est autem attrahendæ urinæ inexplebilis cupiditas, & ejus retinendæ impotentia. Attractionem tantam excitat vel calida & sicca renum intemperies, vel humor biliosus, acris, salsus, & renes assiduè irritans, inque ipso renum corpore impactus, vel, ut ait Aretæus, morbus aliquis acutus in renes firmatus, & per crisim malignitatem suam in eos deponens, vel venenum aliquod deleterium, ex eorum genere quæ vesicam & renes infestant, quale id est quod à Dipsade funditur. Hæc enim omnia sitim ingentem movent, ob quam assiduè æger bibit. Potum autem hunc avidè renes attrahunt, antequam etiam in ventriculo concoquatur, sed eum propter imbecillitatem non retinent, sed talem effundunt, qualis sumptus est. Quâ in re Diabetes appetentiæ caninæ persimilis est, quam ὄρεξιν κυνώδη vocant. Nec verò id solùm quòd bibitur, protinùs crudum mingitur, sed humor etiam copiosus à renibus colliquato corpore trahitur, in eoque Diabetem propriè consistere, Aretæus arbitratur, definiens esse σαρκῶν καὶ μελέων εἰς ὦρον σύντηξιν, hoc est, carnium & membrorum in urinam colliquationem, ob quam & summa totius corporis macies est, & copiosior multò urina redditur, quàm potus est. Quod si vel modico tempore à mejendo abstinuerint, tument lumbi, testes, & ilia. Rarùm id prorsus mali genus, & à Galeno bis tantùm visum. Eo autem nomine appellatur, quòd humor corporis nullo in loco consistat, sed subinde de loco in locum διαβαίνῃ,

hoc est, pertransit, non aliter quàm aqua per siphonem, quem Διαβήτην vocant Mechanici, ut scribit Colum. libr. 3. cap. 10. Latini nullum illi peculiare nomen dederunt.

Diabotanum, Emplastrum ex herbis factum, 6. de compos. medic. per gen. cap. 2.

Diabrosis, sive *Anabrosis*, Διάβρωσις, καὶ Ἀνάβρωσις erosio, est oris alicujus vasis apertio, 5. de loc. aff. 5. à re acri, & mordaci facta, sive intrinsecus à vitioso succo, sive extrinsecus à valentioribus medicamentis, aut igne. Hæc ab effectu Διαβρωτικὰ appellantur, media quodammodo inter ἐκφορητικὰ καὶ καυστικὰ, hoc est, *extergentia*, & *adurentia*. Sunt enim extergentibus valentiora, urentibus autem debiliora, & periculosa minùs, ut scribit Galenus. Hujus generis sunt, *Auripigmentum*, *Sandaracha*, *Asiæ petræ flos*, & *Misii*.

Diachylon, Διαχυλῶν, Emplastrum, quod ex succis est compositum, emolliens, concoquens, 7. de comp. med. per gen. cap. 9.

Diacodion,, confectio est, ex capitibus papaveris, 7. de comp. med. loc. 2.

Diadosis, Διάδοσις, *digestio*, seu *distributio alimenti* est, cùm sanguis alimentarius ex jecore, per venas majores, in minimas, ipsumque in corporis habitum transit, vide *Anadosis*.

Diæta, victus ratio, est certa victus institutio, & norma, non in solo cibo, & potione consistens, verùm in omnibus aliis sex rebus externis non naturalibus, ut Otio, Exercitatione, Venere, Somno, Vigiliis, Repletione, Inanitione, Animi affectibus; ad Thrasib. cap. 35. In *Diætâ* duo hæc potissimum sunt præcepta, in quibus tota ferè vertitur: integram sanitatem similibus esse conservandam, inclinatam autem & in vitium propè ruentem, modico contrariorum usu retinendam esse. Inde *disciplina*, quæ hanc instituit, *Diætetica*, Διαιτητικὴ dicta, est pars artis medicæ curativæ,

ἧς πα-

θεραπευτικῆς, tùm quæ sanis ad imminentes arcendos morbos, tùm quæ ægris ad præsentes profligandos debetur, 11. method. cap. 15. Præter diætam θεραπευτικὴν, alia est ἀναληπτικὴ, quæ convalescentibus â morbo convenit, in quibus quia nulla præter naturam causa supereſt, neque affectio morbosa, sed infirma tantùm sanitas, aut parva admodum vitia, quæ per imbecillitatem vitari vix possunt, eâ diætâ utendum, quæ robur quòd deest, suppleat, quodque vacuatum est atque dissipatum, resarciat, simulque concoquat, evacuet, purgetque excrementa, & ab his abstineat, quæ sanitatem sæpè labefactant, cujusmodi sunt algor, æstus, lassitudo, cruditas, ebrietas, vigiliæ, iracundia, & reliqui animi affectus. Hæc enim omnia ὑπ' ἀλγήματος nomine comprehenduntur.

Diagnostica signa sunt præsentium rerum, causarum morbidarum, & morborum declarativa, libr. de opt. sec. emp. cap. 5. vide *Prognostica.*

Dialeimma, est illud intervallum, quo febris ad infebricitationem venit, antequàm sequens annotatio adveniat, lib. de morb. temp. cap. 3. Dicitur quidem in febribus ἀπυρεξία, in aliis verò morbis, ut *Cephalæâ*, *Epilepsiâ*, *Podagrâ*, simpliciter ἀλγήμα διὰ τὸ ἀλγεῖσθαι, hoc est, ab intermittendo; significat autem apud Hippocratem, διὰ κενῆς ἄνεσιν, hoc est, remissionem puram & syncerам, ut aphoris. 43. lib. 4. Febres quæcunque non intermittentes, tertia die fortiores fiunt, magis periculosæ: si verò quovis modo intermiserint, periculum abesse significatur. Sic enim in Comment. Galenus explicat: Idem verò scribit intermissionem bifariam dici, primum quidem de iis febribus, quæ accessionem perpetuam non habent. Deinde verò de iis, quarum accessio non solvitur integrè, etsi insignes subeat mutationes, & post principium, augmentum atque vigorem manifestam habeat remissionem.

Diapedesis, Διαπήδησις, est exiguorum vasorum apertio, vel potiùs eorundem tunicæ extenuatio, adeóque excretio seri sanguinis, 3. de caus. sympt. cap. 2. Fit ergò ex tunicâ rarefactâ, sanguine verò tenuato, & ex gracilium vasorum ore adaperto; unde transcolatur sanguis, & sudoris aut roris more transmittitur, 5. method. cap. 2. Eumque in modum ex jecinoris renumque debilitate mejitur, ac sæpè per alvum dejicitur sanguinolentum serum. Itaque τῆς Διαπηδήσεως præcipua causa est sanguis serosus, tenuis, & calidus effluens per vasorum tunicas rarefactas. Quod si contigerit aliquando Διαπήδησις apertis vasorum osculis, vasa quidem omninò exigua sunt, & ex quibus sanguis impetu, & copiosus emanare non potest. Differt ab *Anastomosi*, in quâ tùm majorum venarum, arteriarumque ora aperiuntur, tùm sanguis impetu, & copiâ erumpit, ex iisdem apertis.

Diaphanes, Græcè, Διαφανὴς λίθος, Latinè dicitur, *Lapis specularis*, ex iis est, qui leniter, ac sine morsu exsiccant, qui ustus ulceribus ægrè cicatricem admittentibus, non item malignis, ac rebellibus, conducit, 4. de comp. medic. per gen. cap. 1. Significat etiam *Perspicuum*; item *Candens* apud Hippocratem, ut interpretatur Galenus, commentar. 1. εἰς τὸ περὶ ἄρθρων, Quo loco consulit Hippocr. ferramenta quæ ad alam admoventur, candentia esse oportere.

Diaphoresis, Διαφόρησις, Latinè *Digestionem*, seu *Evaporationem* dixeris, est, quæ humorem, qui in phlegmone obsessâ inflammatâve parte continetur, per meatus insensibiles educit, sub specie halitus, 13. method. cap. 16. & medicamenta quæ id præstant, Διαφορητικὰ, hoc est, *Discussoria*, & *per halitum digerentia*, appellantur. Omnia in universum desiccant, idque duplici ratione, aut *humores ebibentia*, velut & *per cutis meatus exugentia*, cum poris quibusdam insunt, aut *totam alterantia partem*, 5. de simplic. med. fac. cap. 5. Ea proxima

sunt

sunt attrahentibus; siquidem vicinæ sibi virtutes sunt, eorum quæ in alto latent attractrix, & attractorum digestrix. Nam quæ trahunt, etiam nonnihil omnino discutiunt; & quæ discutiunt, pariter trahunt.

Diaphragmatitides membranæ, διαφραγματίδες ὑμένες dicuntur membranæ illæ, quæ totum thoracis spatium, à gulo ad septum usque, in duos sinus, dextrum, sinistrumque dividunt, vulgò *Mediastinum* vocatur; vide *Hypezocotes, Cingentes.*

Diaphragma, septum transversum est, quod & *Phrenas*, id est, *Mentem*, appellarunt Antiqui; quia (ut aliqui putant,) eo inflammatione affecto, mens lædatur: nam multi quidem, varios ob morbos, delirare solent; sed quæ eo affecto incidunt deliria, non multùm distant à Phrenitide; nulla enim pars, Cerebro subdita, præter Septum transversum, perpetuum delirium excitat; itaque maximus illi videtur esse cum mente & hujus sede (Cerebro) consensus. A Platone *Diaphragma* vocari cœpit, id est, Septum transversum: est enim musculus rotundus, obliquus, membranosus, & carnosus, medius inter partes nutritioni servientes, (quas Peritonæum continet,) & inter spiritus organa, (quæ tunicâ succingente concluduntur:) eamque ob rem *Diaphragma* nominatur, quòd eas partes διαφράττει, id est, dividat, quasi Septum quoddam medium: quâ ratione Aristoteles illud *Succinctura*m appellat, 5. de loc. affect. 4. Majores nostri *Præcordia* nominarunt, quia cordi prætenduntur, com. 1. in 1. progn. 24. Hic musculus liberæ respirationis instrumentum, nec situ, nec formâ, ulli alteri musculo respondet: siquidem in medio caput principiumve habet, ex quo fibræ, instar linearum, à centro ad circumferentiam excurrentium, in eas partes proficiscuntur, in quas ipse inseritur. Est autem suo capite membraneus, indeque paulatim carnosior efficitur. Totus admodum obliquus est, si quidem antè pectoris ossi, juxta mucronatæ cartilaginis

radicem adhærens, per ſpuriarum coſtarum extrema in lumbos duabus aponeuroſibus longiùs protenditur, itaque à prioribus partibus deorſum ad poſteriora vergit. Duabus membranis tegitur, unâ inferiore à peritonæo; alterâ ſuperiore, à tunicâ coſtas ſuccingente. Dicitur & in naribus διάφραγμα. quòd narium meatus dividit: Κίων & σωλὴς à quibuſdam dicitur.

Diaphthora, eſt corruptio ciborum in ventriculo, 2. de loc. affect. 1.

Diapyemata, vide *Empyemata*.

Diaria febris, ἐφήμερος πυρετὸς, Ephemera febris eſt, quæ unicâ acceſſione, unoque plurimùm die naturali, à ſolâ ferè naturâ curatur, à causâ manifeſtâ (ut ex irâ, inſolatione, luctu, pugnâ) orta, 9. method. 1. In ſpiritibus accenſam, excitant cauſæ, aliis febribus communes (præter ſpirationem, & putredinem) Ira, Dolor, Vigilia, Cura, Æſtivus Sol, Fatigatio, Bubo, Pertinax ſtudium, Cruditas.

Diarrhœa, διάῤῥοια, id eſt, *Profluvium*, copioſior eſt alvi fluor, ſine phlegmone, & ulceratione inteſtinorum, libr. finit. Per *Diarrhœam*, vel pituita, vel bilis altera, ſyncera, aut invicem miſta vacuatur, ab humoris copiâ, vel cruditate, quæ aut in toto corpore, aut in certâ quâdam parte ſedem habet, exorta: Ventriculus enim multitudine gravatus, quam vel ipſe colligit, vel ex aliis ſeſe in eum exonerantibus ſuſcipit, aut pravâ aliquâ qualitate irritatus, quàm cruditas (quæ propriè δυσπεψία dicitur) invexit, τῇ διάῤῥοίᾳ infeſtatur, præſertim ſi ejus orificium, ſupernæque partes valentes ſint; infernæ autem & πυλωρὸς languidæ: nam ſi contrà acciderit, vomitiones pro *Diarrhœâ* ſuccedent, ut docet Galenus, 3. de natural. facultat. Uti autem ex ventriculo in inteſtinâ materiâ *Diarrhœæ* fluit; ſic etiam per Venas meſaraicas in eadem portio ipſius defertur. Cæterum humorum cruditatem cum vitioſi cibi potuſque, aëris intemperies, inſue-

insuetum otium, cutis adstrictio, tum etiam febres longæ aut acutæ moliuntur, quæ & humores & ipsum corporis habitum vitiant, ut inde facilè *Diarrhœa* excitetur. Verùm sicut ea febribus quandoque succedit; sic illas utique non minimè proritat, ex desurgendi frequentiâ. Quod si etiam rosio, aut dolor, aut calor immodicus (quæ pro qualitate humoris fluentis sentiuntur) in ventre atque intestinis sit, huic certè vel longè magis affectio febrilis increscit: sed nec solæ febres Diarrhœam movent, sed etiam venena sumpta, & purgantia medicamenta, quæ intemperiem in jecinore ventriculo, aut intestinis reliquerint: Quæ quamdiu manebit, alvus descendet, perque eam corrupti & putres humores, non unius quidem generis, sed varii pro ciborum differentiis, & ægrotantis in temperaturâ vacuabuntur.

Diarrhœa in urinâ, vide *Diabetes*, & *Canina cupiditas*.

Diarthrosis dicitur aliquando generatim omnis ossium compositio ad motum voluntarium comparata, apud Gal. sed nonnunquam speciatim sumitur: estque altera ἄρθρων, id est, *articulationū differentia*, quam definit Gale. esse σύνθεσιν, sive σύνταξιν, hoc est, commissuram naturalem ossium, inter se motum evidentem habentium. Eam alio nomine Hipp. παρθρωσιν appellat. Est autem ea ossium connexio omnino laxior, sic ut evidens, facilis, magnusq; motus sit, cujusmodi in cruribus, brachiis, manibus & pedibus habetur. Hujus tres differentias Gal. statuit, ἐνάρθρωσιν, ἀρθρωδίαν, γίγλυμον.

Diaspermaton, medicamentum est, quòd ex seminibus constat, 7. de comp. med. per gen. 7.

Diaspoleticum, medicamentum est, cujus compositionem, Cuminum, Piper, Ruta, ingrediuntur, 2. de sanitat. tuend. cap. 5.

Diastole, est motus dilatationis, & elevationis arteriæ, ad substantiam quandam exteriùs attrahendam, quo nativus totius animalis calor, cùm primis aëream,

per immissum spiritum refrigeretur; quemadmodum *Systole* est arteriæ submissio, & contractio, ut id, quod ex humorum deustione in toto animali contractum, veluti fumida superfluitas est, expellatur, libr. de usu pulsuum, cap. 3. Ut eundem usum præstet Diastole, & Systole, totius animalis calori, quem inspiratio & exspiratio, particulatim calori Cordis, ibidem.

Diatessaron, Emplastrum, quod ex quatuor rebus constat, *Chalcitide*, *Misy*, *Diphyrge*, *Chalcanto*; 5. de compos. medic. per gen. cap. 14. Διατέσσαρον Græcè. Διαπετάλων nomen quoque est potionis, quam Antiqui ad coxendicis dolorem instituerunt continuandam toto anno. Sic dicta est, quòd quatuor medicamentorum generibus constet, hunc in modum: Chamædryos pondo, gentianæ unciæ novem; Aristolochiæ rotundæ unciæ novem; Rutæ seminis sicci sextarius: Hæc tusa, dantur quotidiè ad annum jejuno ex duobus aquæ frigidæ cyathis. Autor Paul. lib. 3. cap. 77.

Diatrion piperon, id est, medicamentum, triplici piperis genere constans, 4. de sanit. tuend. cap. 5.

Diatritos, id est, tridui inedia, ut *Diatritarii*, qui triduanam inediam præcipiunt, 4. method. cap. 4. cujus primus autor Thessalus; Διατρίτῳ Græcis. Inventum est Empiricorum, totum autem erat in victus ratione, quam ita instituebant in omnibus ægris, ut primum in quarto die ipsos cibarent, post in sexto, mox in octavo, deinde in decimo. Prima quidem cibatio post primam Diatriton, reliquæ alternis diebus: Sed nugas eas & deliramenta Galenus multis in locis ridet.

Dichophyia, pilorum defectus est, quando bifurcantur, lib. finit.

Dichroma, (δίχρωμον Græcè) Emplastra sunt, quæ & *Gilva* dicuntur, coloris ambigui, 2. de compos. medic. per gener. cap. 1. Neque enim particularis alicujus medicamenti nomen est, sed multorum quæ duplici

plici colore prædita sunt. Horum autem colorum rationem Galenus explicat, libr. 2. ad Glauconem, de sinu differens. Ex Lithargyro, inquit, & Ærugine, plurimum decoctis emplastra fiunt πυῤῥὰ ἢ φαιὰ, id est, fulva dicta; quibus, ubi statim reponuntur, quædam extrinsecùs supereminentia fusca concrescit, sub quâ pars medicamenti profundior, plusquam ab initio fulva videtur, propterea *dichroma* vocant, id est, *bicolora*: quidam verò eadem vocant, *Diprosopa*, διπρόσωπα, id est, *bifacia*, 2. ad Glauc. 8.

Dicrotus pulsus, δικρόϛ σφυγμὸς, seu bis feriens, est, cùm in diastole, quæ fit quasi recessio arteriæ, non perfecta obitur, sed cunctatur, idque pro subductionis, aut inhibiti spiritus quantitate, deinde repetitio perfecta, debitæ fit contractionis, libr. finit. Estque unus pulsus, non duo (contra Archigenem) qui simulatque omnem distentionem effecit, se paulisper subducit, ac mox pulsat iterum, ut intermittentium quies media, ictus intercipiat, cujus dicroti contractio, congressus, vel reditus dicitur, 1. de differ. puls. cap. 17. qui post absolutam diastolen, antequam perfectè contrahatur, secundò tactum ferit, ut ex malleis incudem percutientibus, & posteà resilientibus, apparet. Talis fit nonnunquam propter inæqualem cordis intemperiem, propter quam inter se contendunt calidæ partes cum frigidis, ut subsistere interim necesse habeant calidæ retentæ à frigidis, interim celeriùs frigidæ moveri à calidis attractæ. Fit etiam & cùm collectus est in multis ejus partibus ingens fulginosorum excrementorum acervus: si namque unà contingat, ut cordis partes quædam sint præcalidæ, aliæ fumosâ fuligine præfocentur, ad contrarios profilient motus, ut alteræ distentionem moliantur, alteræ verò ad superfluitatum expulsionem confidant, ex quâ lucta tres numero pulsus hujus differentiæ existunt, ut docet Galenus, lib. 2. de præsag. ex puls.

Didy-

Didymi, Δίδυμοι, 14. de usu part. cap. 14. dicuntur propriè fratres uno partu editi; dicuntur & *Testes*, honestiore vocabulo, ut ait Galenus; dicuntur & Δίδυμοι in Cerebro, de quibus vide *Glutia*.

Dies, apud Medicos non solùm *lucem*, sed etiam *noctem* complectitur, non id tempus tantùm, quo Sol supra terram fertur, appellantes *Diem*; sed etiam illi tempora noctis adjacentia, 2. de crisi. cap. 2.

Difficultas intestinorum, quæ & Δυσεντερία dicitur, 2. de faculiat. nat. capit. 9. propriè *ulcus intestinorum* est, ex mordaci bile flavâ, atrâ & pituitâ salsâ, quam sequitur interaneorum abrasio, cum quibus paulum cruoris secernitur, immitissimis cum torminibus, 6. de loc. affect. cap. 2. in quibus difficultatibus intestinorum, cùm adhuc constituuntur, quædam corpora pinguia excernuntur; post hæc autem nisi finiri anticipaverint, quædam ramenta intestinorum, (ablatâ ipsorum superficie interiore, quæ membranosa existit, & densa, illi, quæ cutem exteriùs contegit, Epidermidi, id est, Cuticulæ appellatæ, proportionalis) post hæc autem (Dysenteriâ videlicet jam completâ) aliquid ex ipsâ abraditur substantiâ intestinorum: excernuntur enim partes magnæ intestinorum, quas & *Carnes*, & *Caruncul as* vocare possumus, 4. aphor. 26. Consistit autem illa interdum in crassis, aliquando in tenuibus intestinis, id quòd ex cruore, & ex ipsis ramentis dijudicatur. Nam si & cruor & ramenta ita mista sunt reliquis excrementis, ut universa misceantur universis, in superioribus: si verò supernatant, in inferioribus intestinis ulcus esse ostenditur. Talis quippe propriè dicta, *Dysenteria* est, nomen habens à læsâ particulâ, quam solam plerique *Dysenteriam* nominandam censent; etsi Hippocrates atque alii, non ipsam modo intestinorum exulcerationem, verùm omnem cruoris per intestina vacuationem, *Dysenteriam cruentam* nominent; nomen morbi, symptomati tribuen-

buentes, 4. de artic. 40. Sunt autem excretionis sanguinis per intestina sine ulcere tres modi: unus propter boni sanguinis copiam in toto corpore aucti, qui ex venarum orificiis in intestina apertis effunditur, eo tantum differens ab hæmorrhoidum profluvio, quòd in hoc venæ ani duntaxat, in illo autem secundum totam intestinorum longitudinem, perque omnes eorum anfractus, longéque ab ano venæ aperiantur. Talis δυσεντερία αἱματηρὰ appellatur, acciditque potissimùm iis, quibus aliquod membrum excisum est, aut intermissa exercitatio. Secundus est, cùm propter jecinoris imbecillitatem aquosus sanguis dejicitur, loturæ carnium persimilis: quòd enim imbecilla sit vis ejus retentrix atque alteratrix, sanguis ejusmodi excernitur, vocatur autem ea δυσεντερία ἡπατηρά. Tertius est, cùm sanguis, propter bilis flavæ vel atræ permistionem acrior, venarum orificia aperit, & per intestina fertur. Hæc proprio nomine caret, & à Paulo comprehenditur sub eâ dysenteriæ specie, quam αἱματηρὰν vocant: distinguitur verò à Galeno, libro tertio, de causis symptomatum, illam propter sanguinis copiam, hanc propter acrimoniam effici asserenti. Itaque quatuor sunt in universum dysenteriæ: una verè & propriè dicta, tres verò impropriè à symptomate, quòd omnium commune symptoma sit sanguinis per alvum excretio.

Difficultas urinæ, vide *Ischuria*.

Difflatio, *Perflatus*, & *Difflatus*. Quicunque in Hippocrat. placitis legitimè versatus fuerit, is demum didicit difflationem esse, quam Medici omnes usitato vocabulo, sensum latentem transpirationem appellant, quâ difflantur corpora vaporosa, aliam quidem talem esse, qualis vapor est, aliam autem, qualis aër siccus, atque aliam, cùm, quæ videri possunt, exeunt humiditates. Adversus Lycum, cap. 2. quæ Græcis, Λόγῳ διαφόρῳ ἄτμιον, & ἀδήλῳ αἰσθήσει ἄτμιον, hoc est,

per-

perſpiratio, & diffiatus, qui ratione comprehenditur & tranſpiratio ſenſu, imperceptibilis appellatur. Hæ corporibus omnibus toto vitæ curriculo ineſt, ejuſqu autor eſt calor nativus, etiamſi varia ſit pro diſcrimi ne ætatum, anni temporum, ſtudiorum, & totius, u breviter dicam, diætæ. In quibus tamen differentii commune hoc ineſt, quod calidioribus temporibus regionibus, ætatibus, naturis, diætis non parva ſub ſtantiæ noſtræ portio per ἀναπνοὴν exhalet, ut contr in frigidioribus pauca propter cutis aſtrictionem. Eſ autem neceſſaria diffiatio ad corrigendam qualitate & intemperiem, quæ retentis fuligionoſis & acribu excrementis neceſſariò excitatur: eoque fit, ut qui bus ſuppreſſa eſt, eos febres facilè corripiant; vid *Inſpiratio.*

Digiti, Δάκτυλοι, quinque ſunt in omni manu. Pri mus, *Pollex*, quod oppoſitus cæteris quatuor digitis hiſce æquipolleat; ἀντίχειρα, hoc eſt, *Promanum*, tan quam pro totâ manu eſſet, vocârunt. Hippocrate μέγαν, hoc eſt, *magnum*, nominat, quamvis parvus ſit quia cæteri ſine eo ferè inutiles ſunt; apud Ariſtot. 4 de part. animal. cap. 10. *Magnus* Galeno dicitur, non ſolùm *viribus*, ſed & *magnitudine*; nam principium Pollicis, ut ait, propè radium eſt, adeò ut eum ferè attingat. Celſo, & Ariſtoteli, *viribus* tantùm *magnus* dicitur. Secundus, λιχανὸς, *Index*: Tertius, μέσος, *Medius*: Quartus, ὁ παράμεσος, *Annularis*, *Medius*, à Medicis appellatur: Quintus, μικρὸς, *Minimus*, *Auricularis*, omnibus aliis corpore, & viribus inferior, Singuli terna oſſa continent, (præter Pollicem qui duo) mutuò ſibi colligata, & ordine ſibi ſuccedentia, veluti in acie, unde & φάλαγγες à Græcis appellantur; ab aliis autem Σκυβάλιδες, à turmâ equitum, quam Græci Σκυβάλλω, vocant; Latini communi vocabulo, *digitorum internodia* dicere ſolent. Græci verò etiam eorum ſingula ſuis nominibus diſtinxerunt, à quibus

bus primi articuli metacarpio proximi προσηχόδυλοι, medii κηχόδυλοι ; poſtremi, μεσηχόδυλοι appellantur, & ab his unguium principia ſeu radices ῥαξωνυχία ; extremi deinde digitorum fines, ῥᾶχες καὶ κορυφαὶ, ut ſcriptum eſt à Rufo, in partium hominis nomenclaturâ. Porrò ima digitorum oſſa metacarpio per diarthroſim alligantur, excepto pollice, cujus os infimum non metacarpio, ſed carpo per diarthroſim copulatur: Ex quo quidam cenſent os illud non ad pollicem, ſed ad metacarpium pertinere, ipſumque pollicem, uti & eos qui ſunt in pedibus, duobus tantum oſſibus conſtare. Δάκτυλος, *digitus*, minima etiam menſura eſt earum, quibus rerum intervalla dimetimur. Hæc autem non ſecundum digiti longitudinem, ſed ſecundum ejus latitudinem ſive craſſitudinem accipi debet. Δάκτυλοι dicuntur quoque *Palmæ fructus*, quos Græci alio nomine φοινικοβαλάνους, Latini *Palmulas*, Franci *Dattas* vocant.

Dignotio, eſt præſentis morbi, hujus ſedis item & cauſæ effectricis conjunctæ cognitio, Græcis πρόγνωσις dicta. *Præcognitio* verò, eſt futuri morbi cognitio, 3. de criſ. cap. 1. Dignotionem autem proprio nomine denotationem appellamus, 1. prognoſt. 5.

Dimotio, vide *Prolapſiones*.

Dionyſiſci, ſunt oſſeæ eminentiæ, quæ propè tempora naſcuntur ; dicuntur autem *Cornua*, Κέρατα, detorto à cornigeris animalibus nomine. Sic dicuntur à *Baccho*, quem Poëtæ *Cornutum* fingunt.

Diplaſiaſmus, id eſt, *Duplicatio*, quæ eſt duorum muſculorum, qui ab ipsâ ſcapulâ excipiuntur, ad exteriora, poſterioraque membrum circumagunt, quatenus ambo ſimul agentes, brachii circumductionem efficiunt, lib. de muſcul. diſſect. cap. 18.

Diploë, ſecunda lamina Calvariæ, 6. method. 6. & *Meditullium* vocatur Recentioribus. Sic autem vocatur oſſis Calvariæ, *duplicata lamina*, & interior ejus

pars rara & laxa, cavernosa, & mollissima, quâ ossa inter se connectuntur.

Dipsacos, vide *Diabetes*.

Diprosopa, vide *Dichroma*.

Discissiones, magna vulnera solet Hippocrates appellare, quæ lethalia sunt; ut vulnus in cerebro, cùm ad aliquem ejus ventriculum pervenerit, 6. aphor. 18.

Discretiva, Medicinæ pars est ea, quam *Significativam* recentiores vocant, Græci σημειωτικὴν, 1. de his quæ in medic. fiunt, 1.

Dispersus morbus, vide *Communis*.

Dissimilare membrum, *heterogeneum*, seu *compositum*, est, cujus quamcumque partem assumpseris animalis, toti communicans non erit nomine, nec definitione; sicut manus, & facies, libr. anatom. viv. vide *Instrumentale*.

Dissidentias vocat Hippocrates, cùm ossa, quæ naturâ cohærent, ac sese mutuò contingunt absque articulo, ob aliquam læsionem dissident à se, ac distant; ut Cubitus & Radius in brachio ad gibbum, & ad manum; In Crure, Tibia, & Sura, quâ & Genu, & Calci committuntur, com. 3. in medic. 31.

Dissolutiones, vocant animi defectus, Græci λειποθυμίας, & λειποψυχίας vocant, 1. ad Glauc. 14.

Distentio, idem est, ac nervorum convulsio, quæ est triplex; *Opisthotonos*, id est, tensio ad posteriora; *Emprosthotonos*, id est, tensio ad anteriora; & *Tetanos*, id est, æqualis tensio, 4. aphor. 57. Qui *Tetanus* est per universum corpus nervorum convulsio, 3. de loc. aff. 10.

Distorsiones sunt, cùm vel à suâ sede dilabitur aliquid in exteriorem corporis partem, vel introrsum in inanitatem aliquam prolabitur, ut in naribus, si in exteriorem partem, aut os, aut pinnula earum abiit: & contrà memoratæ partes si in foramen descendunt, introrsum distorsio fit, 2. de iis quæ in medic. 33.

Diurè-

Diuretica pharmaca, Διυρητικὰ φάρμακα, medicamenta sunt, quæ ad ciendas urinas accommodantur, quæ & *Vretica* dicuntur, 11. method. 16. & 5. simplic. 20. quæ duûm sunt generum; aliqua enim mediocriter id præstant, ut *Eccathartica*, id est, Poros expurgantia, quia calida & tenuium partium; alia, vehementiùs, ut quæ plurimùm movent urinam, quæ acriora sunt, multoque magis siccant, & excalefaciunt, prioribus: cujus generis sunt semen Apii, Petroselini, Fæniculi, Dauci, Smyrnii, & quæcumque lac augent: & menses movent, quòd ab his sanguis non modò extenuetur, sed fundatur etiam atque secernatur. Siquidem quò facilè ad se attrahant renes, quòd in sanguine aqueum, tenue & serosum est, hæc duo moliri oportet; primum, totius sanguinis fusionem, deinde segregationem, quorum neutrum absque valido calore fieri potest. Calori autem adjunctam esse oportet siccitatem, quod humiditas acrimoniam retundat in ciendis urinis necessariam.

Diuturnus morbus est, quicunque acutorum ex decidentiâ, terminum prætergreditur, quem nunc quadragesimum, nunc sexagesimum diem Hippocrat. facit, 2. de diebus dec. cap. 12.

Dodecadactylon, sive *Duodenum intestinum*, δωδεκαδάκτυλον, primum est intestinorum fundo stomachi alligatum, à longitudine duodecim digitorum sic appellatum, 6. de anat. adm. cap. 9. Quod quidam non dignantur vocare intestinum, priusquam in anfractus, orbesque convolvatur, sed ipsum ἔκφυσιν, id est, productionem simpliciter, vel cum appendice productionem duodecim digitorum, ἔκφυσιν δωδεκαδάκτυλον nominant, primumque intestinum in ordine dicunt esse jejunum, ibidem, cap. 12. Hoc idem *Duodenum*, vocant *Portinarium*, sive *Ianitorem*, libr. de anatom. viv. In id meatus inseritur, à vesicâ bilem continente, per quem ea in ipsum expurgatur.

Unable to display this page

flammatæ sunt, unico doloris modo vexantur, tensivo, τονώδη, sive extensionis. Qui verò in membranis fit, ipsius affectus veluti radice, eo loco fixa, ubi membrana pungitur, qualis est in morbo laterali, *dolor punctorius* νυσματώδης dicitur, ibid. capit. 5. Si nervis ipsis primò accidat dicitur *dolor* ναρκώδης, *stupidus*, 2. de loc. affect. capit. 2. Quod si in lateribus spiritus quidam flatuosus procreatur, qui tùm extenuatus, tùm discussus, dolorem sedat, deinde rursus procreatus alter, dolorem augeat, *dolor*, ῥαιὸς, *rarus* dicitur, com. 1. in 1. prorrh. 22. *Dolores* autem *ulcerosos*, tum Medici, tum Gymnastæ, vocant eos, per quos, inter movendum, vel tangendum, lassatas partes, sensus veluti ulceratarum partium ἑλκώδης, percipi solet, 2. de loc. aff. 7.

Dorsum, quòd Græci Νῶτον καὶ Ἀντίστροφον, & Μετάφρενον appellant, est omnium vertebrarum, quos *Spondylos* vocant, compactarum basis velut & fundamentum. Nonnulli tamen ex recentioribus Medicis, non totam vertebrarum structionem, *spinam* appellandam censent, sed circa thoracem tantùm, & lumbos, non circa collum, 3. de art. 1. Aristoteles verò, 1. de hist. animal. *Dorsum* dicit esse totam posteriorem corporis partem, ab occipite usque ad extremum Coccygem, triginta quatuor vertebris (si modò ossis sacri partes, vertebris annumerentur) compactam; quod *Dorsum* conficiunt, Collum, Thorax, Lumbi, Os sacrum, & Coccyx, in quo costæ, velut in carinâ trabes, connectuntur, totumque corpus stabiliunt. Sed aliter Galenus, lib. de ossib. cap. 7. his verbis; *Spina* est tota connexio, viginti & quatuor vertebrarum, à *Capite* usque ad *Os sacrum*, ita ut septem primæ à *Capite* vertebræ Collum, sive Cervicem constituant; duodecim quæ sequuntur, *Dorsum*, cui à parte anteriori respondet pectus, quinque reliqui lumbos; *Os*, in quod omnes vertebræ finiuntur, *sacrum*, vel *latum* dicitur, sive etiam *Os magnum*, 12. de usu part. cap. 12. vide *Spina*.

Dothien, Δοθιήν, id est, *Furunculus*, 2 method. 2. Id nomen, ait Galenus, nec locum affectum repræsentat, nec causam, quæ ipsum efficit. Significat autem tumorem ἀποστηματώδη, ex crassis humoribus in carnosis plerumque partibus consistentem; mitem quidem, cùm solam cutem occupat, sed pervicacem ac malignum, ubi subter actis radicibus erumpit. vide *Furunculus*.

Dracunculus, Δρακόντιον, est ulcus partis propinquæ, ipsius nervi dilatationis, sic dictum, quod nervus movendo corpori destinatus, in id ulcus recedat, in eoque quasi occultetur, lib. finit. Aëtius ex Leonidâ, *Dracunculum* Lumbrico similem esse dicit, interdum magnum, aliàs parvum reperiri, & frequentiùs quidem in cruribus; aliquando verò & in brachiorum musculis oriri & consistere; nasci autem in Æthiopiâ atque Indiâ, maximè pueris, lumbricis latis non absimilem, moverique sub cute sine molestiâ, sed temporis progressu circa *Dracunculi* extremitatem suppurationem fieri, cuteque apertâ, *Dracunculum* caput exerere. Quem si quis tentet attrahere, dolorem ingentem moveri, præsertim si eum abrumpi contigerit: quòd enim intus relinquitur, acerbissimos dolores excitare: proinde ut ne intrò animal recurrat, valido filo brachium constringi oportere, idque quotidiè agendum esse. ut *Dracunculus* paulatim progrediens, integer excludatur. Verùm Soranus, ut refert ex eo Paulus Ægineta, non existimat animal esse, sed nervosam quandam substantiam, quæ opinionem motus solùm præbeat: Sed quid reverà sit, nemo Medicorum explicare potest, qui Europam incolunt: posse tamen animal esse, ratio nobis dictat, cùm non modo in ventriculo atque intestinis creari, verùm etiam ex cute erumpere, tum pediculos, tum majora quandoque animalia, compertissimum habeamus ex historiis.

Drimea medicamenta, id est, *Acria*, quæ cacoëthiam humo-

humorum extinguunt, libr. de dynam. in procemio. Δεριμύ, *acre*, id dicitur, quòd linguam mordet, & cum multâ caliditate erodit: Sunt enim omnia acria valdè calida, & tenuium partium: proinde vehementer calfaciunt, incidunt, digerunt, aperiunt, purgant, irritant, atque ad excretionem impellunt. Δεριμύτης, acrimonia, qualitas est gustatilis, iisdem facultatibus prædita.

Dropax, Δρῶπαξ. est medicamenti forma quædam, interdum liquidioris, in modum malagmatis, interdum siccioris, emplastri modo, prout usus exigit, cujus materia eadem est, quæ Acopis & Emplastris debetur. Est autem *Dropax* duplex; simplex alius, qui & πίττωσις, hoc est, *Picatio*, appellatur, solâ pice aridâ, oleo liquatâ constans; quæ dum calet, cuti illinitur, & prærasis locis agglutinatur, & antequam omnino refrigescat, avellitur: deinde rursus ad ignem calfacta reponitur, & similiter priusquam frigescat, avellitur, & tertiò quartòque vel sæpiùs etiam id repetitur. Convenit frequentibus vomitionibus, & cruditatibus, & cæliacis affectionibus, & reliquis partibus alimentum non sentientibus. Maximè verò antè synapismum adhibetur ad corporis præparationem, & post synapismum etiam, ut reliquiæ morbi evellantur. *Dropax* verò compositus est, cui præterea adjiciuntur alia ad diversos usus; ut ad excitandum calorem, Piper, Pyrethrum, Semen rosmarini, Bitumen: ad desiccandum verò, Sulphur vivum, Sal, Cinis sarmentorum: ad lancinandum verò, Limnestis, quæ & Adarce vocatur, aut Euphorbium. Hæc enim trita, liquefactæ pici inspergunter, aut alia etiam ejusdem facultatis. Si vires ægri imbecillæ sint, liquidior fieri debet in formam malagmatis, & præradi pili in loco cui adhibebitur, & paulatim postea avelli. Sin valentes sint emplastri, modò præparandus est, & non derasis pilis admovendus, confertimque avellendus, nisi fortè

capiti aut mento, aut pubi applicandus esset. Sic enim plus habet efficaciæ, spiritumque remissum magis firmare potest, & ad superficiem magis revocare, humoresque attrahere ac discutere. Sed & medicamenta depilatoria ψίλωθρα propriè dicta, *Dropaces* appellantur, ut constat ex versibus Martialis, lib. 10.

Lævis Dropace, tu quotidiano,
Hirsutis ego cruribus genisque.

Fortè quod solâ pice constarent in oleo liquatâ, ut & Dropaces.

Duodenum, vide *Dodecadactylon*.

Dura mater, vide *Membrana dura*.

Dura ulcera, quæ Græci ὀχθώδη, id est, *Verrucosa ulcera*, vocant, sunt, quæ callum contraxerunt, & prætumidas ac duras oras habent, 4. de compos. medic. per gener. cap. 12.

Durum, σκληρὸν, Medicis est, quod repletione largo, & superfluo humore, aut vapore, in partem aliquam affluente, tactui renititur, nec cedit sponte (aliter ac Philosophis) & propterea quòd ita durum est, propriè ἀντίτυπον, hoc est, *renitens*, appellatur.

Durus pulsus, vide *Mollis*.

Dysæsthesia, id est, sensus difficultas, est vitium actionis sensitivæ, diminutæ, lib. de symptom. diff. cap. 2. δυσαισθησία, sed δυσκινησία, non modò difficultatem motionis, sed etiam immobilitatem significat; ibid.

Dyscrasia, *Intemperies*, est mistio inæqualis quatuor primarum qualitatum; ubi enim illæ ita coïerint, ut earum pares sint vires & portiones, temperamentum emergit exquisitissimum, quod cæterorum omnium norma est; ab eo quodcumque desciscit, *Intemperies* dicitur; tunc enim aliqua qualitas exsuperet, necesse est, vel duæ. Itaque cùm quatuor sint ex quibus temperamentum illud exquisitissimum, &, ut ita dicam, temperatissimum absolvitur, singulorum excessu simplices

plices quatuor intemperaturæ fiunt, calida, frigida, humida, ficca: & totidem compositæ, calida humida, calida ficca, frigida humida, frigida ficca. Nec verò singularum modus unus est, & una ratio, sed immensa omnino latitudo, adeò ut intemperaturarum infinitæ propemodum habeantur differentiæ: Nec tamen omnes ejusmodi intemperies morbosæ sunt, sed plurimæ contra salubres, quæ videlicet intra limites sanitatis consistunt. Quum enim omnis actio à partis temperamento proficiscatur, & varii prorsus generis actiones esse oporteat, multiplices quoque temperaturas esse oportuit, quæ non simpliciter, sed ad justitiam temperamenta appellantur. Non aliud autem ad justitiam significat, quàm prout cuique parti expedit. Itaque in singulis partibus primarum qualitatum etiam inæqualis mistio, quoniam secundùm naturam est, non dicitur intemperies, etiamsi reverà intemperies sit, sed temperamentum, quamdiu scilicet naturæ modum non excedit: cùm verò excessit planè absolutèque, intemperies est, & jam morbus aut morbi causa evadit. Est & præter istas alia intemperiei differentia, per quam æqualis aut inæqualis dicitur. Æqualis quidem est, quæ in omnibus intemperanter affecti corporis partibus æqualiter solaque inest. Ea enim ita inducitur, & occupat corpus, ut depulsâ naturali temperie sola in corpore dominetur: neque enim ea in fieri est, ut ajunt, sed in facto esse. Itaque in habitum transit, & evadit, veluti altera natura acquisititia, & priori contraria, neque ullo dolore molesta est. Ejusmodi intemperies in febre hecticâ esse perhibetur. Sicut autem in toto corpore, sic & in unâ certâ parte corporis contrahi potest. Intemperies verò inæqualis dicitur, cùm idem corpus simul & calidius, & frigidius, aut humidius, simulque siccius quàm pro naturali habitu redditur. Ea in fieri est, eamque ob rem dolore non vacat, & aliàs in toto animalis corpore fit, aliàs in unâ

quâlibet parte, idque vel cum fluxione, vel absque materiæ affluxu. Galen. Dicitur etiam inæqualis intemperies, quando singulæ corporis partes non sunt similiter intemperatæ, sed varias sortitæ sunt intemperaturas. Cùmque corpus totum intemperatum sit, non tamen unica intemperies dominatur in toto corpore, sed plures in singulis partibus.

Dysenteria, vide *Difficultas intestinorum.*

Dysepulota, vide *Cacoëthe.*

Dyspathia, hoc est, ad patiendum difficultas, 1. de usu part. cap. 15.

Dyspepsia, est depravata alimenti concoctio, sive alimenti corruptela Symptoma est actionis naturalis coctricis depravatæ: quam libuit eo nomine appellare, sicut debilem βραδυπεψίαν, prorsusque abolitam ἀπεψίαν; depravatur autem cùm alimenta in qualitatem à naturâ alienam alterantur. Ea gemina statuitur, νιτωδὴς & ὀξώδης, hoc est, nidrosa & acida: hæc frigidis, illa calidis de causis provenit, vide *Concoctio.*

Dysphonia, id est, vocis difficultas, ut *Aphonia*, ejusdem abolitio; de symptom. differ. cap. 3.

Dyspnœa, difficultas spirandi, vel inordinata spiratio, 2. meth 2. & 1. de differ. respir. cap. 1. Δύσποια, symptoma est læsæ respirationis, commune orthopnoicis, pleuriticis, peripneumonicis, synanchicis, & aliis plerisque malè affectis, à quo ægri δυσποικοὶ appellantur.

Dystherapeuta ulcera, id est, curatu difficilia, 6. de comp. med. per gen. cap. 1.

Dystichia, est alterius pilorum ordinis in genæ margine exortus, præter naturam, libr. finit.

Dysthemia, id est, *mœstitia melancholica*, sive *animi mœror*, 6. de loc. aff. cap. 1.

Dysuria, δυσουρία, est urinæ vel difficilis saltem & debilis, vel cum dolore solo, sive dolorosa simul & languida excretio, 7. aphorif. 48. Hujus quæ cum dolore

ore sit causas, recenset Gal. inflammationem, abscessum, exulcerationem, inæqualem intemperiem, & spiritum flatulentum. Illius verò quæ cum difficultate, aut facultatis imbecillitatem, aut tumorem præter naturam. Ab his enim causis fit, ut cùm mejere æger cupiat, non statim urinæ excretio sequatur, sed magno cum conatu, atque etiam aliquando dolore. Iis autem duobus exceptis symptomatis urina naturalem excretionis modum servat, neque intercisè fluens, neque guttatim, neque maturiùs, quàm naturæ conveniat; vide *Ischuria*.

Dyriachisis oculi morbus est, cùm pilis naturalibus alii subnascentes, ipsum pungunt, fluorem que concitant, libr. Introd. cap. 15.

E.

ECBOLIA, Ἐκβολικὰ, Pharmaca, id est, abortiva medicamenta, quæ abortum faciunt, quæ & φθόρια appellantur; eadem & fœtus demortuos extrahunt, vide *Abortus*.

Eccathartica, quæ & *Ecphractica*, vide *Rhyptica*.

Ecchymoma, Græcè Ἔκχυμωμα ἢ Ἔκχύμωσις, id est, sugillatio, est affectio circa cutem, cùm, tenuibus in ipsâ venis contusis, sanguis per fissuras effunditur, nondum in grumos coactus, sed postquam per persultationem, i. e. Diapedesin, effusio ipsa facto est; contingit sanè aliquando, ubi ita coïerit temporis progressu eundem livescere, & denigrari, parvis nimirum grumulis, ex, dispersо in multas cutis partes sanguine, coactis, 2. de comp. med. loc. c. 1. & 4 meth. 1. Eandem vocat *Ecchymosin*, solutionem continuitatis cum contusione, & ruptione conjunctam. Generatim verò Hipp. solitus est vocare *Ecchymoses*, ex vasculis sanguinis effusiones, & inanitiones, & alio nomine ῥωσίωσιν, com. 2. in 9. de morb. vulg. 9. quæ effusio, in phleginone quoque fit à causâ internâ, ubi sanguis è vasis effunditur,

& tumor excitatur, tactu mollis & cedens ; distingu tamen Galenus, 6. aphor. 20. *Phlegmonem* ab *Ecchym si*, quòd in Phlegmone sanguis per musculorum cav tates, solâ ratione contemplabiles secundùm minima sui partes effunditur ; In *Ecchymosi* verò in spatia ei fluit, quæ venis adjacent. Species Ecchymomati sunt, *Hypopion*, & *Hyposphagma*, ὑπώπιον καὶ ὑπώσφαγμα & sanguinis ad ungues concursus ex plagâ. Atque i quidem propriè significat ἐκχύμωσις, vide *Vnionis so lutio.*

Eccope, ἐκκοπὴ, *Excisio*, divisio est Calvariæ, quâ c offensum refractum est, libr. finit. Inde Ἐκκοπτωτικὰ medicamenta imbecillia sunt, quæ movendi tantùm stercoris, & ea, quæ in spaciis intestinorum primæqu regionis viis continentur, dejiciendi vim habent, no etiam ex alto attrahendi, & humores evacuandi. I eo genere Galenus Aloën collocavit. Dicuntur ἀπὸ κόλλης.

Eclegma, (Græcis ἔκλειγμα, ἢ ἐκλεικτὸν φάρμακον) medicamentum est per sputum evacuans, quæ in fau cium partibus, Phlegmone obsessis, uti etiam in alii partibus spiritalibus, continentur, 4. de rat. vict. 20 ori enim inditum, sensim liquescit, & deglutitur, a pectoris, & pulmonis vitia ; quòd & alio nomine vo catur *Arteriacum*, ἀρτηριακὸν, diciturque ἀπὸ τοῦ λείχειν, i est, à *lingendo*, Arabes vocant *Looch*, Paulus verò, lib 4. cap. 57. nomen hoc tribuit medicamentis, quæ de vorantur ad lumbricos enecandos, vide *Arteriace.*

Ecphraxis, id est, *pororum apertio*, & *recluſio*, 11. me thod. c. 13. Inde ἐκφρακτικὰ medicamenta vocantu quæcunque obturatione & obstructione ægrotantes li berant ; facultate nitrosâ, & amarâ ; opposita empla sticis medicamentis, quorum est meatus obducere, & obturare, 4. de compos. med. loc. cap. 1. quæ dicun tur alio nomine *Eccathartica*, ἐκκαθαρτικά.

Ecphysis, id est, *exortus*, seu *processus* alicujus ossis

V

el inteſtini, vel viſceris, 2. de anat. adm. cap. 5. ſed ne adjectione prolatâ. Ecphyſis eſt illud ſpatium, uòd eſt medium inter inteſtinum jejunum, & fundum ventriculi, carens circumvolutione, lib. 1. de uſu art. cap. 3. Sunt verò & qui non totum eum proceſſum ἔκφυσιν appellandum cenſent, ſed ipſius tantum orificium, quo dependet à ventriculo. Cæterum ad hoc inteſtinum meatus defertur, qui bilem ipſam ex hepate in ipſum dimittit. In oſſe autem dicitur idem quòd ἀπόφυσις; vide *Dodecadactylon*.

Ecphyſeſis, *Efflatio*, ſive *Exſufflatio*, eſt expiratio coloſiſſimi aëris confertim facta, 2. de motu muſc. Græcis ἐκφύσησις, ἡ ἀθρόα & πνεύματος ἔξω φορά; Ejus opifices ſunt muſculi omnes intus inter coſtas ſiti, adjuti etiam iis, qui ad thoracem perveniunt ex ſcapulis & dorſo, atque aliis etiam magnis, qui in Epigaſtrio hærentur: efflationis enim gratiâ eos factos eſſe, Galenus docuit, lib. 4. de uſu part. Propria eſt vocis materia, neque vox citra eam fieri poteſt; differt à ſimplici exſpiratione, tùm violentiâ tùm muſculis, à quibus efficitur, 4. de uſu part. nam & paulatim exſpiratio fit à ſolo ſepto tranſverſo, 4. de loc. aff.

Ecplexis, eſt ſubitus & vehemens timor, ἔκπληξις, cujus oppoſitum *Pericharia* dicitur, περιχάρειαν Græci vocant, quaſi *exceſſum gaudii* dixeris: Scimus autem morborum occaſione, plures ſubitò periiſſe, 12. meth. cap. 5. Multi Syderationem & Tabem interpretantur, Galenus comm. aphor. 14. libr. 7. ἔκπληξιν eſſe ſcripſit, cùm quis ex morbo nec loquitur, nec quicquam agit, ſed apertis oculis quietus manet, veluti iræ timore attonitus, quo loco obſtupeſcentia ab Interprete vertitur.

Ecpyeſma, ἐκπύησμα, calvariæ in multas partes diffractio, ſimul ubi intruſæ oſſis partes in imum decuerint; ac meningem membranam innixu ſuo prehendant, lib. finit. Eſt, inquit, affectio, in quam profundiùs

dius fracta ossicula descendunt, & membranam Cereb comprimunt. Significat & ἔκπτισμα apud Medicc rei cujusque retrimentum, quòd expresso ab eâ succ supereſt, nec id tantùm, sed etiam sæpenumero suc cum ipsum; ut cùm dicitur μυροβαλάνου ἔκπτισμα, siv quòd idem est, μυροβαλάνου πίσσμα, quòd & λέπθλιμμ & μάσσμα appellatur. Sumitur in eâ significatione apu Dioscor. libr. 4. de glande unguentariâ: Unde Ec *piesmus*, ἐκπιεσμὸς, est totius oculi prolapsus extra suam cavitatem; ut prominens appareat. Differt à *Proptos* ἀπὸ τ προπτώσεως, hoc est, à procidentiâ, quòd in hâ uvea tantùm tunica, in illâ totus oculus foràs erumpa præsertim iis, qui strangulantur, Athleticis, & fœmi nis, quæ præ dolore partûs vehementiùs distendun tur, aut fluxionibus à capite in oculos tentantur. Avi cenna, oculi exitum & egressionem vocat. Id malu intellexit Celsus, cùm ait, nonnunquam ingentem in flammationem tanto impetu erumpere, ut oculos su sede propellat.

Ecpyema, ἐκπύημα, dicitur ab Hippocrate, copio sissimi puris collectio, tumore aliquo, p. n. phleg monoso, pleuræ cumprimis suppurato, & hinc con cocto, ἐκπυέσιν, ad suppurationem perducere signifi cat.

Ecrhythmus pulsus, est Pulsus Arrhythmus, qui nul lius ætatis, naturæ, temporis, aut reliquorum rhyth mum retinet, vel, ut ait Paulus, qui omnem prorsu Eurhythmiam evertit. Tertia species est pulsus Ar rhythmi, 1. de diff. puls. cap. 9.

Ecstasim melancholicam, mentis motionem, aberra tionemque intelligimus vehementum, & ferinam, qua irrigante Cerebrum assatâ flavâ bile oritur, comm. 1 in prorrhet. 14. Vigilias habet conjunctas, atque ide comati contrariam esse, Galenus scribit. Ea non est quam plerique interpretantur, abstractionem mentis corpore, ad contemplanda cœlestia, quam alio no

min

fine ἀναγωγὴν appellant; hæc enim morbus non est. ...σαπτικὴ δύναμις dicitur facultas quæ vim habet abalie-...ndi animum, qualis est in Hyoscyamo, Coryandro ...ridi, & Ephemero.

Ecthlimma, est exulceratio, quæ in summâ cute ex ...mpressione violentâ nascitur, 2. de fractur. Græcè ...em ἔκθλιμμα dicitur.

Ecthymata, ἐκθύματα, cutis velut efflorescentiæ, pa...læ sunt per summam cutem erumpentes, ab humo...bus superfluis, salsis, & tenuibus, ideò in cute leviter ...tuberant, quòd tenues humores exulcerationem po...ùs, quàm tumorem insignem procreent. Dicuntur ...alio nomine Græcè ἐξανθήματα, ejus generis sunt, ...m quæ per febres ardentes exeunt, tùm *Variolæ* vul...ò dictæ, & *Morbilli*. Sic autem dicuntur ἀπὸ τῦ ἐκ...ειν, quòd significat, ἐξορμᾶν, hoc est, impetu ferri, & ...umpere.

Ecptosis, ἔκπτωσις, *luxatio*, hoc est, ossium à propriâ ...de amotio, & divulsio, citra fractionem, nec verò ...modò significat, sed etiam, ἐξάρθρωσιν, sive ἐξάρθρωμα, ...ud Hippocratem, ut notat Galenus, in initio libri de ...ticulis; cujus luxationis causa alia est externa, id ...t, vis omnis quæ articulum loco dimovere potest; ...ia interna, estque humoris defluxio articulum præ ...opiâ, vel mollitie loco propellentis. Est autem du...ex omnis luxationis differentia; una sursum, cùm à ...usculorum contentione articulus ad supernum lo...m trahitur: altera, extrorsum, cùm in partem ante...iorem aut posteriorem, dextram aut sinistram emotus ...ansit. Omnis autem ejusmodi luxatio, aut simplex ...t, aut composita. Simplex quidem est, cùm luxatio...nihil insuper accessit, non ulcus, non ossis denudatio ...t fractio. Composita verò est, cùm præter luxatio...m aliquid eorum accessit.

Ectropion, est suppullulatio carnis in genâ, quæ ge...m ipsam suâ gravitate foras convertit. Causa est

genæ

genæ evertendæ, vel caro adnascens, vel resolutio, cùm cicatrix inducitur, libr. finit. Sed alibi Ect pion, inquit, est Inversio, palpebrarum vitrum, c exulceratis oculis, plùs extrà feruntur, libr. Intr cap. 15. Est autem affectus solius inferioris palpeb oculum contegentis, ita inversæ, & retractæ deorsu ut parum sursum attollatur, sed pendeat, & hiet, que ex toto oculum integat. Quod vitium, si palp bræ superiori acciderit, λαγώφθαλμος dicitur, quod tium naturaliter contingere potest; *Ectropion* verò n nisi à causâ præter naturam, à cicatrice, carnis excr centiâ, relaxatione, medicamento, futurâ, vel usti inartificiosâ, vel à senectute summâ dependet.

Ectrosmos, apud Aristot. 7. de hist. animal. sunt ortus, & imperfectorum fœtuum corruptiones in diem quadragesimum factæ; quæ verò intrà sep mum diem fiunt, non ἐκτρώσεις, seu *abortiones*, ἐκρύσεις, id est, *effluxiones*, vocat idem Philosophus.

Eczemata, sunt pustulæ ardentes, & fervidæ, do rem cientes, citra saniem; ingens enim fervor, o nem materiam absumit, Græcis ἐσχάραι & ἐκσίσματα Latinis *Carbones*.

Efflationes, sunt magnæ, & vehementes spiritus e pulsiones, quæ per eadem instrumenta fiunt, per q tussis, & tussiendo efficiuntur, quæ & *efflatus* dicun ab exspiratione, quæ sine strepitu fit, copiâ & ve citate motûs differentes, 2. de motu muscul. capit. & 2. de sympt. caus. cap. 4. vide *Ecphysesis*.

Efflorationes, sunt ulcerationes factæ in superficie corporis ambitu, subrubræ, & asperæ, de medic. f part. cap. 5. quas,, si noctu enascantur, *Epinyctidas* v cant, libr. de tumor. cap. 15. & 2. meth. 2. quas C sus vocat pustulas pessimas, colore sublividas, & su nigras, albas, suo humori similes, magnitudine faba non superantes, cum vehementi inflammatione, & c lore, ex quibus adapertis sanies effluit, & exulcera

muc

ucosa intùs retenta. Paulus, & Aëtius, dicunt esse lcuscula sponte nascentia, phlyctænis similia, subbra, ex quibus cruenta sanies effluit; utrumque verum est, & pustulas, & ulcuscula esse.

Effulgescentiæ, quas Græci ἐπιλάμψιας vocant, Hipp. præsertim significant morbum puerorum proprium, ut certè perquam familiarissimum, id est, Epilepsiam, om. 1. in 6. de morb. vulg. 5. Nonnulli hoc nomen interpretantur mutationem temperamenti ad calidius & siccius; hoc enim ætatis progressu velut flamma effulget. Alii verò interpretantur corporum perfectionem, quòd juvenes per ætatem evadant carnosiores, magis adulti, colore formâque gratiores, & viribus ingenioque præstantiores, ut quodammodo fulgere videantur. Verùm libr. 6. τ ἐπιδημ, alii non ἐπιλάμψιες, sed ἐπιλήψιες scribunt, aut ἐπιλάμψιας ἀντὶ τ ἐπιλήψιων interpretantur, ut annotat Galen. comm. 1. in eum librum.

Effusio, vide *Contusio*.

Effusa, & *Nigrores* fiunt, sanguine à venis effuso sub cutem, nunc per tunicas contusas, nunc verò in finitus reseratas, lib. de tumor, cap. 10.

Elcos, Latinè *Vlcus*, solutio continuitatis est in omnibus corporis partibus, (præterquam in solo osse) ob internâ causâ, humore scilicet vitioso, acri, & erodente, particulæ, cui incumbit, continuitatem (sive ea caro sit, sive cutis, sive cartilago, sive membrana) solvens. Id autem vitii, ubi in os incidit, πρηδὼν, sive *Caries* appellatur. Aliquando verò Hippocr. ulceris nomen ad omnem morbum dolorificum extendit, continui solutionem eo nomine significans. Neque enim ut arbitror, indita adhuc fuerant nomina ῥαγμαλωδης, θλάσεως, ῥωγμῆς, ῥήξεως, & reliqua quibus recentiores Medici solutæ continuitatis differentias dixerunt.

Elementa, στοιχεῖα Græcis, apud Medicos sunt calidum,

dum, frigidum, humidum, siccum, ex quibus hom primis velut & simplicibus, minimisque ex corpo bus est constitutus, & in quæ ultima apparentia, simpliciſſima, ac minima, resolutionem capit, lib finit. Adhuc *elementum* appellatur minima pars ej rei, cujus est elementum; omnium autem corpor quæ gignuntur, & corrumpuntur, quatuor sunt El menta; Ignis, Aër, Aqua, Terra; ut minimum inte ligatur id, quòd minime divisionem susci pere potes 8. de placit. cap. 2.

Elephas, (qui & *Elephantiasis* dicitur) morbus est, quo naturalis faciei figura mutatur, resimatur nasu labra crassa fiunt, extenuantur aures ad Satyrorum e figiem, libr. de caus. morb. capit. 7. ex sanguine m lancholico primam generationem habens, quam aff ctionem cùm incipit, σαλυγίασιν nominant, tum à g narum rubore, & facie Satyris persimili, tum propt inexplebilem & impudentem coëundi libidinem. A qui verò osseas eminentias, quæ in temporibus fiun sic vocant. In aliis autem partibus quoque fiunt tal ossium eminentiæ, quas *exostoses* vocant, libr. de t mor. capit. 14. ἔλεφας καὶ ἐλεφαντίασις, universi co poris cancer est, qui nullam omnino admittat curati nem. Id nominis nactum est hoc malum, quòd in cutis corio Elephanti persimilis videatur; nam m culis quibusdam ad atrum colorem vergentibus in citur, atque inæqualiter aspera, crassa, ac veluti squ mis fœda, livens, ferinaque redditur; Nec Eleph quidquam (apud aliquos) à Leprâ Arabum differ Vocarunt & Veteres morbum hunc ἡρακλειον, hoc e *Herculeum*, quòd nullus eo major sit, & violentic Nam morbo ingravescente, primum quidem stup cutis, deinde sensum prorsus amittit, ut ne acu quide compuncti dolorem sentiant, aut fervente aquâ affu urantur.

Elminthes, ἕλμινθες, *lumbrici*, animalia sunt in h

ma

mano corpore genita, cumprimis in inteſtinis, ſive in auribus, ſive in veſicâ, ſive in ventriculo, interdum etiam in ſordibus ulceribus, quos Græci σκώληκες vocant; ſunt autem trium generum; primi generis ſunt *teretes*, ſeu *rotundi*, à figurâ, quæ eſt ſecundum craſſitudinem, longitudine aliquando palmares, ſæpè longiores, quos vocant ἕλμινθας στρογγύλας, in gracilibus plerumque inteſtinis conſiſtunt, & ventriculum ſubeunt, ideoque ſæpè per os ejiciuntur, quibuſdam è naribus redduntur, ut plurimum conſiſtunt cum febriculâ, atque hoc genus pueris infantibus, & puberibus peculiare eſt. Alterius generis ſunt, qui *lati* vocantur, ἕλμινθα πλατεῖαν, aliquando τενίας, hoc eſt, *Inſitas*, à ſimilitudine, quam cum Inſitis obtinent; inſtar enim harum lati ſunt, & longi aliquando ταινίας, id eſt, *faſcias*, vocant, quod faſciarum effigiem ſuâ latitudine, & longitudine, referant. Plinius lib. 11. cap. 33. tradit tricenûm pedum tænias ventris aliquando viſas, interdum plurium. Tertii generis lumbrici ſunt, qui *Aſcarides*, nuncupantur, breves ac tenues, parvis vermibus ſimiles, qui in extremo inteſtino reperiuntur, & muſculi ſpincteris initio, qui glomeratim in multas phalanges compacti, per ſedem dejiciuntur. Omnes lumbrici in inteſtinis naſcuntur ex craſsâ lentâque pituitâ frequentibus cruditatibus collectâ. Animantur autem à plurimo calore nativo: Itaque pueri quam adulti lumbricis ſunt, magis obnoxii.

Elythroeides membrana, quæ & *Erythroeides*, ἐρυθροειδὴς dicitur, teſtium eſt tunica, & vaſorum ſpermaticorum, ubi extra ventrem proceſſere: quamdiu enim intra ventrem ſunt, eorum tunica, quod illic nihil habeat eximium, nullo proprio donatur nomine: poſteaquam verò extra ventrem proceſſit, quia rubet, ἐρυθροειδὴς incipit appellari. Rubet autem tum à calore ruro muſculi teſtium gracilis, tum à vaſis multis quibus mplexa eſt, Vaginalis etiam dicta, 2. de ſemin. cap. 5.

qua tunicâ, (ut & scroto) fœminarum testes carent; vel tam exigua est & obscura, ut oculis videri non possit, lib. de vulvæ, diss. cap. 9.

Embroche, Græcis ἐμβροχὴ ἢ ἔμβρεγμα, medicamenti genus est, cùm locis affectis, liquore aliquo humectatis, perfusisque, lanam deinceps aut linteum, eodem liquore imbutum imponimus, imbecillius cataplasmate. Sed tamen ubi commodè aptari id non potest, ut in capite, ibi ἡ ἐμβροχὴ aptè adhibetur, & illis similiter qui propter imbecillitatem ferre non possunt cataplasmatum gravitatem: item præcordiis inflammatis, per initia morborum, quo tempore intempestivus est cataplasmatum usus: præterea fracturis & contusionibus, cum Emplasticis uti non licet.

Embryon, est animal utero gestatum, 6. de usu part. cap. 13. licet non antea *Embryon* dici debeat, quàm duos menies in utero absolverit; vide *Cyema*.

Emmota, ἔμμοτα, medicamenta, id est, linamenta sunt humidæ consistentiæ, similia iis, quæ linamentis, vel linteolis excipiuntur, cerati specie, 13. method. 5. *Emmotos* verò vocat Hippocrates eos, qui ulcus cavum & exesum contraxerunt ex suppuratione, quòd curationem per linamenta desideraret, 3. artic. 55. sic dicuntur, quòd ἐν τοῖς μοτοῖς adhibeantur. Ipsa enim linamenta μοτοὶ ἢ μοτίδες appellantur.

Emollientia, vide *Chalastica*.

Emphraxis, ἔμφραξις, *Obstructio*, est meatuum, aut cavitatum naturalium stipatio, ex copiâ, vel vitiosâ qualitate (ut lentore, & crassitie) succorum proveniens, cujus species Galen. 12. method. ponit στῆψιν & πύκνωσιν. Unde medicamentum quod suo lentore obstruit, ἐμπλαστικόν: huic contrarium, est medicamentum ἐκφρακτικόν, quod obstructione liberat, 5. simpl. 12. Est autem Obstructio, morbus organicus, pertinetque ad formam organicæ partis corruptam, amissis videlicet meatibus aut cavitatibus parti alicui debitis, vel propter

propter ſuccorum abundantiam, vel propter vitioſam qualitatem, quòd ii nimium lenti vel craſſi ſint. Hæ enim duæ eſſe poſſunt obſtructionis cauſæ, quæ morbus eſt inſtrumentalis eorum quæ obſtructa ſunt corporum. Hanc ſymptomata multa conſequuntur, & maximè quidem ipſa tranſpirationis retentio, atque rurſus putredo, aliorum morborum antecedens quædam cauſa. vide *Rhyptica.*

Empirici ſunt, (Græcè ἐμπειρικοὶ) qui à ſolâ experimentorum notitiâ procedunt, nomine ab ἐμπειρία, hoc eſt, experientiâ deducto, lib. de ſect. cap. 1. unde *Empirica medicorum ſecta*, accidentium concurſus, qui ægris accidunt, reſpicit, illorumque curationem ab experientiâ ſolâ deducit, idque nec morbo, nec cauſâ cognitâ, in Introd. cap. 3. Illius Sectæ primus author Heraclion extitit, qui naturæ cognitionem rationemque diſciplinam nihil ad medicinam pertinere profeſſus, in uſu & experimentis eam poſuit. Quem Apollodorus & Glaucias, & aliquantò poſt Heraclides, Tarentinus, & aliqui non mediocres viri ſecuti, ex ipsâ profeſſione ſe ἐμπειρικοὺς appellarunt. Erant autem τῆς ἐμπειρικῆς genera tria, τριβικὸν, αὐτοψίδιον, & μιμητικόν. Primum quidem dicebatur cùm aliquid experientur, in quod fortè fortuna nihil tale cogitantes incidiſſent. Secundum, cùm ad alicujus rei experiendam deditâ operâ venirent, ſive per ſomnia, ſive aliter admoniti. Tertium verò, cùm ea quæ proſunt vel nocent, ſive naturâ, ſive fortunâ, ſive aliquo conſilio, in morbis iiſdem experirentur, alios qui eadem priùs experti eſſent, imitantes. Quicquid autem juvat aut nocet, hoc eſt, cauſarum omne genus, dicebant vel naturale vel fortuitum eſſe, vocantes naturale quod caſu fieret, neque haberet manifeſtam cauſam: fortuitum verò, quòd ſine electione quidem noſtrâ fieret, ſed evidentem cauſam haberet. Tribus autem his theorematis utebantur, τηρήσει, ἱστορίᾳ, τῇ ἐ ὁμοίου μεταβάσει.

Appellabant τήρησιν, quicquid aliquando obſervaſſent, quorum cùm magnam habebant copiam, eam omnem ἄθροισμα nuncupabant, atque id rurſus αὐτοψίαν, quæ eſt eorum memoria, quæ frequenter & eodem modo viſa ſunt; quæ cùm didiciſſent, ἱστορίαν appellabant. Quâ in re diligenter conſiderabant quæcunque ſimul acciderent ſymptomata, eorumque omnium obſervationem συνδρομὴν appellabant, hoc eſt, concurſum & congeriem ſymptomatum omnium, quæ in affecto eſſent loco. Quod ſi in morbos nondum viſos incidissent, aut eò loci eſſent, ubi inventorum remediorum facultas non ſuppeteret, tranſibant ad conſimile, quòd μετάβασιν τῶν ὁμοίων vocabant, eamque triplicem faciebant, de affectu in affectum, de loco ad locum, de remedio ad remedium. Eam autem obſervationem quam per illam τῶν ὁμοίων μετάβασιν habebant, πεῖραν τεχνικὴν appellabant.

Emphyſema, Inflatio, quæ Græcis ἐμφύσημα, ἐμπνεύματωσις, καὶ πνεύματωσις, eſt ſpiritus flatuoſi collectio, in inanibus corporis partibus. Ejus principium, inquit Galenus, malè concoctus cibus eſt, à calore videlicet debili, & à quo flatus excitati, reſolvi nequeunt. vide fusè infrà, *Phyſis*.

Emplaſton, ſive *Emplaſticum*, ἔμπλαστικὸν, Pharmacum eſt, quòd meatus obducit, ut picatio, quæ imponitur pilis in totum abraſis, 1. de comp. med. loc. c. 1. Atque hoc pharmacorum emplaſticorum genus, ſubſtantiâ terreſtre eſt, citra refrigerationem, aut calidi tatem manifeſtam, aut in primo ordine refrigerantium vel calefacientium, 4. de comp. medic. loc. c. 1. ſunt que ſine mordicatione ſiccantia, 5. ſimpl. c. 5. & lib. 9 cap. 11. Duplex eſt Emplaſticorum natura; altera exquiſitè terrea & ſicca; altera tenax omnino: miſta verò ex aquâ & terrâ, & plerumque etiam aëre, ut oleum dulce ſalis expers. Ovi quoque album ex iiſdem quodammodo miſtum eſt, magis tamen terreum eſt, quàm oleum. Quin etiam caſeoſa lactis pars emplaſtica eſt

tener-

enerque ac recens caseus, & suilla pinguedo, & cæteri quoque adipes, qui nondum acrimoniam contraxerunt, eòque magis quo sicciores magisque terrei fuerint. Eadem medicamenta etiam ἐμφρακτικὰ appellantur. His contraria sunt ἐκφρακτικὰ, quæ & ἀνοφρακτικὰ vocant.

Emplattomena medicamenta vocant, quæ exiguis totius corporis meatibus hærentia, prohibent, ne quid per urinas, vel universam cutim diffletur, & effluat, 8. method. cap. 2.

Emprosthotonos, vide *Distentio.*

Empyemata, quæ & *Diapyemata*, ἐμπυήματα, suppurantia omnia sunt; aliqui, cùm in viscere phlegmone in pus conversa est, πάθημα, id solum *Empyema* nominant, & qui sic affecti, *Empyos*; alii, eos solos *Empyos* dicunt, quibus inter Thoracem, & Pulmonem, Pus aggregatum est, lib. de tumor. cap. 3. ἐμπύους ἢ ἐμπυιετοὺς Græci vocant, suppuratos, & purulentos, qui multum puris in capedine inter Thoracem, & Pulmonem collectum habent, 4. de cauf. pulf. c. 9. Tandem omnes quibus inflammatum viscus aliquod suppuratum est Suppuratos vocant, ubi Pus universum constiterit, concocto tumore quopiam præter naturam, comm. 1. in 1. prognost. 40. & 2. prognost. 59. & 69. Symptoma est peripneumoniæ vel pleuritidis, si digeri vel per sputa vacuari non potuit. Succedit etiam interdum anginæ, Hippocrat. aphor. 10. lib. 5. Rupto namque infernè abscessu, Pus in vacuum Thoracis locum effunditur, ibique fluctuationis cujusdam sensum movet, cùm æger è latere in latus convertitur, inde verò per occultos meatus in alvum, intestina vesicamque subit, vel aliquando ad cutem erumpit, sibique foràs viam uno aut pluribus ulceribus aperit. Cæterum non semper inflammationi succedit empyema, sed quandoque nullâ febre præcedente serosus aut pituitosus humor ex reliquo corpore eò loci delapsus putrescit, & Empyema movet, ut Aëtius testatur.

Empyreuma, reliquiæ sunt caloris febrilis post solutam accessionem. Dispositio quædam est neutra, mediaque inter febrem, & febris intermissionem, intermittentium & putridarum febrium propria, ut solutâ accessione superſit nonnihil caloris, vel in ipsis humoribus relicti, vel adhuc solidis etiam partibus impressi, quem aliqui *febrîs fomitem* appellant; huic contraria, est ἀπυρεξία, sive *infebricitatio*.

Emulgentes venæ & arteriæ, quæ sint, hinc patet; Vena cava ubi ex hepate primùm emergit, vicinis partibus prætenues impertit surculos: deinde ramum maximum in utrumque renem subjectum mittit. Similiter, alia duo vasa æquè magna à maximâ arteriâ quæ spinæ incumbit profecta, non aliter quàm venæ in renes inseruntur, quæ *venæ* & *arteriæ* vulgò *emulgentes* appellantur, per quas renes urinam à sanguine secernunt, & trahunt, simul etiam multum bilis, ac propemodum omne id, quòd ipsæ continuerint, attrahunt, libr. de venar. diss. cap. 5.

Enarthrosis, species est Diarthroseos, cùm cavum excipientis ossis altum admodùm est, caputque quòd in id inseritur, oblongum, libr. de ossib. in procœmio. Ejus pauca sunt exempla, ut cruris cum ischio, & forte tali cum osse navis speciem referente; vide *Arthrodia*.

Enæmon, ἔναιμον, est medicamentum quòd glutinat 6. meth. 2. imponiturque maximè cruentis vulneribus sistendo sanguini, 1. de compos. medic. per gen. cap. 14. cùm cruor, qui αἷμα dicitur, ex cute ipsâ vulneratâ, vel etiam ex carne in roris speciem distillat atque ideò, & *sanguinarium*, & *cruentis opitulans*, & *glutinatorium* dicitur, 3. de comp. med. per gen. cap. 2. His emplastris, inquit Celsus, nulla majorem usum præstant; nam reprimunt inflammationem, nisi magna vis eam cogat, atque illius impetum minuunt: tum glutinant ulcera, & cicatricem iisdem inducunt. Constant autem, inquit, ex medicamentis non pinguibus ideoque

ideoque ἀλίπαστα nominantur. Quæ enim hujus generis sunt, siccare debent, & citra abstersionem leniter adstringere. Hæc maximè ex bitumine componuntur, cùmque varii sint generis, duo tamen habentur præstantissima, unum βάρβαρον, alterum, κυζικηνὸν appellatum. Hoc tamen paulò plus quàm cruenta exsiccat, ideoque nisi diluatur, nocet magis quàm prosit, contrahens membra, atque dolorem inducens. vide *Glutinatorium*, & *Sanguinarium*.

Enæorema, ἐναιώρημα, quod & *Appendiculum* quidam vocant, est portio urinæ crassa, candidaque in ejus medio sublimis. Partem quidem urinæ esse, patet ex eo, quòd omnes vias emensa sit, & mutationes sortita quas & urina, attracta primum per emulgentes venas à renibus, deinde demissa in vesicam, & concoctionem iis in locis sortita, non aliter quàm urina. Sed nulla etiam urina est, quæ eam non habeat vel secretam, vel in se confusam, ut & *Hypostasin*. Differt autem ab eâ solâ crassitie & gravitate; unde fit, ut *Hypostasis* matulæ fundum petat, *Enæorema* autem in mediâ urinâ pendulum sit, aut si fortè exquisitè medium non est, paulò magis deorsum quàm sursum vergat. Est enim corpus urinâ paulò crassius & gravius, multò tamen leviùs, quàm *Hypostasis*. Ac quamquam quòd optimum est, eo loco situm esse oporteat, & in imum magis inclinare, (quantò enim magis deorsum subsidet, tantò meliùs haberi, Galenus author est) sæpè tamen in adversâ valetudine supra medium fertur, atque ipsi etiam urinæ supernatat, pendetque in eâ, veluti nubes in aëre, propter flatuum copiam, atque ab eâ similitudine ab Hippoc. etiam νεφέλη nominatur. Sic enim putavit Galen. ἐναιώρημα & νεφέλην apud Hipp. idem significare: quanquam ipse comm. 2. in progn. dubitare videatur, num Hipp. τὸ ἐναιώρημα genus fatiat τ῀ νεφέλης κ῀ τ῀ γρυσειδ῀ς ἐναιωρήματ῀. Ita ut duæ Enæorematis species sint, una nubeculæ similis, altera geni-

turæ. Cæterum quòd pertinet ad colorem quem candidum esse decet, ejus ratio posita est in perfectâ concoctione, uti albus color lactis, seminis, atque ipsius etiam sedimenti; vide *Sublinamentum.*

Encanthis, ἐγκανθὶς, id est, *Inaugularis*, immoderatum est augmentum angulorum oculi, ut *Rhoeas*, ῥοιὰς, immoderata diminutio, de differ. morb. capit. 9. est etiam quidam præter naturam tumor, in magnis hirquis oculorum, quòd tuberculum non est omninò præternaturam, libr. de tum. cap. 17. estque ut plurimùm in majori angulo; quam carunculam quidam Chirurgici rescindentes, effluxum excrementis eâ parte aperuerunt, quem affectum *Rhoeada* quidam appellarunt, 10. de usu part. c. 11. Aliàs, *Encanthis* propriè *angulum oculi* significat; *major* autem *angulus*, qui naso est proximus, proprio nomine μείζων dicitur; *minor*, qui est ad tempora, παρωπίς; inde verò ejus nomen, morbo inditum est. Malum hoc in canibus frequens est, & homines minùs corripit, se eos magis qui in mari versantur; cujus duæ differentiæ observantur: siquidem aliquando hoc carnis incrementum benignum est tenerum, laxum, & sine dolore, quod medicamentis siccis consumendum est: aliquando verò malignum, durum, inæquale, & cum dolore punctorio, quòd manu curare & scalpro evellere oportet.

Encathisma, ἐγκάθισμα, est sessio in aquâ medicatâ, ab imis pedibus, vel feminibus, usque ad umbilicum, ita ut supernæ partes non madescant, 5. de compos. medicam. per gen. cap. 13. Quod quidem auxilii genus cum plerisque morbis conveniat, iis tamen solis adhibetur, qui partes intra peritonæum concluſas, infestant: itaque inflammatis renibus sedere convenit in decocto fænigræci, malvæ hortensis ac sylvestris, & seminis lini. In calculosis affectibus convenit ἐγκάθισμα in iisdem propter inflammationem, & præterea artemisiæ decocto, & rosmarini, & petroselini, &

spicæ-

ſpicænardi, quibus etiam in veſicæ morbo utendum eſt adjectâ rutâ: Ad uterum verò, Artemiſiæ decocto, Salviæ, Lauri, & ſimilium: Ad ſedem, Meliloti, Papaveris, & Roſarum: Ad hæmorrhoidas & fluxiones uteri, Plantaginis, Polygoni, Malicorii, Roſarum, Ruborum, & eorum quæ ſimiles vires habent: Ad vulnera verò, ex quibus nervorum diſtentio timeri poteſt, Aqua, & Oleo. Quod ſi ad alios præterea affectus convenire poteſt, id accidit vel ob balnei penuriam, vel ob imbecillitatem ægroti, qui totius balnei uſum non poſſit admittere, vel ob ſuperna alicujus partis debilitatem, vel affectionem cui aquæ perfuſio inutilis ſit, aut aliquod aliud impedimentum. Cæterum, qui in talibus decoctis ſeſſuri ſunt, omnes ſunt illinendi & immergendi in aquam uſque ad infimum umbilicum. Oportet autem partes quæ non madefient, priùs inungere, ſed præſertim caput quod tegi debet, ne repleatur. Qui Medicinam nunc faciunt, id genus remedii *Semicupium* appellant.

Encephalos, ἐγκέφαλος, *Cerebrum*, vide *Cerebrum*.

Encharaxis, ἐγχάραξις, *ſcarificatio*, eſt cutis & ſubjectæ ejus carnis, per ſcalpellum ſectio, non punctim, ſed cæſim facta; multis foraminibus differt à Phlebotomiâ, quod hæc uno vulnere venam adaperiat, illa multis ſectionibus cutem, carnemque dividat. Diviſio autem ipſa cùm multas habere poſſit differentias, in treis tamen referri poteſt ſecundum Galen. libr. 2. ad Glauc. aut enim tenuis & ſuperficiaria eſt, aut è contrario magna & profundior: aut longitudine & profunditate inter eas media: quibus omnibus Galenus ſe uſum fuiſſe, prodidit in abſceſſuum curatione. Quæ in ſuperficie fiunt, non attrahunt è longinquo, non revellunt, non derivant ſed in ſummâ modo cute hærentem humorem, quâ ulcuſcula facta ſunt, educunt, nec magnis morbis opitulantur. Quæ longæ ſunt & profundæ, plurimum ſanguinis expauriunt (cujus rei Ori-

basius testis locuples est, qui scarificato sibi crure, cum pestilentiâ laboraret, duas fermè sanguinis libras inde detraxit) adeò ut animi deliquium aliquando inducant; & è partibus etiam remotissimis, & à capite in crura, à crure in manum revellant: & quia in carnem altiùs adactæ sunt, propriam curationem in modum vulnerum efflagitant. Quæ ambarum mediæ sunt, earum pariter incommoda declinant; ideoque aliis præferri debent, si quando scarificationis usus inciderit. Ea autem tribus de causis suscipitur, ad revulsionem, ad derivationem, ad vacuationem, humoris tum corpore toto redundantis, tum eâ in parte quæ scarificari debet, impacti: Quæ omnia quamvis per phlebotomiam consequamur, quia tamen (ut ex Apollonio refert Oribasius) multum nocere solet corporibus venæ sectio sæpiùs repetita, ideò eâ omissâ, tutius est scarificationes moliri, quod eæ citra validam totius molis corporeæ commotionem, eadem quæ & venæ sectio commoda præstare valeat. Itaque si crura fluxione vexentur, si phlegmone laborent, manus scarificare conveniet, ut è contrario crura, si manus malè affectæ fuerint: similiter si dextrum crus doleat, aut dextra manus siniſtrum crus aut siniſtram manum scarificare poterimus, quod revulsio non tantum à summo deorsum, aut ab imo sursum, sed etiam à dextris ad siniſtra, & contra fieri rectè possit, uti & secundum alias situs differentias.

Encheridæ, grumi sunt ceræ modo facti in emplastris, dum liquida illis infunduntur, 4. de comp. med. per gen. cap. 5.

Enchymoma, est sanguinis, & humorum in partem aliquam naturalis effusio, per quam, & partis ejus venulæ replentur sanguine, & color vividus rubens ac naturalis parti inditur, ut in irâ, verecundiâ, gaudio, somno, fit, diciturque Græcè ἔγχυμωμα ἢ ἐγχύμωσις; quæ effusio si fiat præter naturam, ut in vulnere contingit,

gingit, abscessu, aut phlegmone, dicitur *Ecchymosis*, vel *Ecchymoma*; vide *Ecchymoma*, 2. de morb. vulg.

Enchyta, medicamenta sunt, quæ oculis instillantur, ut fœnugræci decoctum, candidum & tenue ovi, lac muliebre, & quæ in hunc usum præparantur collyria; de remed. part. fac. cap. 10.

Encope, ἐγκοπὴ & ἔλκωσις, Incisio dicitur propriè in capitis ossibus, inquit Galen. soluta continuitas ab aliquo acuto occurrante & abscindente, vide *Hedra*.

Encranion, vide *Cerebellum*, & *Parencephalis*.

Enema, id est, infusum, quòd per inferna in alvum infunditur; dicitur quoque ἔγκλυσμα, κλυστὴρ, lib. de ren. aff. cogn. capit. 4. ἀπὸ τοῦ ἐνίημι, quod infundere significat, *Enema* appellatur.

Endemus, & *Endemius morbus*, ἔνδημος, ἡ ἐνδήμιος, appellatur, quasi Patrium dixeris, & Vernaculum, qui morbus communis est multis, eandem regionem incolentibus: ut *Epidemus*, & *Epidemius morbus* est, qui cùm pernicios̃us non sit, tempore tamen statо in regione aliquâ sævit, & insolescit; si enim pernicios̃us sit, *Pestis* dicetur, 1. de vict. rat. 9. Morborum itaque alii *Sporades*, hoc est, dispersi, (Σποράδες, qui singulos separatim corripiunt, non ab aëre, sed potiùs à victûs ratione cuique propriâ exorti.) Alii *communes* sunt, quos Græci κοινὰς, παγκοίνους, ἢ πανδήμους vocant, qui sunt certi morbi, & singulares, qui alicubi vagantur, & multos æquè simul corripiunt, causamque habent communem, ut aërem, quem omnes inspiramus, vel depravatæ aquæ potum, aut gravem, & vitiosum cibum, quem omnes pariter absorbuerint, vel terram exhalationem, vel quid simile, quod vitari nequeat. Qui morbi communes *Pancœni*, & *Pandemi*; si patrii sunt, *Vernaculi*, & alicujus regionis familiares, *Endemi*, & *Endemii* vocantur, causamque communem agnoscunt, & communem insultum, de quibus Hippoc. lib. de aquâ, aëre, & locis; si verò à communi causa nati,

com-

communes quidem sunt, non tamen patrii & familiares, sed potiùs externi, & adventitii; sin autem pernicioſi, & contagioſi, *Peſtilentes* dicuntur, Græcè Λοιμώδεις; ſi verò non peſtilentes, ſed peſtilentibus mitiores ſunt, μὴ Λοιμώδεις, carent proprio nomine; quanquam Galenus, quaſi oblitus eorum, quæ in proœmio, libr. 1. epidem. ſcripſerat, aſſerat, eos, qui peſtilentes non ſunt, vocari *Epidemios*, mutuato ſcilicet generis nomine.

Endeixes, ἐνδείξεις, Indicationes ſunt, id eſt, communitates, ſcopi, & auxiliorum fontes, velut & loci, ἀνιδείξεις verò his oppoſita ſunt, 9. meth. cap. 7. Indicatio eſt ejus, quòd fieri in ſingulis rebus debet, ſignificatione ſumptâ à propriâ cujuſque rei naturâ. Cùm enim in ſingulis rerum generibus quæri poſſit quid ſequendum quidve fugiendum ſit, ejus cognitio ab ipsâ rei, de quâ quæritur, naturâ perveſtiganda eſt, quodque illa faciendum inſinuaverit, id ejus indicatio dicitur. Ut ſi quæratur de ſanitate quid ſentiendum ſit, primum perpendere oportet ſanitatis naturam, quæ quia bona omnibus mortalibus videtur, facit ut judicemus eam à nobis ſervandam eſſe, quamobrem ſui cuſtodia, ſanitatis indicatio eſt. Idem verò in morbo agendum, qui quoniam totus præter naturam eſt, & toto genere malus, indicat & oſtendit ſe tollendum eſſe. Itaque ut duo ſunt ſumma rerum omnium genera, bonum & malum, ita duæ ſunt primæ & generales indicationes, Cuſtodia & Ablatio, illa quidem boni, hæc verò mali: Singula enim de ſe ipſis alterum eorum neceſſariò indicant.

Engiſomata, inſtrumenta ſunt, quibus in calvariæ fracturis utimur; vel ut alii, eſt oſſis pertuſio, cùm pars affecta in profundum deſcendit, ac ſuper illæſum os corruit, lib. finit. vide *Camaroſis*.

Engonios, id eſt, anguloſa brachii figura, quæ illi membro naturalis eſt; omnis enim cujuſque partis figura

figura rectissima, maximè est à dolore aliena, 6. method. 5.

Eurhythmus pulsus, commune quoddam genus est, ad *Eurhythmum pulsum*, & *Arrhythmum*, 1. de differ. puls. cap. 9. qui enim naturalem, & optimum servat *Rhythmum*, εὔρυθμος dicitur unusque est, & indivisus; qui verò non servat, ἄρρυθμος, in tres divisu differentias; omnis autem pulsus, qualiscunque ille sit, modò servat *Rhythmum*, εὔρυθμος appellatur.

Ensiformis cartilago, vide *Cartilago ensiformis*.

Entera, ἔντερα, *Intestina*, sunt corpora cava, rotunda, membranosa, ab imo ventriculo ad anum protensa, distribuendi ad jecur chyli, & continendi, expellendique stercoris instrumenta, in orbem involuta, fibris circularibus, & transversis contorta, ad chyli, & stercoris expulsionem; quorum tria superiora tenuia sunt, ἔκφυσις, sive δωδεκαδάκτυλον ἔντερον, εἴλεον, ἢ λεπτόν, hoc est, *Ecphysis*, *Jejunum*, *Ileon*, sive *Tenue*; tria inferiora, crassa, τυφλὸν, κῶλον, ἀπόγυιον, *Cæcum*, *Colon*, & *Rectum*; atque inde patet, etsi unum, & continuum numero sit intestinum, loco tamen, magnitudine, numero orbium, & anfractuum evariare, senariumque resultare numerum, & 5. de usu part. & 6. de anatom. admod. Ubi verò ἔντερον, in singulari numero, id est, *Intestinum*, ab Hippocrate profertur, docente Galeno, com. 4. in 6. de morb. vulg. ipsum significatur *Colon*, per excellentiam, ratione suæ magnitudinis, quòd solum ex Intestinis in Scrotum descendit, & *Enterocelen* efficit, id est, *Herniam intestinalem*, apud alios verò *Cæcum*, 4. de usu part. cap. 17.

Enterocele, *Epiplocele*, & *Hydrocele*, sunt species herniarum, in quibus rumpitur is meatus, quià Peritonæo ad testiculos pertingit, libr. de caus. morb. c. 10. cùm articuli suis sedibus excidunt, aut loco tantùm moventur; aut cùm omentum, vel intestina, ad inferiores testiculorum tunicas devolvuntur, alterum morbum

bum Græci *Epiplocelen*, alterum *Enterocelen* appellan de differ. morb. capit. 10. Præter hæc ex ambobu etiam morbis compositum affectum, *Enteroëpiploce len* juniores Medici appellant, lib. de tumor. cap. 15 vide *Cele*.

Enthusiasmus, id est, *fanatica perculsio*, seu *numin afflatio*, est, velut, cùm quidam in sacris faciendis, men te capiuntur, si quæ viderint, aut si tympana, vel ti bias, vel signa audiverint, lib. finit.

Epacmastica, 9. method. 4. vide *Continua*.

Epaphæresis, ἐπαφαίρεσις, id est, *repetita sanguinis mis sio*, de cur. rat. per sang. cap. 1.

Eparmata, præter naturam tumores, secundùm au res, in ægrotantibus exortos, vocat Hippocr. com. 4 in 6. de morb. vulgar. 1. Ea etiam διδήματα commun significatione appellat. Sed Galen. 3. de comp. med loc. cap. 2. dicit *Eparmata* (quæ & *Parotides* sunt,) o genere esse inflammationum, quæ fiunt glandulis, circa aures p. n. affectis. Paulus verò ait: Tumor omnis, sive œdematosus, sive scirrhosus, etiam citra inflammationem, glandulas sub auribus occupans, παρωτὶς dici potest.

Ephebæon, *Pubes*, & *Pecten*, *Aqualiculus* Latinè, Græcè ἐφήβαιον, ἐπίζειον, ἦπον, id totum est, quòd est ab Hypogastrio, seu imo ventre (quem & *Sumen* vocant) usque ad pudenda; Introd.

Ephelcis, id est, ramentum, seu cruoris exigua gutta, quæ interdum tussi in hæmoptoicâ passione, rejicitur, 4. de loc. aff. 5. aliquando generaliùs, ἐφελκὶς, crustula est, quæ ulceri obducitur, diciturque de internis; quandoque enim crustulæ & per tusses è pulmonibus, & per dejectiones ex intestinis, dejiciuntur.

Ephelis, ἐφηλὶς, est aspredo, & nigrities, in facie ex ardore Solis progenita, ἀπὸ τῦ ἡλίυ, id est, Sole, nomen inditum, non quòd à Sole tantùm vitia illa in cute contrahantur, sed quòd à reliquis inducta causis, similem

milem asperitatem & colorem habeant. Quæcunque enim causa ea excitarit, cutis ceu multo Sole exusta, candorem & lævorem amittit, contrahitque nigritiem & aspredinem. Plinius aliquando discolorem à Sole cutem, aliquando à Sole usta, vel à Sole adusta interpretatur, eoque vitio deformes, Solatos appellat. Alii, Vitia cutis simpliciter Latinè reddunt.

Ephemera febris est, quo à causâ procathartica, sive præincipiente, fit cum urinæ coctione, primâ die apparente, suavi caliditate, pulsu ad magnitudinem, & celeritatem effatu dignam ascendente, systole pulsus parùm à naturali tenore mutatâ, æquali atque incompresso ascensu in caliditate, etiam consistente febre, sudore adhæc aut rore, aut omninò cum aliquo optimo vapore integrè judicari solita, 1. de diff. febr. cap. 7. *Ephemera febris*, ait, in spiritibus citra humorum putredinem accensa est, ibid. cap. 5. vide *Diaria*.

Ephialtes, Affectus Græcis dictus, est nocturna corporis oppressio, & quædam quasi suffocatio, cùm quis omni ab initio, supinus jacens, grandi se mole opprimi, atque ab alio invadi imaginatur, cum difficili respiratione, immobilitate, ac voce præpeditâ, propè suffocari, æger videatur; Græcis quoque dicitur ἐφιάλτης & πνιγαλίων, Latinè verò *Incubus*, vel *Incubonus* dicitur; fortè quia ex Veteribus quidam *Dæmonem*, alii, *Cupidinem*, alii, *incubantem Vetulam*, aut *externam quandam vim*, *quæ quiescentes invaderet*, *& pondere oppressos*, *gravaret*, esse voluerunt, quamvis tota mali causa, intra corpus esset, in libello de utilitate respirationis, Galeno ascripto. Ea autem causa non est humor, sed crassus & frigidus vapor, ut scripsit Posidonius, ventriculos cerebri implens, & prohibens, spiritus animales per nervos ferri. Per somnum tantùm fit, eoque laborantes per ipsam accessionem eadem patiuntur, quæ & apoplexia correpti, sed tamen mitiora. Quia enim vapor in causâ est, non in totum opplentur

ventri-

ventriculi cerebri, nec tam difficulter excitantur, qui eo laborant. Manent tamen aliquandiu immobiles; deinde verò multo labore, & conatu tenuato, & discusso spiritu, & meatibus obstructione solutis, dere pentè e somno excitantur. Læditur illis potissimum imaginatio, ex quo verisimile est, in priori potissimum ventriculo morbum consistere. Ex his intelligi potest incubi differentia ab *Apoplexiâ* & *Epilepsiâ*. Præludium tamen procœmiumque eorum mortuorum est, atque etiam insaniæ. Diuturnior enim & frequenter repetens, crudo humore in ventriculis cerebri paulatim cumulato, in eos facilè degenerat. Præcedunt incubum suffocatio, vocis amissio, gravitas & immobilitas, & hæc rursus crapulæ & cruditates, ex quibus crassus ille frigidusque vapor suscitatur. Proinde quidam morbum hunc rectè quidem, sed imperfectè definierunt, vaporum in caput discursum ex nimio cibo & cruditate.

Ephidrosis, ἐφίδρωσις, duo significat, vel sudoris circa thoracem & caput exortum, vel in universo corpore sudoris proventum, tùm paucum, tùm inutilem.

Epialus, vide *Febris Hepiala*.

Epicauma, est velut ex igne facta crustulosa ulceratio, quæ oculi nigro advenit, nec permanet, lib. finit. id morbi ἐπίκαυμα, & ἔγκαυμα vocant Græci, Latini *Vstionem*, sive *Inustionem*. Sed adverrendum est duo ulcerum genera hoc uno nomine apud Paulum & Aëtium designari. Scribit enim Paulus, ἐπίκαυμα ulcus esse oculi sordidum, impurum, crustosum, quòd dum repurgatur, sæpè humores oculi effluunt: Id verò ab Aëtio, non ἐπίκαυμα, sed ἔγκαυμα appellatur. Vocat enim ἐπίκαυμα, ulcus superficiarium, cùm videlicet nigrum oculi in superficie exasperatum, inustum fuerit, & coloris cinerei evaserit, cujus ulceris non meminit Paulus.

Epicrastica, ἐπικρατικὰ, medicamenta sunt, quæ &

tem-

temperata dicuntur; quæ si valentiora evaserint, humoribus mordicantibus morsum eorum retundunt, 2. simplic. 12. veluti uva passa mordentes mediocriter stomachum humores obtundit, apud Galenum, lib. 2. de aliment. Idem medicamentorum genus etiam κρουστικὸν appellatur.

Epicrasis, ἐπίκρασις, est vitiosi succi seu cacochymiæ curatio, cùm indicationes sibi adversantur, in quâ paulatim, quòd vitiosum est, vacuatur, & paulatim quòd salubre est, pro eo reponitur, 9. method. 10. Est enim in universum duplex omnis curationis ratio: aut enim in totum summovetur vitium, si & vires valent, & humor concoctus se facilè educi patitur: aut si vires imbecillæ sunt, ut confertim factam vacuationem admittere nequeant, vel humor propter cruditatem non sit futurus obediens medicamento, tunc ubi eum attemperaveris, tenuaveris, mitificaveris, paulatim educere oportebit, inque locum ejus benigniores sufficere; quanquam non sit necesse ἐπίκρασιν vacuatione perfici. Nam quæ etiam in corpore manens, alterari, mitigariqûe possunt, permissâ soli naturæ vacuatione, quæ eorum partem vel convertat in corporis alimentum, vel per alvum, urinas, sudorem, aut aliter expurget.

Epicrisis, id est, *Adjudicatio*, ad Thrasyb. capit. 6. Quæ mutuò inter se dependentia colligantur, per appellatam *Epicrisim* à Græcis, à nostris *Adjudicatio* dici potest, judicanda sunt.

Epicrusis, certa quædam est percussio, quâ mangones puerorum, hoc ipso præsidio succurrunt iis, quibus à natali die, gracilia sunt membra, 14. meth. cap. 16.

Epicyema, ἐπικύημα, est secundus fœtus, conceptus gravidâ jam existente muliere, id quôd fit, ut scripsit Hipp. cùm fœtu jam concepto, non clauditur exactè uterus, sed semen aliud etiam posteà intro admittit; Arabibus, *Superimprægnatio* dicitur, & *Superfœtatio*.

Epidemus, vide *Endemus*, & *Communis*.

Epidermis, ſumma cutis corporis, ſeu Cuticula; 3. method. 4. ſolâ ſenſatione à verâ cute differt, hæc enim à nervorum extremitatibus dilatatis fit: Epidermis verò à cutis excremento vaporoſo, ambientis aëris à frigiditate, provenit: itaque vel ſenſu caret, vel exigui ſenſus eſt, proinde citra dolorem facile à ſubjectâ cute ſeparatur: Sic dicitur, quòd ſuprà cutem naſcatur, quodque ejus veluti quædam efflorescentia ſit; ſicut τὸ ἐπίθυμον τ θύμῳ, καὶ τὸ ἐπίθυμβρον τ θύμβρας.

Epideſmus, ſive *Hypodeſmidas*, id eſt, *Faſcias*, *Subfaſciationes*, & *Subligamina*, ſine ullâ diſtinctione, Veteres vocaverunt; Ac Hipocrates *Faſcias*, quæ ipſi corpori circumdantur, *Subligamina*, ſeu *Subfaſciationes* appellat, quæ Plagulis extrinſecus ſuperligantur, 3. de his, quæ in medic. 6. vide *Plagulæ*.

Epideſis, genus ligationis eſt, ad ſanguinis profluvium fluentibus vaſis injecta; quamquam ipſum vas circulo non complectatur, ſicut vinculum; verùm cùm ex parte ſuo complexu committat quodammodo vulnerati membri labra diſſidentia, & quæ ſuperimpoſita ſunt, contineat, meritò inter claudentia remedia numeratur, 5. method. 3.

Epididymus, ἐπιδιδυμίς, id eſt, ſupergeminalis tunica, & parvus quidam quaſi teſtis, teſtium involucrum ſimul eſt, & appendix; eſt enim pars quædam animalis gemini, hoc eſt, teſtis capiti ſuperim poſita; id quòd nomen ipſum præ ſe fert, ex quâ multæ fiſtulæ, ſeroſo quodam humore plenæ, ad teſtem permeant, 1. de ſem. cap. 15. Eſt autem propria & intima teſtium tunica, & illis omni ex parte contigua, dura, craſſa, & admodum valida. Huic alia tunica ſuperpoſita eſt ἐρυθροειδὴς dicta, non eam modò, verùm totum etiam teſtem comprehendens. Malè quidam eo nomine teſticuli quoddam caput, & veluti efflorescentiam ſignificari putant, nominibus manifeſto abutentes, (id enim κεφαλὴ τ ὄρχεως vocatur) & ob id in errorem lapſi, quòd exiſtiment

τὸν

Unable to display this page

femori atque tibiæ alligantes aptarentur; propter quos etiam iis locis cartilaginosum videri cum Galeno possit, maximè in juvenum corporibus: at grandioribus, abrasis cultello, aut coctura abscedentibus tendinibus, manifesto osseum apparet. Contegit femoris tibiæque articulum, alioqui nimia patentem, prohibetque ne antrorsum laxetur. Formam probè orbicularem habet, fastigio ad tibiam acuto. Umbonem imitatur, medio corpore crassiore, orisque tenuibus. vide *Patella*.

Epilampsies, vide *Effulgescentiæ*.

Epilepsia, (quæ & *Epilepsis* dicitur,) id est, *Morbus Comitialis*, de diff. morb. cap. 5. estque totius corporis convulsio, non perpetua, cum mentis & sensuum oblæsione. Eam molestæ rei sensus invehit, & cerebro noxiæ, tùm quantitate, tùm qualitate. Quantitas quidem cerebro gravis est, ejusque vim expultricem excitat, consistitque in humore vel pituitoso, vel melancholico, sed ferè semper frigido, crasso, & viscoso. Quem tamen non adeò multum esse oportet, ut penitus obstruat, vimque ipsius cerebri exuperet, alioqui non Epilepsiam, sed Apoplexiam potiùs pareret, sed quantitate mediocrem, ut ad ejus depulsionem, quàm natura totius corporis concussu molitur, cerebro adhuc vires suppeditet. Qualitas verò maligna ac venenata, & virtuti animali infesta est, sive à veneno sumpto, sive ab ulcere cacoëthe cerebri vel subjectarum partium, sive ab aliâ affectione, ut ventriculi cruditate, & largo meri potu proficiscatur. Itaque ubi eorum aliquid in cerebro præter naturam fuerit, ipsum movendi sentiendique principium in sese recurrit & contrahitur, atque ita totius corporis convulsionem inducit, quin etiam eam à se amoliri contendit crebrâ & inæquali cerebri totiusque corporis concussione. Apparent enim manifesto in eo morbo hæc duo symptomata, convulsio, concussioque tanta, ut spumam etiam eliciat. Valido in motu humor qui in cerebro conti-

netur exagitatus, non aliter quàm ovi candidum, ſpumam creat. Sunt autem (quamvis loci affecti nullum ſignum appareat) cerebri ventriculi, anterior maximè & poſterior, hujus mali ſedes, in quibus ſpiritus gignitur atque continetur, primum animæ inſtrumentum, tùm in ſenſilibus actionibus omnibus, tùm in iis quæ à conſilio & voluntate prodeunt. Spiritus igitur cùm laboret, & veluti attonitus in depellendâ morbi causâ verſetur, alias interim functiones deferat, neceſſe eſt; quare non imaginari, non ratiocinari, non meminiſſe poteſt; 2. de ſympt. cauſ. cap. 2. vide *Comitialis*.

Epilogiſmus, communis eſt quædam ratio, & omnium aſſenſu comprobata, 1. prorrhet. 6. vel eſt ratio apparens, nec recedens ab his quæ manifeſta ſunt, ſed illa ſemper uſurpans, ut idem Galen. ait, lib. de ſectis. Hujuſmodi rationes multæ habentur apud Hippocratem in prognoſt. ut quæ à facie ægri & ſignis aliis evidentibus ſumuntur.

Epinyctides, vide *Efflorationes*.

Epiparoxineſiai, id eſt, ſupervacui, & ſuperexacerbari dicimus, cùm paroxyſmus plures habet inſultus, ac veluti reduplicationes, ut in ſemitertianâ, quæ tertio die duplicatam habet acceſſionem tertianæ intermittentis, cum quotidianâ continuâ, & ἀναδιπλώσεις quaſdam. Eſt & ἐπιπαροξύνεσθαι irritari, & de abſceſſibus ad ſuppurationem ſubortis, dicitur, in prorrhet. ſicut & pulſuum Thlipſis, id eſt, compreſſio; ſic enim nominant, quando incipiente acceſſione ſatis parvi, atque inæquales pulſus ſunt, 1. de diff. febr. cap. 7.

Epiphora, ἐπιφορὰ, tùm inflammationis magnæ, univerſo illatæ corpori, tùm largorum fluorum, & fluxionum commune nomen eſt; propriâ verò, de oculis profertur, ubi cum maximâ inflammatione, etiam humoris copia in illos influxerit, libr. Introd. cap. 15.

Epiphyſis, ἐπίφυσις, eſt oſſium quaſi adnata appendix, lib. de offib. in proœmio: differt autem ab *Apophyſi*,

ut idem Galenus annotat, quòd *Apophyſis* ſit totius o
ſis extrema pars, *Epiphyſis* verò non eſt oſſis pars, ſe
aliquid oſſi adnatum.

Epiphyſis vermiformis, ἐπίφυσις σκωληκοειδὴς, idem e
ac *Conarium*, ſive *Conoëides corpus*, & *Turbinatum*; vic
Conoëides.

Epiplaſma, idem eſt ac *Cataplaſma*; ut, cùm triti
farina, ex Hydrelæo decoquitur, ac vulneribus impo
nitur, 3. de compoſ. medic. per gen. cap. 2.

Epiplocele, vide *Celæ*.

Epiploocomiſtæ, plerique homines pingues & obe
dicuntur, quaſi dicas *Omenti geſtores*, dum in magnan
molem omentum iiſdem excreverit, 6. de anat. adm
cap. 5.

Epiploomphalon, omenti eſt in umbilicum prolapſu
libr. finit.

Epiploon, ſive *Epiplœn*, vide *Omentum*.

Epiſarcidium, vide *Anaſarca*.

Epiſemaſia, eſt ipſum principium, ſive inſultus ac
ceſſionis febrilis, in quo ægri ſolent horrere, refrige
rare, oſcitare, pandiculari, dormitare, aut aliud qui
ſimile pati: dicitur Græcis, ἐπισημασία, *Significatio*
(aliàs, εἰσβολὴ παροξυσμοῦ, id eſt, Annotatio paroxyſ
mi, tempus indiviſibile, exactè jam primum, quo iſt
ferè quæ retuli, ſolent oboriri: horum ſi quod ægr
ſenſerint, jam acceſſionem adeſſe, quaſi eo ſigno præ
ſentiunt. Ac ejuſmodi quidem acceſſionis ſignifica
tio, quæ ſcilicet cum talibus ſignis invadit, ſimplici
ter ἐπισημασία appellatur, eſtque febrium putridarum
propria. Verùm habent & ſuam ἐπισημασίαν hectica
febres, ſed ab illâ differentem: eâ autem eſt unâ ferè
horâ vel duabus poſt aſſumptum cibum, quo tempor
qui hecticâ febre laborantem tetigerint, quandam fe
bris veluti acceſſionem deprehendent, calorem & pull
ſuum magnitudinem atque celeritatem intendi ſen
tientes, nec quicquam tamen eorum obſervantes acci
diſſe

dissе, quæ solent in putridis febribus evenire, hoc est, non horrorem, non extremitatum refrigerationem, non dormitationem, non aliquam pigritiam, aut aliquam omnino inæqualitatem, in calore aut pulsu, sed neque parvitatem, neque debilitatem, neque aliud quid simile. Ideò hæc qui ἐπισημασία non est, non absolutè, sed cum addito, ἐπισημασία ἄθλιος nominatur, quod careat iis angustiis molestiisque, quibus alii graviter premuntur per initia accessionum. Est autem hæc febrium hecticarum propria; Galen. lib. 1. de diff. febr. capit. 9. vide *Annotatio.*

Epision, vide *Aqualicus*, sive *Aqualiculus.*

Epispasticum, ἐπισπαστικὸν φάρμακον, quòd & ἑλκτικὸν, & ἐξισπαστικὸν dicitur; vide *Attrahens*: est medicamen aridum insperfile, ad malignorum ulcerum curationem, non inefficax, 4. de comp. med. loc. capit. 5.

Epithemata, ἐπιθέματα, pharmaca sunt, ceratis valentiora, quæ tum ex unguentis, tum ex iis, quæ similem vim obtinent, medicamentis componuntur, 7. meth. 4. *Epithema* quoque Operculum est, 2. de usu part. cap. 9.

Epneumatosis, vide *Physis.*

Epoche, est suspensa sententia, nihilque definiens: ut cùm quamdiu humores sunt in nutu, de nullâ re pronunciamus, nec asseveramus quicquam certò, lib. de optimo docendi gen.

Epomida, id est, *superhumeralem*, superiorem humeri partem dicunt, 1. de anat. adm. cap. 11. vide *Ala.*

Epulis, ἐπουλὶς, est Tuberculum, & carnis excrescentia in gingivis proveniens, & ad intimos molares dentes sese extendens, ita ut æger aliquando os aperire nequeat, 5. de compos. med. loc.

Epulotica, ἐπουλωτικὰ φάρμακα, medicamenta sunt, quæ non detrahere, neque liquare carnem, sed indurare, desiccare, & cicatricem inducere apta sunt; ut Alumen, Galla, Omphacium. Æs combustum, præsertim lotum, 5. simpl. cap. 15.

Equus, (qui Græcè ἵππος dicitur, libr. finit.) oculorum affectus est, insitus quibusdam, quibus oculi nullo tempore manere possunt requieti, sed tremuli subinde nictant, & instabiles, 1. prognost. 21. Hanc oculorum affectionem Galenus comparat stridori dentium naturali & congenito, patetque ex eo non esse morbum, præsertim cùm nemo Medicorum ejus meminerit.

Erratica febris, sive *Inordinata*, est, quæ extra horas consuetas, vel tardiùs, vel celeriùs invadit, & inordinatè tùm movetur, tùm consistit, lib. de Typis, c. 4. sunt enim (ait) in erraticis, inordinata principia.

Errhina medicamenta sunt, quæ naribus, quas Græci *Rhinas* vocant, capitis purgandi gratiâ infunduntur, aut induntur, 5. simplic. capit. 20. Quicquid autem eam habet facultatem, extergens, & acre sit oportet: sic enim & commodissimè attrahit, & vim expultricem irritat. Ejusmodi est Betæ succus, Cuminum, Medulla Cucumeris sylvestris, Staphisagria, tum oleo aut unguento, aut lacte, aut alio liquore excepta, & naribus inuncta, tum in pulverem trita tenuissimum & per arundinem insufflata. Quòd ubi actum est, æger deorsum pronuere debet, quo videlicet coactus humor distillet.

Erythroëides, est intima testiculorum tunica, de cauf. morb. cap. 10. vide *Elythroeides*.

Eruptionum, sive, ut Græci dicunt, *Exanthematum* nomen, quidam in communi usurpant, de affectionibus videlicet ulcerosis, & asperis, in mento, & corporis universi ambitu suâ sponte provenientibus, 5. de compos. medic. loc. cap. 6.

Erysipelas, est tumor præter naturam non altè descendens, sed in cute consistens, à bilioso humore obortus, colore pallido, 14. method. 1. Si verò ipsius color non sit omninò pallidus, sed mixtus ex pallido & rubro, erit etiam mixta affectio, ex phlegmone (in quâ

quâ sanguis peccat, coloris rubei) & ex *Erysipelate*, utique ab eo, quòd in mixturâ superat, nomen ipsi inditur, ac dicitur vel *Phlegmone erysipelatosa*, vel *Erysipelas phlegmonosum*, 14. meth. 1. & 2. Habet quidem doloris aliquid, sed longè moderatiùs quàm phlegmone, neque ut illa pullat, premit, aut distendit. Verum multò calidior est, & aspectu flavior, & si tetigeris, sanguis facilè refluit, rursusque affluit valdè tenuis & rubens. Nominant autem *Erysipelas*, *Vicinitraham*, vel *Vicinirubiam*, quòd incensum quidem atque inflammatum est semper, cum tumore & rubore partium circumpositarum, libr. 3. de his quæ in med. 30. & 2. ad Glauc. 1. *Exactum* autem *Erysipelas* est, quòd à biliosâ fluxione ortum ducit, 7. simpl.

Eschara, crusta est, quæ ulceribus veluti septum, vel suâ sponte, vel arte pyroticorum medicaminum usu adnascitur, 5. meth. cap. 3. Crassa, nigraque est: quæ autem levior, non ἐχάρα, sed ἐφελὶς dicitur. Proprie verò ἐχάρα, quæ ab ardenti ferro, aut medicamento causticò inducta est, appellatur. Ejus generatio, inquit Galenus, ex subjectis circumpositisque corporibus, ut sic dicam, semiustis, sic ut cujusmodi rem in hyemem extinctos hos carbones parant, ejusmodi ipsæ crustæ carnis exustæ sint reliquiæ. Quare quantum particulæ adustum ad crustam est, tantum ipsi de naturali carne deperditur.

Escharoticum, medicamentum est, quòd perinde ut causticum, in crassâ essentiâ est, & cuicunque inhæserit parti, stipitis ritu infixum eam, comburit & excruciat, 5. simplic. 15. Est autem duplex τὸ ἐχαρωτικὸν, ignitum ferramentum, & crustificum medicamentum: hoc autem calidum & siccum est, quarto gradu: id carnes colliquat & adurit, sicque crustam facit. Ejus usus imprimis necessarius est, ubi ex erosione putrescentis alicujus profluvium sanguinis excitatur, atque ubi quòd computruit, sublatum est ad adurendam

ipsius veluti radicem. Est autem incrustantium medicamentorum materia non utique solus calor, sed cum quo adstringendi facultas sit conjuncta, qualis in chalcitide & misii, & atramento sutorio, sive ustis, sive inustis. Quæ verò ex calce non extinctâ conficiuntur, ea utique valentiora his sunt; cæterum, calx adstringendi vim non habet. Excidunt igitur citiùs quæ ab his fiunt crustæ, hærent autem corporibus diutiùs quæ ab astringentibus: quòd utique longè est utilius in profluvio sanguinis, quando ita priùs nascitur in imo earum caro, efficiturque profluenti vasi velut operculum quoddam: unde nec nosmet præcipites esse ad crustas, ubi hæmorrhagiæ periculum imminet, detrahendas oportet, nisi in illis tantum affectibus, in quibus propter putredinem candens, ferrum admovere coacti sumus; tunc enim celerrimè crustam excidere expedit.

Esthiomenos herpes, ἐσθιόμενος ἕρπης, est inflammatio ex sincerâ flavâ bile ad cutem decumbente acriori, & mordaciori quàm ea est, à quâ oritur herpes miliaris in hoc enim fluor pituitâ mistus videtur, in illo exacta bilis totam exulcerans, & corrodens cutem, libr. de tumor. cap. 9. vide *Herpes*, *Phagedæna*, *Nomæ*.

Ethmyodes platysma, id est, latus ille musculus, sive musculosa dilatatio, quæ cuti subnascens, λεπτὴ, id est, buccam, sive maxillam movet, libr. de nerv. dissect. cap. 6.

Evacuationem omnem, sive fiet inediâ, sive sanguinis missione, sive purgante medicamento, solitus est vocare Hippocr. vasorum inanitionem; *Evacuatio* autem pressiùs dicta est humorum, qui suâ quantitate molestant, purgatio: ut purgatio est humorum, qui suâ qualitate molestant, evacuatio, 1. aphor. 2.

Euchymia, id est, succorum in corpore bonitas, 2. de simpl. 13. unde *Euchymon* nutrimentum est boni succi 6. de san. tuen. cap. 7. Id autem duplex est, tum quòd

portio

portionem quandam boni succi continet ad nutriendum habilis, sed plurimum habet recrementi, tum quòd plurimum habet, quòd nutrire potest, minimum autem quòd sit inutile, Galen. lib. 9. method. med.

Eucrasia, est medium omnium temperamentorum, 1. de sanitat. tuend. cap. 4. ex optimâ & convenienti cuique naturæ, corporique misto, mixturâ quatuor primarum qualitatum consurgens. Unde ejus magna est latitudo, quàm qui adeptus est εὐκρατος, sive *Eucraton corpus*, id est, optimè temperatum corpus natum esse dicetur; secus *dyscraton*, sive intemperatum, 2. de temper. 1.

Euëctica, medicinæ pars, quam alii *Gymnasticam* vocant, est, quæ optimum habitum corpori inducere studet, de part. art. med. cap. 5.

Euexia, est bona corporis habitudo, 1. de sanitat. tuen. cap. 8. ut huic opposita Cachexia, id est, pravus corporis habitus, εὐεξία καὶ κακεξία, illam complent bona omnium partium temperies, actionum robur, Euchymia, sanguinis, carnis, totiusque corporeæ molis symmetria. Est autem duplex ἡ εὐεξία; una est ἡ ἁπλῶς εὐεξία, quæ in optimâ corporis constitutione deprehenditur: altera verò, μὴ κατὰ διάθεσιν εὐεξία, quam habent singulæ corporum naturæ propriam & in comparatione dictam. Itaque ἡ ἁπλῶς εὐεξία nihil aliud est, quàm τὸ ὑγιεινῆς ἕξεως ἡ πλεονότης, hoc est, perfectissima & absolutissima sanitas: Et quia species & ipsa τὸ ἕξεως est, non facilè à causis insalubribus offenditur, sed firma constansque in corporibus perseverat. Quæ autem ab hâc deficit, modò nondum vitiosa sit, non jam εὐεξία, sed ab omnibus ὑγίεια, hoc est, *Sanitas*, nuncupatur, quæ eadem est cum τῇ μετὰ διάθεσις εὐεξία: tunc enim non simpliciter, sed hujus vel illius εὐεξία dicetur. Sic ἡ τῶν ἀθλητῶν εὐεξία non simpliciter dicitur, quoniam optima non est, quam periculo proximam esse Hippocrates pronuntiavit, & negavit naturâ

turâ esse comparatam : nam ut reliqua habeat optima attamen sanguis, & præcipuè carnosum genus in eâ suprà modum excrevit.

Evidentes causæ, vide *Continentes*.

Euóchon, εὔοχον, *Vinculum* vocat Hippocrates, quòd benè gestat, & sustinet, hoc est, firmiter, & sine ullâ compressione continet, 3. de artic. 22.

Eupathia, id est, patiendi promptitudo, 4. de usu part. 14.

Euphyian, vocat Galenus, bonam habitudinem, 1. de usu part. 9.

Eupnœa, εὐπνοια, proba spiratio, quæ secundum naturam fit, opposita *Dyspnœæ*, quæ est difficilis spiratio, apud Hippocr. ut annotat Galen. in com. prognost.

Eurhythmus, pulsus est cuique ætati, loco, tempori, temperamento, naturalis & conveniens pulsus ; cùm suum rhythmum quoque servat in Diastole pariter, & Systole, 1. de differ. puls. cap. 9.

Eusarcon, vide *Quadratum*.

Eusema crisis, quæ cum bonis signis à suâ indicatoriâ die fuit indicata, ut quæ undecimo die coctionem in urinâ, noctem gravem, quæ accessionem præcedit, insultus, cum concussione pulsuum, decretoriam commotionem, & sudores bonos, citra horrenda pericula habuit, 1. dier. decr. cap. 7.

Eustomachus, cibus est gratus stomacho, ventremque roborans, 6. de tuend. san. cap. 9.

Euthyporos, id est, in rectum procedens, alterum ex instrumentis, & organis est, quæ fractis, vel luxatis cruribus supponuntur, (σώλιονας, Græci vocant) quòd quidem Euthyporos per unicum axem ; qui in fine machinæ ad infimam ejus partem est collocatus, contrarium nixum toti membro, geminâ tensione efficit ; quòd verò priùs sursum, mox deorsum, illud *Metalepticum* dicitur, quasi *Transfativum* dixeris, 6. meth. cap. 5.

Eutro-

Euthrophia, id est, bona, & uberior nutritio, 3. de sanit. tuend. cap. 8.

Exanastomosis, vide *Osculorum apertio.*

Exangues corporis partes sunt, ut ossa, & cartilagines, quæ mucoso quodam humore naturæ suæ analogo aluntur, lentore quodam & albedine prædito, 3. de artic. 65.

Exanthematum nomen, quidam in communi usurpant, de affectionibus videlicet ulcerosis, & asperis in aliquâ corporis parte provenientibus, quæ & *Pustulæ*, & *Bothor* dicuntur, 5. de compos. medic. loc. cap. 6. Sunt autem ἐξανθήματα, sive *Papulæ*, quædam leves eruptiones humorum per cutem efflorescentium; rubræ, pallidæ, flavæ, nonnunquam & nigræ, & lividæ, pro humorum ratione, nunc indolentes, nunc prurientes cum scalptu, interdum sine pruritu, nunc ulcerosæ, nunc ad ulcus non devenientes; harum generum sunt φλυκταίναι, ψυδράκια, ἐπινύκτιδες, λειχῆνες, *Variolæ*, *Morbilli*, quæque in lue Venereâ etiam gignuntur, & quæ in febribus pestilentibus; vide *Pustulæ*, *Eruptiones.*

Exarthrema, luxatio est, non omnis, sed ea tantùm, in quâ totus articulus à suâ sede naturali excidit: Nam parvam luxationem, non ἔξαρθρημα, sed παράρθρημα, quidam vocari contendunt, 2. meth. 2. Alii per ἔξάρθρημα intelligunt positionem articuli depravatam, & præter naturam. Ea fieri potest sursum, deorsum, intrò, foràs, antè, retro. Sex enim istis differentiis in articulo ossa à suâ sede transponi possunt. Est autem luxatio morbus ossis, non quâ os pars similaris est, sed quòd partis organicæ portio sit. Sic enim & in multis aliis partium organicarum morbi partibus similaribus per accidens tribuuntur, & contra similarium morbi, organicis.

Exarticulatio, est alicujus membri luxatio, libr. de morb. differ. cap. 13. *Exarticulationes* interdum vocat

exar-

exarticulata, id est, ossium è propriâ sede excessus, sin fractione, com. 1. in 1. de fract. 1. vide *Luxationes*.

Ex ægritudine senectus, sive *ex morbo senium* (quòd Tabes, seu *Marasmus*, & *Marcor*, febrisque à quâ pro ficiscitur, *Tabida*, vel *Marasmodes* dicitur) est extin ctio summave imminutio nativi caloris, ad quam to tum corpus contabescit, instar arboris cujusdam supr modum arefactæ, aut ob longitudinem temporis, au flammæ viciniam, aut vehementem, atque immoder tum squalorem. Cùmque hæc qualitas senibus, annc rum multitudinis ratione comparetur, tabidis tamen febrili caliditate, 5. de sanitat. tuend. cap. 9. & 1. d differ. febr. cap. 8. fitque ex defectu nutrimenti, ub quis vel ex electione famem tolerat, vel præ ciborur inopiâ, fame conficitur, lib. de marcore, capit. 1. vid *Marasmus*.

Excavatio, vide *Lordosis*.

Excidentiæ, apud Hippocratem nunc sine adjection luxatione ossium à propriâ sede significant, 1. de fra ctur. 1. nunc articulorum tantùm luxationes, com. 3 de iis, quæ in med 31. vide *Luxationes*.

Excrementum id omne dicitur, quòd in alendo cor pore, nec confici, nec assimilari potuit: Cùmque cor pori non adnascatur, nec adcrescat, propterea pe ipsius laxiora intùs spatia, supervacaneum errat; und nomen quoque rectè à majoribus ei rei περίψημα, i est, *pererrans*, est inditum, 1. de sanitat. tuend. cap. 3 vide *Attractrix*, & *Lotium*.

Excutationes, id est, ossium extra cutem ejectiones de ossibus enim extantibus est sermo, 4. de art. 34.

Exelcismus, est ossis, vel ossium deductio à superfici in profundum, lib. finit.

Exercitatio acuta, cujus celeres motus sunt, est, qua corpus extenuat, & consumit; *contraria*, crassum red dit; *multa*, corpus siccat; *mediocris*, obesum præstat 5. de sanit. tuend. 3.

Exipa

Exipotica, digerentia sunt medicamenta, 7. de compos. medic. per gener. 9. ἐξιπωτικὰ φάρμακα eadem sunt quæ & ἐπισπαστικά.

Ex morbo senium, vide *Ex ægritudine senectus*.

Exomphalos dicitur, cui umbilicus foras prominet, quod malum, alii *rupturam* vocant, alii *egressionem umbilici*, quod accidit, vel Peritonæo rupto, aut procidente Omento, aut Intestino, vel humore ibidem collecto, vel carne subnatâ, vel sanguine in locâ hæc irrumpente, per *Diapedesim*, vel *Aneurisma*, vel solo aliquando spiritu irruente; vide *Bubonocele*. Ipsum autem malum ἐξόμφαλος πάθος appellatur. Si Omentum procidit, circa umbilicum tumor concolor, mollis tactu indolens, & inæqualis apparet. Si Intestinum, præter hæc tumor magis inæqualis est, digitis cedens & evanescens aliquando cum strepitu, balneisque & distentionibus magis increscit. Humorem denotat mollis tumor, qui compressu non cedit, nec decrescit, neque tamen augetur. Si præter superiora signa lividior tumor est & durior, adnatæ illic carnis signum est. Introductorii author tres tantum causas videtur novisse, scribens omnes ἐξομφάλους tribus differentiis comprehendi; alios appellans πνευματομφάλους; alios, ἐντερομφάλους; alios, ὑδρομφάλους. Non est autem malum hoc peritonæi solius, sed oportet omnino transversorum quoque musculorum epigastrii nerveas appendices affectas esse.

Exostosis, ἐξόστωσις, ossis eminentia & extuberatio, quâcunque corporis parte præter naturam contigerit; peculiari tamen nomine ossium tubera, quæ in genis contingunt, κάλυσμοι appellantur. Non dubium est hujus tumoris, qui præter naturam est, materiam crassam esse & melancholicam. Sunt autem hujusmodi tumores Gallico morbo laborantibus frequentes.

Expansa, ἐκπεπταμένα, vide *Abscedentia*.

Experientia, est ejus, quòd sæpiùs & eodem modo visum

visum est, observatio, atque memoria, ad Trasibu
cap. 11.

Exspiratio, est motus, quo spiritus per respiratione
ad interiora la us, ad exteriora cum suliginosis excr
mentis propellitur, 4. aphor. 68 quâ in cordis con
pressionibus, id, quòd fuliginosum est in eo, ac fum
dum, per læves arterias, extrà funditur, 7. de u
part. 9. vide *Inspiratio*.

Exspiratus, species quædam est respirationis ex co
vulsione proveniens, quæ musculorum, qui exspir
tum efficiunt, convulsionem sequitur, quam appeli
Hipp. *spiritum inter exeundum offendentem*, 2. de lymp
caus. cap. 2. & 4. aphor. 68.

Expultrix facultas, vide *Attractrix*.

Exquisita tertiana, vide *Tertiana simpliciter*.

Exsuccatio, id est, *sugillatio*, 2. de fract. & 14. vi
Contusio.

Exsudare, est circa frontem, & claviculas parùm s
dare, com. 2. in 1. de morb. vulg. 75.

Exsufflatio, est multi spiritus extra animal ex thor
ce per guttur affatim facta emissio, agentibus ad id i
tercostalibus musculis, contractoque Thorace, 1.
loc. affect. 6. quæ duplex est: altera, citra sonitum
strepitum, cùm ex utrisque Thoracis partibus nil
omninò exspirat animal; altera, cùm unâ tantùm th
racis parte respirat animal, ita ut semispirans, vel sem
vocale reddatur, diciturque *exsufflatio strepens*, vel *cu
sonitu*, 4. de loc. affect. 6. *illa*, hiantibus, *hæc*, co
strictis fit faucibus.

Extasis, id est, *mentis amotio*, insania est, quæ bre
finitur, lib. finit. ἔκστασις & ἐκπληξις dicuntur, apud Hi
pocrat. de vehementi motione & aberratione menti
eâdem prorsus significatione quâ μανίαν & ἐκμανῆ
usurpat, ut annotat Galenus comm. 3. in libr. 3. Ep
dem. Fit à flavâ bile ustâ per cerebrum diffusâ; vi
Ecstasis.

Exu

Extenſum inteſtinum, vide *Rectum*.

Extergentia, vide *Rhyptica*.

Externa cauſa, vide *Procatarctica*.

Extuberatio, eſt vertebræ alicujus ab interiori, ad exteriorem regionem facta luxatio, 9. de placit. 4.

Exuſtio, quæ & *Deuſtio* dicitur, ſive ipſa Solis operatio, talem ſortiatur appellationem, aut qui ab eâdem fit in corpore affectus, ſive ille jam effectus ſit, ſive adhuc fiat: ubi ſæpiùs adeſt calor quidam præternaturalis, nondum tamen febris, niſi cor quoque ſimul ſit ultrà modum calefactum, 1. de diff. febr. cap. 2. 3.

F.

FACIES. Græcè πρόσωπον, eſt quidquid à priore capitis parte, ſub totâ fronte, auribus, oculis, naſo, & ore ad mentum uſque, à ſuperciliis incipiens, circumſcribitur, libr. Introd. cap. 10. De homine tantùm dicitur πρόσωπον, quòd cum unus animantium erectus ſit, ſolus antrorſum proſpectet, vocemque antè verſus emittat. In brutis autem ὄψις appellatur; in avibus ῥάμφος.

Facies Hippocratica, quam mortiferam vocant, eſt, cujus naſus acutus, cavi oculi, adſtricta tempora, aures frigidæ, & contractæ, & fibræ earum verſæ, cutis circa frontem dura, intenta, arida, color totius vultus viridis, aut niger eſt, 1. prognoſt. 7.

Fœtus, (quo tempore in utero ſemen feminis ſpeciem refert, ut in abortu & diſſectione viſum eſt) ab Hippocrate appellatur, ubi ſemen in uterum injectum, ſanguine repletum fuerit, & Cor, Cerebrum, & Jecur, indiſtinctam quidem, & informem, quandam tamen coagulationem, & magnitudinem præ ſe tulerint, & carnea fœtus ſubſtantia, & non ampliùs ſeminalis apparet; tunc non *Genitura*, ut priùs, ſed *Fœtus*, ab Hippocrate appellatur talis forma, 1. de ſem. cap. 9.

Fames, vide *Sensus indigentiæ.*

Fatuitas, (quæ & μώρωσις, *Stultitia*, & *Soliditas* dicitur) symptoma est citra delirium, ægros naturalibus fatuis similes reddens, quales etiam ex iis, qui consenescunt, nonnullos fieri novimus, cui pathemati simile quidem est, quanquam non idem, quòd vocant ἄνοιαν, id est, *ignorantiam*, de quâ Thucydides scripsit, in his, qui ex peste servati sunt, hoc pacto ignoraverunt, tùm seipsos, tùm familiares, com. 2. in 1. prorrhet. 60. deficiens est, seu infirma motio facultatis ratiocinatricis. Ad eam quidem facultatem propriè pertinet fatuitas, non tamen reliquæ principis facultatis actiones integræ sunt, sed pariter imperfectæ: nam & parum aptè imaginantur, nec probè meminisse solent fatui, quippe qui cerebrum non habere vulgò dicantur. Quæ eam inducunt in prorrhet. sect. 2. dicuntur μωραινόμενα, hoc est, πρὸ μώρωσιν ἐμποιοῦντα τῇ διανοίᾳ, sicut Galenus explicat. Ejusmodi sunt vel minus idonea, decensque cerebri conformatio, vel frigida intemperies, aut frigidus aliquis & pituitosus humor in cerebro collectus, vel medicamenta, quæ foris imposita, caput modicè refrigerant. Neque enim μωρώσεως causa tam magna ac vehemens est, quàm τῆς ἀνοίας, quæ ejusdem facultatis abolitionem privationemque significat: Eo enim discrimine ἄνοια & μώρωσις distinguuntur. Jam verò differt ἡ ἄνοια ἀπὸ τῆς παραφροσύνης, quòd ut scribit Galen. illa quidem abolitio sit, hæc verò functionis ratiocinatricis aut imaginatricis etiam depravatio, quodque ut ait Aëtius, stultitia consentanea dicit & facit: delirium autem, quòd & λῆρος & παραφροσύνη vocatur, non servatâ rerum consequentiâ, alium alii sermonem implicet, qui nihil ad rem faciat, & delirium quidem ut plurimum senibus, μώρωσις autem & pueris & adolescentibus & reliquis ætatibus à morbo accidat.

Fauces, sunt internus oris locus, ubi simul conveniunt, & gulæ, & gutturis partes extremæ, 4. de loc. aff.

aff. cap. 3. quas Fauces *Pharynga* vocant, id est, præjacentem gulæ, & gutturis sedem, quâ apertâ videmus evidentem amplitudinem, in quâ gemina ostiola visuntur, tum gulæ, tum etiam gutturis, 3. progn. 16. vide *Isthmus* & *Pharynx*.

Favus, qui & Κηρίον, & μελικηρὶς dicitur, vide *Achores*, & *Cerion*.

Febrire existimamus, non eum modò qui in cute corporis exteriori igneam habet caliditatem, verùm eum cumprimis, qui eam, in corporis imo, & visceribus continet, com. 1. in 1. prorrhet. 7.

Febris, secundùm communem omnium hominum consensum, est caliditas præter naturam, maximè quidem in totum animal effusa: sin minus, at omninò vel in plurimis partibus, vel in nobilissimis accensa, com. 1. in 6. de morb. vulg. 29. cùm is calor adeò auctus est, ut & hominem offendat, & actionem cordis lædat, 8. method. cap. 1. sive idem calor ipsum cordis corpus occupaverit, sive eos, qui in ejus ventriculis continentur humores, 1. de diff. febr. cap. 1. & 3. de cur. per sang. cap. 5. *Febrem* autem dicit Hippocrates à fervore, & igne dictam; uti nomen πυρετὸς dicitur ἀπὸ τοῦ πυρὸς, id est, ab igne, siquidem Febris essentia calorem igneum habeat; 3. de fract. 8. de caus. morb. cap. 2. Genere quidem intemperies est, habetque substantiam in calore præter naturam positam; non modò intensione, sed genere etiam diverso à calore nativo: Solâ quidem intensione in hecticis & diariis videtur differre, sed in putridis toto genere. Hic in corde primùm concipitur, tanquam in primo febrium subjecto, indeque per arterias in corpus universum facilè spargitur. Neque enim cor solum febris subjectum est, sed reliqui pariter corporis spiritus, vel humores, vel solidæ partes. Sunt autem febrium multiplices differentiæ, quas omnes Hippocrates, ut ait Galenus, breviter complexus est, libr. 6. τῶν ἐπιδ. his verbis: *Febrium hæ quidem*

dem manu sunt mordaces, hæ verò mites: hæ autem non mordaces quidem, sed post insurgentes: aliæ verò acutæ, sed quæ manu succumbunt, aliæ sunt statim exardentes, quædam semper pusillæ, siccæ, quædam salsuginosæ, quædam flatibus plenæ, aspectui graves, nonnullæ ad tactum humectæ, nonnullæ vehementer rubidæ, aliquæ vehementer pallidæ, aliæ lividæ; & alia ejusmodi, His enim verbis præcipuas febrium differentias comprehendit.

Febris ab apostemate (quam *febrem phlegmonoden* vocat, 14. meth. cap. 9.) est, cùm aliqui, vel ob inflammationem obortam, abscessum, dolorem, vel erysipelas, lateris, pulmonis, vel alterius partis febricitant; licèt Veteres eos non simpliciter febricitare, sed vel pleuriticos, peripneumonicos, lienosos, simpliciter dicerent, 4. aphor. 73. Eadem etiam *febris accidens* dicitur, si post sensibilem alicujus membri advenerit affectum, alioquin ægritudo, & passio censenda est, de diff. morb. cap. 5. & com. 1. de morb. vulg. 29.

Febris accidens, vide *Febris ab apostemate*.

Febris Acmastica, Anabatica, Epacmastima, Paracmastica, Homotona, Causon ardens, diûrens, continua; ἀκμαστικὸς καὶ ὁμοτόνους, ἀναβατικὸς καὶ ἐπακμαστικὸς, παρακμαστικὸς, καύσους καὶ συνεχεῖς, Græci vocant; vide *Continua febris*.

Febris Amphimerina, ἀμφιμερινὸς, vide *Amphimerina febris*.

Febris Cathemerina, vide *Cathemerina febris*.

Febris Colliquativa, Χωτηκὸς πυρετὸς, ex genere est febrium, quas *Marasmodes* vocant, hoc solo excepto, quòd quæ portio carnis in his colliquatur, ea semper vaporis vice digeritur, adeòque evaporat, in illis in ventrem defluit; in ardentissimis enim febribus, si carnes humidæ, ac molles cum adipis copiâ fuerint, eas sensu liquari deprehendas, unde posteà in *Marasmodes* febres transeunt, in quibus sicciores carnes reddantur, & corii ritu durantur, nec defluit in ventrem

ulla

ulla ex his sensibilis liquatio, 10. method. 11, Idque fit, cùm corporis humores tenues fuerint, & febris calor acris; nam evaporantur, qui ita extenuantur, per insensibilem evacuationem, 2. de rat. vict 47. Præcedit fere semper colliquans febris, deinde Marasmodes, exhaustis jam prorsus humoribus, consequitur.

Febrium confusio, vide *Complexio febrium*, συμπλοκὴ.

Febris Diaria vide *Diaria febris*.

Febris diurna, & *nocturna*, quam Græci *Cathemerinam*, & *Methemerinam* vocant, est Febris quotidiana, quæ nocte, vel die remittit quidem, sed non intermittit; quæ verò remittit, & ad infebricitationem venit, *Amphemerina* dicitur, com. 3. in 1. de morb. vulgar. 2. & 9. vide *Amphemerina*.

Febris Ephemera, vide *Ephemera febris*.

Febris facta & fiens, vide *Febris scheetica*.

Febris focus, est ea animalis particula, quæ prima, solidâ suâ in substantiâ immodicè fuerit calefacta, quòd in Ethicâ febre primùm est Cor, tùm Jecur, tùm Venter, tandem quæcunque aliæ in consensum Cor abripiunt; lib. de Marcore, cap. 7. *Focus febris* est particula, quam vel obstructio, vel putredo, vel phlegmone obsederit, 11. method. 20.

Febres Hecticas appellant, quæ solidas animalis partes occupant; sic dictæ, vel quoniam firmæ, ac solutu difficiles sunt, (quemadmodum habitus) aut quoniam ipsum corporis habitum, comprehendunt, 1. de diff. febr. cap. 7.

Febris Hectica exquisitè, est, quæ nullum particularis accessionis, aut principium, aut incrementum; aut vigorem, aut denique remissionem habet; à solo autem cibo assumpto, *Hecticæ febres* effervescunt, quo incremento ablato, aliàs ex toto æquales semper perseverant, libr. de marcore, capit. 8. Ἑκτικὴ, geminam habet significationem. Una quidem dicitur, omnis febris solutu difficilis, sive sit pituitosa; sive melancho-

lica. Oppoſita eſt τῇ χετικῇ, hoc eſt, febri ſolutu facili. Ut enim χέτις qualitas eſt à ſubjecto facilè mobilis; ἕξις verò ægrè mobilis: ſic χετικὴ & ἑκτικὴ invicem opponuntur, ut ſcribit Galenus, lib. 8. method. med. Alterâ verò ſignificatione ſpeciatim magis dicitur, quæ & putridæ & diariæ oppoſita ſit. Retinet tamen eandem nominis rationem: ſicut enim ἕξις ægrè ſeparatur à ſubjecto, ſic Hectica curatu difficillima eſt: vel ἑκτικὴ dicitur, quòd in habitu corporis, ut ſuprà dictum, quem ἕξιν appellant, tanquam in ſubjecto conſiſtat.

Febris Helodes, quæ & *Typhodes*, & *Humida* dicitur, eſt, cùm à primâ ſtatim die ægrotantes ſudant, ſudoreque ipſo, aut parùm, aut nihil levantur: E contrà, ſicca, in quâ ſitis urget vehemens, ac ſcabra viſitur lingua, duraque tanquam Corium cutis, plurimuſque adeſt in corpore ſqualor; adverſus Lycum, cap. 2.

Febris Hemitritæus, vide *Febris ſemitertiana*.

Febris Hepiala, ἡπιαλὸς, ex genere eſt quotidianæ, quando ſimul ægri rigent, & æſtuant, atque eodem tempore in toto corpore utrumque ſentiunt affectum, 2. de differ. febr. cap. 6. quæ & *Epialus* appellatur, lib. de inæqu. intemp. cap. 8. De genere autem quotidianarum eſſe, non poteſt eſſe obſcurum, quod à pituitâ vitreâ & acidâ oriatur, Nam ubi ea moderatè, aut potiùs dimidio ſui putret, febrim excitat *Epialam*. Febris quidem oritur à portione vitreæ pituitæ incensâ & putrente; frigus verò à reliquâ ejus parte non putrente nec incensâ, ſed frigidâ manente. Siquidem non putris pituitæ pars per omnes venas vel univerſum corpus diſperſa, rigorem concitat: quæ vero jam putruit febrem accendit, non aliter quàm ſi pituita vitrea, & bilis flava ſimul abundaret, & per partes ſentientes moverentur. Frigoris ergo caloriſque ſenſus in *Epialâ febre*, eodem tempore, eâdemque parte contingit, eòque à lipyriis & reliquis febribus differt, in

quibus

quibus vel interna uruntur, cùm extima frigeant, vel ardor summus in viſceribus eſt, cùm extremæ partes algeant. Nam quòd in his majoribus portionibus accidit, hoc in Epialis contingit exiguis portionibus, eoque univerſum corpus pariter ambo perſentiſcit. Quidam ajunt ſic vocatam hanc febrem, ἀπὸ τῆς ἠπίου τῆς ἁλὸς, quòd mare in ſummâ etiam tranquillitate perpetuò agitetur, vel ἀπὸ τοῦ ἠπίως ἁλίσκειν. quòd molliter & moderatè incaleſcat.

Febris homotona, vide *Continua*.

Febris horrida eſt, in quâ magna acceſſionis pars horrore conſumitur, 2. de differ. febr. cap. 8.

Febris humida, vide *Helodes*.

Febris hyemalis, ea eſt apud aliquos, quæ hyeme fit; apud alios ea, quæ hyemis tempori eſt peculiaris, 4. rat. vict. 61.

Febres lividæ, à colore cognomen adeptæ ſunt; ægri enim cutis tota livida & labia, qualia exeſis moris eſſe ſolent, & oculorum album liveſcit; quæ ſanguineum ſuccum deficere nunciant, & cum ipſo itidem ingenitum calidum ſummè exhauſtum, atque idcircò mortiferæ ſunt, ex quibus nonnullæ ſyncopas etiam efficiunt, com. 1. in 6. de morb. vulg. 29.

Febris lipyria λιπυρία, eſt, in quâ intus in ipſis viſceribus, calor ſentitur urens, adeò ut neque valdè ſubtilium veſtimentorum, neque linteolorum velamenta, neque aliud quidquam præter nuditatem ferre poſſint; in externis autem partibus, frigus adeſt, libr. de inæquali intemp, cap. 8.

Febrem magnam, aut *parvam*, conſueverunt Medici appellare, non propriè quidem rei quali, nomen quanti accommodantes; hoc tamen facere aſſueti, non in febribus tantùm, ſed in mille aliis rebus, quæ licet in qualitate ſubſiſtant, *magnæ* tamen, ac *parvæ* dicuntur, 1. de differ. febr. cap. 1.

Febris maraſmodes, ſive *Febris marcida*, eſt, in quâ

omnes corporis partes æqualiter marceſcunt, libr. de marcor. cap. 5. dide *Maraſmus.*

Febris marcida, apud Philippum idem eſt, ac *Ex morbo ſenium*, quanquam eam Galenus non vult febrem dici, cùm in eâ frigidius, quàm natura poſtulat, cor ſit factum, oſtendunt id, pulſus parvus, & rarus redditus, reſpiratio parva, tarda, ac per longa intervalla, quæ & ipſa cordis, & partium ad cor pertinentium frigiditatem indicat, lib. de marcore, cap. 5. *Senium* igitur *ex morbo*, quoniam in illo frigiditas ſiccitati adjuncta eſt, febris non eſt; ſed is tantùm febris dici poteſt marcor, qui & Torridus dicitur, & Marcor ſyncopticus; his enim ambobus eſt pulſus frequens, & parvus, ægrique, dum oſcitant, ſpiritum efflant calidum, ut jure ipſum ardori, & æſtui aſſimilare poſſis, qui marcor torridus, ex caliditate, ardentiſſimiſque febribus, præſertim in ſicciori corporis habitu, fit; frigidus autem marcor, ſenilis, fit ex permutatione febrium, quæ tùm per aquæ frigidæ potionem, tùm per ea auxilia, quæ refrigerandi gratiâ Hypochondriis, ac Thoraci imponi ſolent, fuerint ſecùs, ac oportet refrigeratæ, lib. de marcore, cap. 5. vide *Ex ægritudine ſenectus.*

Febris Methemerina, μεθημερινὸς πυρετὸς, vide *Febris diurna.*

Febris mitis eſt, quæ medici manum nòn mordicat, neque exurit, aut ferit admodum, ſed vaporem adeò minimè mordacem exhalat, hujuſmodi eſt *Diaria febris*; *mitis* autem dicitur non ſimpliciter quidem, ſed per comparationem cum febribus ardentibus; ſi quidem febrilis omnis calor, ſit igneus, acer, & mordax, ſed hic magis, ille minùs; vide *Febris ſimplex.*

Febris modos, nonnunquam *mores* vocant, nonnunquam *differentias*, vel *eſſentias*; cùm E. G. dicimus, febrim boni vel mali moris, eſſe benignam, vel malignam, 1. de morb. vulg. 10.

Febris Pemphigodes, πεμφιγώδης, eſt, quæ per caloris inten-

intensionem, pustulas in ore, quæ Græcis φλυκτίδες dicuntur, generat, libr. finit. Insuper *Pemphigodes febres*, per spirituum effluvium evanescentes interpretantur: sentimus enim plerumque per febricitantium cutes, aërium quendam halitum effluentem. Dicitur quoque *Pemphigodes*, flatulenta febris, vel flatuosa; sed hanc plerique vario modo interpretati sunt. Quidam *Diariam febrem* intelligunt, natam ex spiritibus accensis, quæ & πυρετωδης; alii, *febrem madentem*, & *humidam*, ab effluvio quodam vaporoso, per cutem erumpente; alii, *eam febrem* sic vocant, quòd veluti exilientium, & manui occurrentium scintillarum opinionem præbet; vel ita appellatu *pestilens*, ἡ μετὰ πομφίγων, id est, quæ cum pustulis efflorescit. Quanquam possit etiam per *Pemphigodem febrim* intelligi *synochus non putris*, quam ob id *inflativam* vulgus Medicorum vocat, quòd sanguinis calore febrili ferventis copiâ, venæ omnes plurimùm sint inflatæ, & sanguine flatuoso, & bulliente, plenæ. Verùm Galenus in eam sententiam inclinat, ut *Diaria*, intelligatur, quæ in spiritibus accensis, & raretenter putrentibus subsistit, com. 1. in 6. de morb. vulg. 29.

Febris pestilens est, quæ à calidiori ambientis aëris constitutione (qualis maximè circa Canis ortum contingit,) vel à putrescibili vaporatione manifestè cor calefaciente, excitatur. In febribus omnibus simul cor affici, est necessarium, & cùm supra modum incaluerit, ipsum primùm atque potissimùm febrilem calorem suscipere, atque ad universum corpus transmittere, 1. de diff. febr. cap. 4. vide *Endemus*.

Febres putridæ sunt, quæ ex humorum putredine accenduntur, cum rigore, extremorum frigore, vel horrore incipientes, inæqualitatem pulsuum habent & calorem, sive in principio, sive in augmento acrem, & mordacem: Systole est velocior ipsâ diastole, urinæ crudæ, ejusdem febris declinationem integra non

ſubſequitur quies, 1. de diff. febr. cap. 7. Generantur autem à præcedentibus cauſis, non à præincipientibus, quæcunque enim in ipſo animali ſunt, vel diſpoſitiones vel motus præter naturam, *ægritudinem præcedentes cauſas* nominant; quæ verò extrinſecùs adveniunt, & alterant corpus, atque tranſmutant naturam vehementer, *præincipientes* appellant, de cauſ. morb. cap. 2.

Febris putrida intermittens, eſt, quæcunque ad ſenſibilem infebricitationem pervenit, ortum habens ab humore putrido, qui per omnes corporis partes expultrice vi defertur, 2. de diff. febr. cap. 1. cujus tres ſunt omnino differentiæ, *quotidiana*, *tertiana*, *quartana*; *quotidiana*, quæ ex pituitâ putredine eſt; ex utriuſque verò bilis flavæ quidem, *tertiana*; nigræ autem, *quartana*, 2. de differ. febr. cap. 2.

Febris quartana, vide *Febris putrida*.

Febris quintana, *ſextana*, *ſeptimana*, eſt, cùm ægri non prorſus ab affectione morboſa ſunt liberati, ſed ſemen aliquod retinuerunt; his uſu venit ad victum convenientem negligentioribus, ſæpè ſexto die à principio febricitare, ſæpè ſeptimo, non raro octavo, vel alio; & cum febris ſtata periodus ceſſaverit, putantibus, ſe prorſus eſſe liberatos ægris, eodemque omnino victu utentibus, ex ſemine morbi reliquo, totidem diebus affectio febrilis prima redit. Non igitur ex vi morbi hic circuitus datur, ſed ex reſiduo affectionis, & inordinato infirmorum victu, comm. 2. in 1. de morb. vulg. 7. De *quintanâ* quidem Hippoc. ſcripſit, lib. 1. de morb. vulg. 7. Negat tamen Gale. viſam à ſe, niſi obſcuram valdè & difficilem. Hippocratis verba de eâ habentur: *Quintana peſſima eſt omnium; etenim & ante tabem, & jam tabidis ſuperveniens, perimit.*

Febris quotidiana, vide *Febris putrida intermittens*.

Febris remiſſio, ſive *Infebricitatio*, totum illud tempus eſt, quòd acceſſionem ſequitur; quod tempus alii

inter-

intervallum, alii, *declinationem*, *ſubmiſſionem*, vel *ablationem* nominant, de morb. temp. cap. 6.

Febris reverſiva eſt, non acuta, ſed diuturna, imperfectas habent ſolutiones, quæ poſteà rurſum exoriuntur.

Febris ſanguinis, eſt *Febris ſimplex*, *Synochus non putris* dicta, in quâ ſanguis ſecundùm naturam ſe habens, accenditer quidem, ſed non putreſcens generat febrem ſimilem Ephemeris, & quæ ex inflammationibus inguinum accidit: nam & inguinis inflammatio, ex bono ſanguine, ſed accenſo, fit, 2. de criſ. 12. Putreſcit quidem interdum ſanguis, ſed ex eo ſimpliciores fiunt febres, quàm ex aliis humoribus; ſimilem verò acceſſionum proportionem aſſumunt, qualem tertianæ febres oſtendunt. Quòd ſi ſanguis ſupra modum aſſetur, pars ejus ſubtilior, ac pinguior, in flavam omnino convertitur bilem, quæ autem craſſior, in atram; ut in carbunculis contingit, in quibus ſanguine ſupra modum efferveſcente, ad melancholicum humorem fit tranſmutatio, 2. de diff. febr. cap. 9. Præſentem itaque febrem videtur reponere in ordinem febrium Synocharum, non putridarum, quo etiam numerat febres diarias, 9, method. 2.

Febris ſchetica, quæ facilè diſcutitur, oppoſita eſt *Febris hecticæ*, quæ difficulter ſolvitur; ut enim illa fit, ita hæc facta eſt, 8. method. 1.

Febris ſemitertiana, ſive *Hemitritæus*, ἡμιτριταῖος, eſt, quæ ex quotidianâ, continuâ, & tertianâ intermittente, complicatis confunditur, 2. de differ. febr. cap. 7. Fit ex pituitâ & flavâ bile ſibi proportione reſpondentibus, & æquipotentibus, ibid. cap. 8.

Febris ſignificatio, quæ Græcè ἐπισημασία dicitur, eſt primus inſultus, acceſſionis tempus indiviſibile, exactè jam primùm, libr. de morb. temper. capit. 6. in quo ægri ſolent horrere, refrigerari, oſcitare, pandiculari, dormitare, aut alia quædam his ſimilia pati,

quæ

quæ & *Annotatio* dicitur, 2. aphor. 1. vide *Insultus*.

Febris simplex dicitur, quæ à primo statim die, etsi acuta est, non tamen suprèmè, sed simplicissima, & cum tutissimis signis invadit, quam Hippocrat. Ἥμερον, id est, *mitem*, nominat, seu *bonimorum*, 1. de crisi. c. 16.

Febris singultuosa est, in quâ ægri singultiendo, rodentem, acerrimumque humorem vomunt, à quo singultu non liberantur, nisi febris in totum soluta sit, vel propè, 4. acut. 69.

Febres spirituosas quidam nominant (quas *Pemphigodes* aliter appellant) ob difficilem anhelitum, in quibus siquidem magnus creberque spiritus redditur, com. 1. in 6. de morb. vulg. 29.

Febris syncopalis, συγκοπικὸς πυρετὸς, est, ubi propter maximam crudorum succorum copiam, unà cum oris ventriculi offensione, præcordia inflantur, totum corpus ampliore mole, quàm pro naturæ modo, cernitur, tùm color ad albidius, vel lividius, vel nigrius, seu plumbei coloris tendit, pulsus minores, obscuri, & inæquales, & syncope etiam solet apprehendere ægros stomachica, 12. meth. 3. Est & aliud syncopalis febris genus, quòd non ex crassorum, & crudorum succorum copiâ fit, sed ex tenuibus succis, qui ocissimè exhalant, in quâ ægri syncope similiter opprimuntur, 12. meth. 6. Priorem vocat Avicenna *syncopalem humorosam*; posteriorem, *syncopalem minutam*.

Febrem Synochon Græci Medici eam appellant, in quâ una similisque ferè accessio ab initio ad finem perpetuò manet: cùm enim accessionis remissio ex terventium humorum transpiratione contingere soleat; non transpirant autem in vehementi stipatione, qualis est in *Synocho*; necesse est igitur multorum dierum febrilem fieri accessionem, 9. meth. 2. Vel ea est *febris synochus*, quæ omni magnâ mutatione usque ad judicationem caret, hæc Latinis *continens* dici potest. Cæterùm, etsi una sit idea hujusmodi febrium, à quâ Synochos

nochos eas nominant: natura tamen earundem minimè simplex, unaque est; quædam namque earum manifestam habent putredinis notam, quædam verò prorsus non habent: quæ ex diariarum febrium genere sunt, illas vocamus *synochos putridas*, has, *synochos non putridas*; Barbari hanc vocant *synocham*, illam, *synochum*; Gal. 9. meth. & 2. de diff. feb indiscriminatim, utrâque voce utitur, & *synochi* & *synochæ*, utrasque sub *synochi* nomine comprehendens. Atqui *synochus febris*, & *synoches*. Græcè σύνοχος, συνοχὴς, hoc est, *Continens*, & *Continua*, differunt, quòd in *synocho* nulla sit fervoris remissio, in *synochi* autem singulis, accessiones in remissionem sensibilem terminentur; neutra tamen ad infebricitationem pervenit, 2. de crisi. 6. vide *Synocha*.

Febris tabida, vide *Marasmus*.

Febris tertiana exquisita, est ea, quæ tertio quoque die accessionem faciens, intermittit, cum brevi accessionis tempore, cum frigore invadens, sudore, bilis vomitu, & biliosis excrementis terminatur in infebricitationem à bile putrescente fit, cui si aliquid horum deficit, non exquisitè, sed *simpliciter tertiana* dicitur; quòd si intermissio sit minor, & accessio longior, dicitur *tertiana extensa*, 2. de diff. febr. 8. & com. 2. in 6. de morb. vulg. 25. vide *Febris putrida intermittens*.

Febres Tritæophyes, τριταιοφυεὶς, hoc est, tertianarum naturam referentes sunt, quæ tertio die invalescunt, 2. de diff. febr. cap. 2. vide *Tritæophyes febres*.

Febris Typhodes, τυφώδης, vide *Febris Helodes*.

Fellis folliculus, est Vesica fellis, 5. de loc. affect. 7. vide *Cystis*, & *Choledocos*.

Femen, vide *interfemineum*, & *Perinæon*.

Femur, à Ferendo, quòd totius corporis reliquum ferat, & sustineat veluti onus, idem ferè quòd Crus, Os, magnitudine cunctis animantis ossibus præstat, suprà coxendici, infrà tibiæ ossi alligatur, cujus cervicis duo sunt exigui processus, quos *Trochanteres* vocant, quorum

quorum exteriorem, qui longè major est, *Gluton*, hoc est, *Natem*, appellant, libr. de ossib. cap. 21.

Ferina desipientia, vide *Desipientia ferina*.

Fermentatio, vide *Fervor*, & *Zymosis*.

Fervor, sive *Fermentatio*, affectus est, ab atrâ bile proveniens, ubi ampliùs incaluerit, aut propter putredinem aut febrem phlegmonodem, quàm nullum animal, ne ipsi quidem mures gustaverint: terra quoque raditur ab eâ, ac partes, quæ ab atrâ bile raduntur omnes in altum attolluntur, 14. method. cap. 9.

Fibræ, seu *Villi*, sunt tenues quædam, & subtiliores nervorum & ligamentorum propagines, aponeuroses & denervationes, quibus opitulantibus (perindè ut manus digitis) nervi & musculi actiones suas obeunt: 9. de usu part. 2. & 1. de placit. cap. 10.

Fibula, vide *Cneme*.

Ficatio, vide *Sycosis*.

Ficatum, id est, *Iecur*, sic dictum est, quòd omnium animalis partium compactissimum ad coquendum difficilè, tardèque permeet, propterea mactandi animalis jecur, multarum ficuum siccarum esu præparatur, ut evadat seipso melius, cùm animal ipsum caricas affatim comederit; quâ solâ ratione factum est, ut hanc appellationem sortiretur, 3. de alim. fac. cap. 12.

Ficosus tumor, est tumor in mento, natus ex crassiori humore, & serosiori tenuitate, quàm Varus, 5. de compos. medic. loc. cap. 4.

Ficus in oculo, est Tuberculum quoddam à crassiori humore oculi partibus affectis adhærescente, com. 3. in 3. de morb. vulgar. 48. Græcis, σύκα καὶ συκώσεις. eruptiones ulceroſæ sunt, rotundæ, subduræ, rubicundæ, quas dolor comitatur; fit hoc malum magnâ ex parte in capite, sed & reliquo etiam in corpore; fit etiam in ano, & *Marisca* dicitur: in palpebris adhuc fit & dicitur etiam σύκωσις, quòd scilicet ficus granorum referat similitudinem, unde *ficosam* appellant *palpebram*

Fistula

Fistula, Σύριγξ, est angustus, & longus sinus, libr. de tumor. capit. 5. per translationem dictus à Musicis instrumentis, quæ oblonga obtinent cava, & *Fistulæ* nominantur, 2. prognost. 64. Nascitur ut & sinus ex abscessu. Præcipua ejus substantia callus est, materia autem humor melancholicus, qui discussis & per halitum digestis tenuioribus humoribus remanet: Itaque in genere tumorum præter naturam continetur, quamvis ob manifestam continui solutionem, inter ulcera potiùs quàm inter tumores numeretur à præstantissimis etiam Medicis. Duæ ejus produntur differentiæ; cæca, quæ osculum in profundo, sinum ad superficiem habet; occulta, quæ & os & sinum obtinet in profunda

Fistula urinaria, quæ *Vrethra*, ἐυρήθρα dicitur Græcè, est meatus urinæ reddendæ accommodatus, qui in pene est, à cervice vesicæ ad extremam usque glandem porrectus. Hic in viris longus, angustus, & S. Romanæ literæ modo obliquus est: In mulieribus verò, brevis, latus, & rectus. Ex nervosâ tunicâ contexitur instar coriaceæ fistulæ, 4. aphor. 76.

Fistulosus, seu *flatuosus nervus*, vide *Cavernosum*.

Flatuosus morbus, vide *Hypochondriacus*.

Flatuosus spiritus, qui & *Flatus* dicitur, tumorem excitans flatuosum, crassus ac vaporosus est vapor, neutiquam tenuis; ille enim Aëri, qui Austrinis constitutionibus fit; hic verò, qui Aquilonaribus regnat, assimilatur: estque hic is, qui in nobis secundùm naturam est, spiritus, & proin conservandus, ille verò ceu crassus, extenuandus, ac corrigendus, 2. ad Glauc. 6.

Flava bilis, vide *Amara*.

Flexus variciformis, est plexus ille venarum, & arteriarum in testibus multipliciter flexarum, in cujus primis flexuum partibus sanguis sincerus continetur, qui certè in ultimis ejusdem flexûs vasis, ad ipsos testiculos non ampliùs ruber planè est, sed jam quodammodo albicat succus is, qui in ipsis continetur, exiguum

adhuc

adhuc requirens ad perfectam substantiæ seminis ge-
nerationem, quòd ei à testiculis ipsis accedit, 9. de usu
part. cap. 4. vide *Glandulosi assistentes*.

Fluctuatio cum sonitu, Græcè κλύδων, symptoma est
facultatis concoctricis, & retentricis, nec arctè satis
nec sufficienti tempore complectentis, eamque ob rem
insufficienter etiam concoquentis alimentum; unde
eò diutiùs in ventre gravitas ex alimento manet, quo
tardiùs concoquitur, præsertim cùm nihil in eo con-
tinetur, quòd verti in flatum possit, aut cùm ventricu-
lus vehementer fuerit perfrigeratus. Nam si quid in
eo hæsit, quòd possit in flatum converti, flatus non
κλύδωνας excitabit, nisi sit admodum refrigeratus. In
flatulentâ enim materiâ flatus fiunt à debili calore: à
nullo autem calore nullus flatus est: itaque rationa-
biliter ventris imbecilli symptoma creditur. Interim
enim cùm minimum ciborum assumpsimus, non fiunt
ejusmodi fluctuationes, complectente prorsus eos ven-
tre, ac undique constringente. Interim plenus cibo
venter est, sonitus tamen fluctuantis in eo humoris vel
uti ex vacuo exaudiuntur. Cùm enim pro suâ natu-
se habet, ac constrictoriâ vi ritè utitur, quamlibet exi-
guum sit quòd in se continet, totum id undique com-
plexus, nullum vacuum relinquit locum. Cùm imbe-
cillus est quâcunque parte complecti exactè assumpta
non valet, ibi laxum quoddam spatium efficiens per-
mittit ea quæ in se continet humida, pro figurarum va-
rietate ex alio loco in alium transire, ac fluctuationum
sonitus edere. Itaque qui hoc symptomate laborant
non possunt concoquere sufficienter, & eò diutius in
eorum ventre gravitas manet, quo tardiùs concoquunt.

Fluxio, quædam est inflammationum causa, nempe
quæ perinde ut inflammationes, non admodùm occul-
ta, tametsi quandoque nulla sensibili fluxione præce-
dente, membrum confestim patitur inflammationem.
Affectio, inflammationem, quæ generat, *Rheuma*, id
est

est, *Fluxio* vocatur: ipsa verò passio, *Dispositio rheumatica*, 2. ad Glaucon. 2. *Fluxio* adhuc simpliciter dicitur, pilorum defluvium, quòd tabescentibus magnâ ex parte, atque ex diuturno morbo convalescentibus, evenit; lib. finit.

Fluxiones ventris, vocat Hippocrates, cùm semper, & assiduè humida dejiciuntur excrementa, sine tenesmo, & lienteriâ, 1. de morb. vulg. 36.

Fluxus, est tenuium humorum delatio, quam cohibere nequeas, non ex nostrâ voluntate proveniens, lib. fin.

Fluxus hepaticus, est, in quo ob imbecillitatem hepatis, ab intemperie frigidâ inductam alvi sedimenta, aquæ, in quâ nuper mactata caro abluta est, redduntur simillima, 5. de loc. aff. 7.

Fluxus muliebris, est sanguinis albi sanioši ex utero profluvium, 9. simplic.

Focile majus, & *minus*, vide *Cubitum*.

Focus febris, vide *Febris focus*,

Fœtus, (quo tempore in utero semen, seminis speciem refert, ut in abortu, & dissectione visum est) ab Hippocrate vocatur, ubi semen in uterum injectum, sanguine repletum fuerit, & Cor, & Cerebrum, & Jecur, indistinctam quidem adhuc, & informem, quandam tamen coagulationem, & magnitudinem alicujus momenti præ se tulerint, carneaque appareat fœtus substantia, & non ampliùs seminalis; unde neque *genituram* ampliùs talem formam appellat Hippocrates, sed *fœtum*, 1. de sem. capit. 9.

Folliculus fellis, vide *Fellis folliculus*.

Fomenta, & *Fotus*, sunt, qui per spongias calidâ aquâ decoctionis alicujus simplicis imbutas, & expressas, alicui corporis parti fiunt, 2. de loc. aff. 1.

Foramen cœcum, id est, *Auditorius meatus*; vide *Auditorius meatus*, & *Cœcum foramen*. *Cœcum* verò dicitur, non quòd reverâ cœcum sit, sed ob flexuosam meatus auditorii obliquitatem, quæ causa est, cur funi-

culum, aut setam porcinam in hoc ipsum foramen immissam, transmittere non possis, 9. & 11. de usu part.

Foraminulenta ossa, vide *Cavernosa*.

Foratio, est idem quòd *Perforatio*, sive *Trepanatio*, quâ utimur in fracturis capitis, cùm usque ad Cerebri membranas, Calvariam dividimus, 6. de comp. med. per gen. cap. 2.

Formatrix virtus, est, quæ jacto in uterum semine, sive in terram, statis temporibus universas & singulas conflat partes ejus, quòd gignitur; quæ est optima, & summa ars, quæ omnia alicujus gratiâ molitur, sic ut nihil otiosum sit, aut supervacaneum, 1. de nat. fac. c. 6.

Formica, quæ & *Myrmecia*, & *Sessilis verruca* dicitur, 2. method. 2. vide *Myrmecia*.

Formicans pulsus, vide *Vermiculans*.

Formices, seu *Testudines*, quas Græci *Psalidas*, ψαλίδας vocant; est forma, & figura concava, figurarum omnium ad patiendum difficillima, quâ formâ multa ædificia configurantur, ad cujus similitudinem, pars Cerebri intrinseca quædam efformata, *Fornix* dicitur, 11. de usu part. cap. 15. vide *Camarion*.

Foveola, est cavum ulcus, sed parvum in nigro oculi, libr. finit.

Fractura, vide *Vnionis solutio*, & *Rhegma*.

Fractura caulatim, sive ad instar disruptorum caulium, & in medio perfracti raphani facta; vide *Abductio*.

Frictio (quæ τρίψις) *sicca*, est, cùm corpus universum solis manibus vel linteolo, nullo admisto humido aut pingui corpore, fricatur; cui opponitur *Frictio humida*, quæ fit per aquæ, & olei admistionem, ubi enim cum oleo aqua confunditur, haud facilè solubili mistione coït, ita ut quibus corporibus ita inungitur oleum, necesse sit, & plusculùm inhærere aquam: sola enim aqua, quæ foris circumfundi tur, facilè defluit, & quæ in poros ingressa corporis, nullam habens ansam,

prom-

promptè effluit, nisi oleum admisceatur, 3. simplic. capit. 25. Frictio duobus modis usurpatur: uno quidem pro omni motu, qui extrinsecus tam sanis quàm ægris adhibetur ad cutem, quovis tempore: altero verò vel pars est exercitationis, vel potiùs, ut ait Galenus, exercitationi subservit. Hanc Gymnastæ, ut ait Galen. duplicem fecerunt, προπαρασκευαστικὴν καὶ ἀνθηρεπτικὴν, hoc est, *præparatoriam & recuratoriam*. Tota frictio præparatoria, quæ corpus ad exercitationem præparat, ne quid in ipsâ vel rumpatur, vel obstruatur, huc spectat, ut corpus molliat; quòd tamen non omnes præstant frictiones. Nam cùm sex omnino sint frictionum differentiæ, mollis, dura, & inter eas media, multa, pauca, & in eo genere mediocris, dura ligandi, mollis solvendi, multa minuendi, mediocris carnem augendi vim habet, ut scripsit Hippocrates. Altera frictionis species, quæ & ipsa exercitationibus subservit, ἀνθηρεπτικὴ dicitur. Recentiores, Gymnastæ, ut ait Galenus, eam etiam ἀνθηρεπτικὴν vocaverunt, quòd totius Apotherapiæ præcipua portio sint frictiones, quæ post exercitationem adhibentur. Earum usus est, ut quæcunque excrementa per exercitationem calefacta extenuataque in corpore adhuc manent, foras evocentur, ipsæque partes solidæ per exercitationem tensæ & induratæ emolliantur, & lassitudo præterea tollatur. Id quòd fit, tùm frictionibus cuique corpori convenientibus, unà cum partium ipsarum quæ fricantur tensione, & spiritus cohibitione, tum pulsculo etiam oleo.

Frigus, ψῦξις, non eodem modo in sanis, & ægris sumitur: in ægrotantibus enim aliud est in rigere, aliud horrere, aliud algere; sæpè enim accessionis insultus cum rigore, alteri cum horrore, alteri cum solâ frigiditate suboritur. Quod si quis cum nullâ concussione, & agitatione corporis perfrigescit, nec corpus, nec omninò cutis inæqualiter, & præter voluntatem ei-

dem moveatur, *Perfrictio* dicitur, non hic tamen riget nisi motum concussionis inæqualem, & cutis, & totius corporis sentiat, isque *Rigor*, ῥῖγος, dicitur; si autem cutem quidem perturbet, & per quosdam insultus quatiat, corpus autem totum non commoveat, *Horror* & *Horripilatio*, Græcè φρίκη nominatur, & proin *Horror* affectus solius cutis talis existit, qualis totius corporis passio existit *Rigor*, libr. de trem. & palp. c. 6.

Frons, Μέτωπον, est pars faciei supra oculos sita, & ad tempora usque protensa, substantiâ musculosâ, & osse subjecto (quòd *Coronale* vocant) constans, superposita supercilijs, pilis nuda, inter utramque aurem sita, Introd. cap. 10.

Fugaces fructus, qui & *Horarii*, & *Horæi* dicuntur sunt, qui nascuntur eo tempore, quòd *Horam* vocant Est autem *Hora* Græcis id anni tempus, in cujus medio Caniculam exoriri contingit; Tempus autem id est dierum quadraginta, quo tempore *Horarii fructus* constant, nonnulli jam declinantes, alii incipientes, alii in suo vigore, aut ultra vigorem, aut citra consistentes. Vocant autem ipsos *Horarios*, non solùm quòd dicto fiant tempore, sed (ut mea fert opinio) ut ita ab his, qui ad reponendum sunt idonei, distinguantur quando & triticum, & hordeum, semina cerealia, & omnia æstivam quidem atque anniversariam habent generationem, sed non citò corrumpuntur; uti proprijssimè *Horarii* dicti *fructus*, ut Cucurbitæ, Mora Pepones, Melopepones, Persica, & alia id genus quæ si quis in hyemem servare volens, exsiccata reposuerit; eo etiam modo veterem naturam, in contrarium imitabuntur; 2. de aliment. fac. cap. 2.

Fuliginosus vapor est, qui ex deustione assatorum elevatur, libr. de usu puls. 7.

Fuligo, vide *Fumus*.

Fumus & *Fuligo*, vapores sunt, qui elevantur, illi quidem ex materijs semiustis, hic verò ex immodice

assis

assis, ustisque. Est namque fuligo, vapor terrestris, fumus, mistio quædam ex terrestri, aqueâque substantiâ, 8. meth. 5. utramque materiæ, ex quâ oritur, adustum excrementum, quòd in sublime fertur, significat, non secus ac in febribus fuliginosum excrementum, exspiratione, & contractione arteriarum, natura ex corpore expellit, 3. de præsag. ex puls. cap. 7.

Fulva, vide *Dichroma*.

Funù brachii vena, est pars venæ humeralis, quæ protenditur, secundùm diversas adjutorii, id est, ossis humeri partes, libr. de anatom. viv. & de ratione cur. per sang. cap, 16.

Fungos, vocant crassas palpebrarum eminentias, item ex capitis vulneribus quæ nascuntur, πλασήματα σαρκώδη. Galenus com. 3. in 3. de morb. vulg. 94.

Furcula superior, & *inferior*, vide *Claves*.

Furfuratio, quæ & *furfur*, & πτύρος, est, cùm quibusdam se scalpentibus furfuribus similia, ex capitis cute decidunt, à vitiatis succis nutritiis provenientia, 1. de comp. med. loc. 6. quæ & *Pityriasis* dicitur, & *Porrigo*. Hæ quasi squamulæ interdum madent, multò sæpiùs siccæ sunt: idque evenit modò sine ulcere, modò ex ulcerato loco, huic quoque modò malo odore, modò nullo accedente. Id malum ferè in capillo fit, rariùs in barba, aliquando etiam in supercilio, vel reliquo etiam corpore. Provenit à vitioso corporis humore, salsâve pituitâ, aut bilioso & melancholico sanguine caput subeunte, ut ait Paulus, vel à vitiosis sebosis humoribus, ut Galenus & Aëtius scripserunt. Nomen morbo inditum à similitudine;

Cùm caput immensâ pexum porrigine ningit,
Copia farrù uti frendentibus edita saxù.

ut Quintus Serenus Poëta cecinit.

Furor, vide *Melancholia*.

Furor ἐρωτικὸς amatorius, qui ex amore fit, perinde atque is, qui ex Musis θεομανὴς dicitur.

Furunculi, ἀνθρακες Græcis dicti, tumores sunt pra-
ter naturam, ex genere phlegmonum ex similibus h-
moribus quibus Vari geniti, per universum corpu-
duplices sunt, aliqui, ut ita dixerim, varosi, duri, ·
ægrè concoctiles: aliqui inflammatorii, adnexas h-
bent febres, ubi tumor in magnitudinem excrescit, ·
in pus transmutatur, 5. de compos. medic. loc. cap. 2
Estque furunculus *mitis* quidem, cùm in ipsâ solâ cu-
te constituitur; *malignus* verò, cum altè exoritur
Phymati, id est, Tuberculo similis, à quo sola durit-
differt, lib. de tumor. cap. 15.

Fusaneus morbus est, qui omni loco & tempore fi-
libr. finit.

G.

GALIANCONES, γαλιάγκωνες dicuntur ab Hip-
pocrate, ut scribit Galenus, qui ob humeri capu-
in alam prolapsum dum adhuc crescebant, humerum
breviorem habent. Hujus autem rei ille duplicem as-
signat causam, vel quòd dum in utero sunt, humer-
luxentur, vel quòd post ortum tenerâ adhuc ætate jux-
ta humeri caput in intimis partibus altéque suppura-
tiones oriuntur, sive secentur, sive urantur, sive per s-
pus aperiatur, ut ab eo scriptum. Idem verò scribit si-
appellari eos qui parvum & gracile habent brachium
partes autem circa cubitum tumentiores in modum
mustelæ, quam γαλῆν appellant, à quâ deductum hoc
nomen esse videtur.

Ganglia, γαγγλία, quæ Avicenna & Paulus vocant
Glandulæ, Apostemata sunt glanduloſa, ſicut Avella-
na, & Nux accidunt super manus, talos, & frontem.
quæ si comprimantur, digitos effugiunt, & mox re-
deunt, & aliquando multiplicantur, sæpéque impositi-
tione, & forti alligatione laminæ plumbeæ curantur.
& discutiuntur, passiones has etiam *Contractiones* vocat
Galen.

Galen. 5. de compos. medic. per gener. cap. 7. Paulus libr. 4. capit. 14. Vocantur etiam & *Gangilia*, quasi concretiones, & contortiones quædam, ex lento & mucoso humore accrescente, & conglomerato, quòd proprium nervorum alimentum est, 2. de art. 56. His ferè notis deprehenditur: tumor est parvus, inæqualis, nullo præter naturam colore, doloriscque expers, nisi validè comprimatur: Verùm ne tum quidem vehemens, sed stupidus dolor movetur. Plerumque ex plagâ aut lassitudine, raro sponte provenit, nec in alto, sed sub cute radices agit, neque in orbem vel ad interiora posteriora que transferri potest, sicut Melicerides & Atheromata, sed si vim facias, ad latera tantum, hoc est, ad dextram vel sinistram pro nervi situ, moveri & flecti potest.

Gangræna, γάγγραινα, est alicujus membri mortificatio, ex magnitudine inflammationis, quæ jam fit, non quæ facta est, 2. ad Glauc. 9. Nam cùm omnino membrum effectum est demortuum, ita ut punctum, vel sectum, vel ustum non sentiat; quæ patitur, statim rescindere oportet, quâ sanam partem vicinam attingit, sed quòd ita affectum est, denigratur, quòd verò in medio est constitutum, ita ut tendat ad mortificationem, *Gangræna* nominatur; ibidem vide *Sydoratio*. Hippocrat. *Gangrænas* quoque emortuarum venarum torporem nominat, qui ex nimiâ inflammatione consequitur, 2. de fract. 24.

Gargareon, sive *Gargulio*, *Cion*, *Columna*, *Curgulio*, est ea gutturis pars, quæ Faucibus adjacet cùm secundùm naturam se habet; cùm autem morbo afficitur, ita ut ejus extremitas phlegmone laborans, sit similis Acino Uvæ, dicitur *Uva*; quando tota hæc pars afficitur, *Cion*, *Columna*; dicitur & ἰμὰς. Γαργαρεὼν, σταφυλὴ, Κιὼν, & Κιονὶς, 4. de loc. aff. c. 3. Id ipsum *Gargareon*, quia ad vocis modulationem fit, ideò à quibusdam *Plectrum*, πλῆκτρον, id est, vocis refractorium ap-

pellatur, 7. de uſu part. cap. 5. Hanc eandem partem *Columellam, Staphylen*, & *carnoſam particulam ſummo ori dependentem* vocant, 6. de com. loc. cap. 3. vide *Columella, Pharynx, Staphyle, Epiglottis*.

Gaſtrocnemion, eſt poſterior carnoſa tibiæ pars, ſeu tibiæ venter, ſiquidem extuberat, propter muſculorum eam tibiæ ſedem occupantium craſſitiem, (ut anterior tibiæ pars carnis expers, dicitur *Anticnemion*, ἀντικνήμιον.) Græcè Γαστροκνήμιον, ἡ Γαστροκνημία, *Sura* appellatur, lib. de muſc. diſſ. cap. 32. & 2. de anat. adm. cap. 4. Ea uni homini ineſſe dicitur, cùm reliqua omnia animalia crura habeant ſine Suris. vide *Sura*.

Gaſtroraphia, id eſt, *Abdominis ſutura*, 5. de anatom. adm. cap. 6. γαστρορραφία, ventris vulnerati connexio.

Gemelli, vide *Nates Cerebri*.

Genæ, faciei pars, ſunt, quæ inter naſum & aures ſitæ ſunt, quæ benè coloratis, & ingenuis, pudore ſuffuſis, rubent, quæ & *Malæ* dicuntur, Introd. c. 10. Γένυς ſignificat *Maxillam*, tam ſuperiorem, quàm inferiorem: additur autem ad diſtinctionem ἡ ἄνω, vel ἡ κάτω. Dicitur & alio nomine γναθος, ſed ambiguâ pariter ſignificatione. Vocatur ἡ ἄνω γένυς, hoc eſt, *Gena ſuperior*, pars faciei fronti proximè ſubjecta, auribus utrinque, ab imo autem gingivis terminata. Non unico oſſe, ſed pluribus ſolidis, duris & levibus conſtat: ἡ κάτω γένυς dicitur pars faciei infima & mobilis, dentes inferiores continens. Conſtat oſſe non ſimplici, ut plerique putant, ſed gemino, ſicut Hippoc. & Galeno viſum eſt, quorum diſtinctio medio in mento eſt, ubi Sutura apparet, in pueris quidem evidenter, in adultioribus autem paulò obſcuriùs, quæ etiam in provectis tamen coctura fatiſcit. Aliter namque ea duo oſſa ſeparari vix poſſunt, adeò inter ſe τῇ συμφύσει coaluerunt.

Geneion, lib. de muſc. diſſec. cap. 2. vide *Mentum*.

Genitalis meatus, quem *varicoſum aſſiſtentem* vocant, maxima illa via eſt, quæ genituram à teſtibus hauſtam,

ad

ad Colis radicem defert, 1. de semin. capit. 15.

Genituram appellat Hippocrates illud, quòd in abortu rejectum, vel dissecto utero exiens, semipis speciem repræsentat, non autem animal constitutum: id quòd primis duobus mensibus soletaccidere, quo tempore neque *Fœtum*, neque *Embryon* vocat, sed *Genituram*, 1. de sem. c. 9. *Genituram* etiam aliquando appellat *Membra genitalia*, in fœminis quidem uterum, in maribus verò seminaria vasa quæ nuncupantur, 3. de art. 41. vide *Cyema*: frequentiùs autem *Genitura* sumitur pro semine recenter emisso, vel in suis vasis adhuc contento, Græcè γονὴ. Hipp. libr. de naturâ pueri.

Genu, Græcè γόνυ, est femoris & tibiæ dearticulatio, & artificiosissima connexio, in quâ sinus est quidam prominens, alterius caput excipiens, quòd anteriori parte, quò firmius fieret, *Rotulâ*, seu *Patellâ* munivit, quàm μύλλω, & ἐπιγονατίδα vocant, quæ prohibet, ne femur curvatis, aut per declivia currentibus loco excidat, & dilabatur, libr. de ossib. cap. 21. & 22. & lib. Introd. cap. 10. Est autem ea dearticulatio omnium expeditissima, justissimaque, ut scripsit Hippocr. libr. de fract. præterea firmissima, magnoque naturæ artificio comparata, ut quæ in eâ epiphyses & cavitates ita constituxit, & ad amussim fabricata est, ut neque laxior sit Epiphyseôn in cavitates ingressus, neque etiam adstrictior. Continentur autem & firmantur extrinsecus superciliis quibusdam ipsorum ossium & ligamentis, aliis quidem in profundo positis, aliis autem in circuitu totam dearticulationem comprehendentibus.

Gerocomica, γηροκομικὴ, est ea medicinæ pars, quæ senes regit, iisdemque convenientem vitæ ac victus rationem præscribit, de part. med. cap. 5. Incertum an ad ὑγιεινὴν, an ad Θεραπευτικὴν, pertineat, cùm senum corpus neutrum sit, & senectus non exacta planè sanitas, sed vel morbi & sanitatis affectio quædam media,

vel omnino ejus generis non est, quæ firma constansque sit, quam κατ' ἕξιν appellant, sed potiùs fallax & incerta. quæ κατὰ χύσιν dicitur. Plures tamen eam salubris medicinæ partem esse statuunt.

Gibba Hepatis, vide *Sima*.

Gibbositas, quæ Græcis Κύφωσις dicitur, est distortio spinæ in posteriorem partem, 3. de art. 2. vide *Cyphosis*, & *Incurvatio*.

Gibbus est, ubi inter distractas vertebras, vel una, vel plures illæsæ permanserint; accidere solet, ubi unica duntaxat vertebra, aut etiam duæ, aut tres, sese deinceps consequentes, distrahuntur, eâ parte quatenus spinam cavari contingit, 2. de loc. affect. 5.

Gilva emplastra, vide *Dichroma*.

Gingivæ, Οὖλα, carnes sunt, quæ sunt circa dentes, 9. de usu part. cap. 15. ubi primùm è locellis suis & alveolis emergunt, 5. de comp. med. loc. cap. 8. quarum connexio χαλινὸς dicitur. In iis nuper natorum dentes latent, & veluti in præsepiolis conditi sunt, & ut siccioribus adstrictisque continentur, ita redundante humiditate laxioribus decidunt, Nervos habent à tertio pari, ut & dentes, per quos sentiunt & dolent, sæpèque in iis dolor est, qui in dente putatur esse.

Ginglymos, species est Diarthroseos, quâ ossa sese invicem ingredientia, conjunguntur; ut vertebræ inter se, ac cubitus, humerusque colligantur, lib. de ossibus in procœmio; ita ut unius caput in alterius cavitatem condatur, & vicissim hujus caput in illius sinum excipiatur. Est enim hæc ἁρθρωσις plerisque ostiorum cardinibus similis, in quibus ferramenti utriusque (quòd propriè à Græcis γίγλυμος appellatur) tum ejus quòd parieti infixum est; tum alterius, quòd ostio adhæret, pectines mutuò implexu sese subeunt. Quæ quidem compositionis ratio non videtur, ἀπὸ τ῀ ῥαφῆς, id est, à Sutura valdè differre. In quibus verò ostiis clavus crassior parieti affixus ostii verticillum subit,

subit, non γίγλυμος, sed verius γέμφωσις dicitur.

Glabrities, vide *Madarosis*.

Glacialis humor, vide *Crystallinus*.

Glandium, vide *Thymus*.

Glans, est finis, & extrema totius Colis pars, cujus cutis, quæ eam vestit, *Præputium*, dicitur, 5. method. cap. 13. Aristoteles verò, 1. de histor. animal. cap. 13. dicit cutem, quæ Glandem integit, carere nomine, & totum quòd ex eâ cute, glandeque constat, *Præputium* appellat. Dicitur etiam alio significato Glans, *Suppositorium*, quòd clysteris loco sedi inditur, 6. de comp. medic. loc. cap. 3.

Glandula, corpus quoddam carniforme est, laxum & fungosum, quòd utique velut cunei quidam, vasorum divisionibus incubantes, fulcimentum ipsis suggerunt, ut à nullo violento casu afficiantur, 4. de usu part. capit. 20. *Glandulam* etiam *Suppositorium* vocat. com. 2. in 1. prorrhet. 6. *Glandulam* etiam *Thymum* dicunt, 3. de alim. facult. cap. 6. Sunt autem propriè sic dictæ *Glandulæ*, (quas etiam *Adenes* vocant) imbecilliores corporis partes, ad quas valentiores corporis partes, supervacuâ sibi tum quantitate, tum qualitate, & præsertim ad eas, quæ rariores naturâ sunt, transmittunt; quippe valentius est arteriarum, venarum, nervorum, musculorum robur; imbecillius autem, aut prorsus nullum corporum, quæ Glandularum sunt naturâ, 13. method. cap. 5.

Glandulæ laryngis, sunt corpora laxiora, & fungosiora cæteris Glandulis, laryngi utrinque adjacentes, factæ à naturâ, ut partes omnes, quæ tùm ad laryngem, tùm ad fauces pertinent, humore ad ipsas largiter decumbente perfunderent, 7. de usu part. 17.

Glanduloſi assistentes, vel *Astites*, vel *Parastatæ*, *Vasa seminaria*, *Vasa spermatica*, *Plexus* seu *Flexus* varicifor*mis*, *Plexus capreolaris*, & *hederarius*, 1. de sem. cap. 12. homonyma sunt, significantia duo vasa, venam scilicet, eique

eique cui subjacentem arteriam, flexus multos numero æquales, instar Capreolorum quorundam, variè complexorum efficientia, quo in implexu sanguis, & spiritus, qui ad testes feruntur, diutissimè coquuntur, ipsumque semen elaboratur, eidem flexus postremi in testes terminantur, qui testes, laxi & cavernosi, chymum, qui in vasis incepit concoqui, excipientes, exactius percoquunt, & perfectam seminis formam ubi adeptus est, id ipsum per aliud vas, quòd ad pudendum porrigitur, semen ejaculantur (quòd *varicosum assistentem* vocant, 1. de semin. 15. vulgus *vasa deferentia*, ut priora, *vasa præparantia* appellat,) quòd vas spermati cum maribus latum & longum, fœminis angustum & breve, natura concessit, 14. de usu part. 10. & 11.

Glandulosa corpora, quæ primus, *Herophilus*, ἀδηροειδεῖς πρόστατας, quasi Glandulosos Præsides, aut Prostates, appellavit, utrâque parte colli vesicæ sunt locata, in quibus humor quidam spermati similis, crassus, viscosus, verùm longè tenuior continetur, quo in coïtu repente, ac simul unà cum semine elabitur, reliquo autem tempore omni paulatim congeritur: cujus usus est, ut ad venereum coïtum excitet, & in coïtu delectet; denique ut ad instar olei meatum urinarium humectet, & inungat adversus urinæ rosionem, & ne exsiccatus consideat, prohibeatque, quò minùs per se lotium, ac semen facilè feratur; in masculis Glandes hæ (aliàs *vesiculæ seminariæ* dictæ) notabilis magnitudinis sunt, 14. de usu part. & 1. de semin.

Glaucosis, γλαύκωσις, *Glaucedo*, est oculorum affectus, qui ex immodicâ siccitate, vel concretione humoris crystallini, vel ex largiori ejus evacuatione, (quæ fit in compunctionibus) solet progigni, quique cœcitatem præ omnibus maximè, qui oculis accidunt, morbis, inferre solet, 10. de usu part. cap. 6. *Glaucoma* verò, (γλαύκωμα,) est naturalium humorum,

rum, in Glaucum colorem mutatio, libr. finit. dicitur que id oculi vitium, quòd ortâ priùs suffusione, & humore circa pupillam valdè concreto, & resiccato, contractum est; unde *Glaucedo* à siccitate est, ut *Glaucoma* ab humiditate; & propterea Galenus, 3. aphoris. 31. dicit *Glaucoma* speciem esse ὑπογύματος, id est, suffusionis, non tamen docet esse eundem morbum; differt enim suffusio tum à *Glaucedine*, tum à *Glaucomate*; est enim *Suffusio* extranei humoris, & aliunde influentis concretio; *Glaucedo* verò, ipsius humoris crystallini, densatio, & resiccatio. Nec omnes suffusiones tantæ sunt, ut toti pupillæ prætendantur, & visum ex toto adimant; *Glaucoma* verò, crystallini universi est, atque siccitas, per ipsum totum ex æquo diffusa, & ex siccitate concretio. Adhæc, pleræque *Suffusiones* curationem recipiunt, cùm tamen nullum *Glaucoma* curetur, uti nullus alius morbus ab immodicâ siccitate proveniens, facilè & plenè curatur.

Glaucedo, vide *Glaucosis*.

Glaucoma, vide *Glaucosis*.

Glene est, quòd in superficie extremi ossis, tùm capitum, tùm sinuum, situm est, ab ocularis sinus similitudine sic dicta, lib. de ossibus, in proœm. γλήνη, pupilla oculi: Cavitas ipsa oculi. Ab eâ facta metaphora est ad alias ossium cavitates. Siquidem apud Hippocratem γλήνη significat cavitatem ossis, in quam alterum os inseritur, quæ & κοτύλη appellatur: Inter quæ tamen posteriores Medici distinxerunt. Nam authore Galeno, libr. de ossibus, ex cavitatibus ossium capita suscipientibus quæ profundior est, κοτύλη dicitur: quæ verò superficiaria, ut ambigere possis an cavitas sit nec ne, γλήνη nominatur: Id verò quoniam in latitudine quâdam dicitur, idcirco γληνοειδὴς appellatur sinus qui obscurus est: Nec tamen sinus γληνοειδὴς & γλήνη differunt, sed idem sunt omnino.

Gle-

Glenoeides, sunt duo sinus leviter cavi, in inferiore summæ vertebræ parte (quos ab ocularis sinus similitudine sic appellant) similes superioribus; sed sinus superiores, (cùm caput ipsum excipiant) non absque sunt majores; infrà verò minores sunt, qui vertebram secundam admittunt, libr. de ossib. cap. 8.

Glossocomion, quòd & *Glottocomion* dicitur, machina quædam est, in quâ extenduntur, & vinciuntur fracta membra laqueis, ad justam eorundem distentionem, 7. de usu part. cap. 14. γλωσσοκόμιον ἢ γλωττοκόμον, nomen est Atticum, ut scribit Galenus, & propriè significat arculam, in quâ homines recondunt res pretiosas, & quam multi iter facientes portant; est autem oblonga & angusta. Ab ejus similitudine Medici Hippocr. posteriores (nam Hippocr. id genus instrumenti non noviſſe Galen. author est) machinam quandam chirurgicam, fracto femori vel cruri, ubi callus circumdatur accommodatam γλωσσόκομον nominarunt. Est autem machina cava oblonga, & ad femoris proportionem arcta supernâ parte trochleas utrinque singulas habens ad latera sitas, & infernâ parte transversum axem, ad quem alligati laquei contrarium nixum toti membro geminâ tensione efficiunt.

Glutia, Græcè γλουτὸς, id est, parvæ nates Cerebri, sunt tenues ac prælongæ Cerebri eminentiæ, ex utrâque parte illius meatus, qui spiritum ex medio Cerebri ventriculo, in Parencephalidis ventriculum transmittit, quarum concursum, hominum conjunctis interstè femoribus, sive natibus, rectissimè comparaveris; sunt autem qui Didymis, hoc est, Testiculis, ea assimilantes, malunt vocare *Didymia*, sive *Testes*; quæ verò his proxima, *Glutia*, 9. de usu part. c. 14. Productæ sunt ex Cerebri substantiâ duriore, supraque & ante conarium sustinent, posteriùs verò Epiphysim σκωληκοειδῆ inter latus dextrum & sinistrum constituunt meatum, qui à medio ventre ad postremum fertur.

Eorum

Eorum autem usus est, ne meatus ille à supernis cerebri partibus comprimatur & intercludatur.

Glutinatorium medicamentum, quod & *sanguinarium*, *cruenta opitulans*, & *enæmon* dicitur, est, quòd vulneris oras committere, & glutinare molitur, 3. de compos. medic. per gen. cap. 2.

Gluton, hoc est, *Natem*, appellant alterum ex duobus processibus cervicis ossis femoris, qui major, & exterior, & gibbus est, lib. de ossib. cap. 21. γλουτὸς autem ea apophysis (quam & τροχαντῆρα μείζονα appellant) dicta est vel à similitudine quam habet cum natibus, vel quòd musculi, quibus nates constant, ei præcipuè inserantur; vide *Femur*.

Glycea medicamenta sunt, quæ aliquando purgant, & interdum acres humores indulcant quasi & alterant, lib. de Dynamid. in procœmio.

Gomphos, affectus oculi est, qui Latinè dicitur *Clavus*, cùm pupilla egrediens pelliculas uveæ, superficie tenus operit, unde ejus forma fit quasi Clavus, libr. de oculi cap. 11. vide *Clavus*. Γόμφιοι, clavales seu molares dentes, sunt dentes asperi, inæquales, ampli, lati, molendis, atterendisque cibis comparati, à caninis ad extremam usque mandibulam pluribus radicibus affixi. Dicuntur γόμφιοι, quod clavorum modo genis ingantur, unde & γόμφωσις dentium ferè propria.

Gomphosis, Synarthroseos species, cùm ad instar clavi os, ossi infigitur; vel cum os unum, alteri penitùs est infixum, ita ut ne tantillum quidem (veluti dentes suis alveolis) moveatur, libr. de ossib. in procœmio. Per γόμφωσιν quoque juncta quædam ossa dici possunt in Carpo, Metacarpo, Tarso, Pedio, & aliis quibusdam partibus, Synarthroses Enarthrosi, & Arthrodiæ similes, solâ motuum magnitudine ab eâ differentes.

Gonorrhœa, est seminis invita, & assidua excretio, penis non extenso. *Gonorrhœæ* autem nomen planè com-

compositum est, ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, καὶ γόνιμα, quasi seminis g
nitalis fluor, ob imbecillitatem retentricem continer
tium ipsum corporum, 6. de loc. affect. 6. Quæ ver
intento pudendo fit, propter convulsionem accidit, in
que eâ duo morbi conjunguntur.

Gracilis, sive *tenuis pulsus*, est, in quo longitudin
dimensio, quodammodo duabus reliquis dimension
bus præstat; in quo autem duæ reliquæ superant lon
gitudinem, *pulsus* hujusmodi *turgidus*, sive *crassus* ap
pellatur, 1. de differ. puls. cap. 5.

Grando, est tumor crassus, in partibus interioribu
palpebrarum coagulatus, ut quasi *Grando* videatur
lib. de ocul. cap. 9.

Graphioeides, aut *Belenoeides processus*, id est, *graphi*
seu *stylo*, & *acui similes*, qui & *styloeides* dicuntur,
Columnæ specie, quæ partibus hujusmodi sese offer
tenues ossium capitis processus appellitant, 10. de usu par
cap. 4. Adhuc *Graphioeides* & *Styloeides* processus, e
Cubiti processus, quem è directo parvi digiti porre
ctum, à Graphii, seu Styli modo, Græci *dissectores*, si
vocant, 1. de anat. adm. cap. 10.

Gravativus dolor, vide *Dolor tristis*.

Gravedo, sive *Coryza*, est tenuis & incoctus humo
qui per nares secernitur, 2. progn. 49. quem Galenu
docet non esse pituitæ speciem, ut quidam falsò asse
runt, sed excrementum, quòd à Cerebro destillat, te
nue, aut crassum, quod tùm in senibus, tùm iis, qu
ratione quâvis sunt perfrigerati, plurimum acervatu
2. de natural. fac. cap. 9. vide *Coryza*.

Graveolentia, vide *Benevolentia*.

Gravis, seu *Gravitivus dolor*, vide *Dolor tristis*.

Gressuram, γλισχάδα, vocat Hippocrates totum io
quòd inter inguina utriusque cruris est, cujus median
partem θῆλυ, nuncupat, hoc est, *interfeminium*, eo
quòd duobus feminibus interjiceat. Est Intestinum
seu Intercapedo, quæ ab exortu pudendi, usque a
anu

anum pertingit, ubi etiam vesicæ collum, collocatum est, 4. de artic. 45.

Grumus, Græcè θρόμβος, est concretus sanguis, lib. de atrâ bile, cap. 2. estque aggregata concretio sensibilis sanguinis, lib. de tumor. cap. 2. Propriè quidem significat continuæ rei fragmentum & frustum: Inde ad lac & sanguinem Medicis translata vox est, qui θρόμβωσιν dixerunt, in lacte quidem quoties à puerperio fœminis lac fluere desinens, in mammis densatur, & in exigua frusta concrescit: in sanguine verò, cùm à venis suis effusus, & in vicinâ spatiâ abscedens, sive per Diapedesin, sive eroso aut rupto quomodolibet vase similiter coït atque condensatur, non in vesicâ modò, verùm etiam in stomacho, in renibus, in intestinis, in utero, in naso, in omni denique corporis cavitate: In quâ quoniam præter naturam inest, calorem nativum amittit, indeque niger evadit & cogitur, tandemque putrescit, ut & reliqua omnia quæ extra naturalem locum sita sunt.

Guidez venæ, vide *Apoplecticæ*.

Gula, vide *Oesophagus*.

Gurgulio, vide *Staphyle*, & *Gargareon*.

Guttur, vide *Larynx*.

Gutturosos, id est, ἐξυδρόγχους, quasi *gutteremilos*, vocat Hippocrates eos, qui prominentia in anteriorem partem, guttura habent: Guttur enim (Græcis βρόγχον) vel totam asperam arteriam nominat, vel fauces tantùm, 3. de artic. 8.

Gynaicia, id est, mulierum passiones, lib. de Gynæciis.

Gynæcomaston, muliebris mammæ, & subjectæ, additæque mammis pinguedinis, auctio est, præter naturam, libr. finit. γυναικόμαστον, muliebrium mammarum summum incrementum, τὰ γυναικεῖα, muliebria sunt, & mulierum menstruæ purgationes.

H.

HABITUS est partium nostri corporis structura: constitutio, & compositio: quâ ratione dicimus hujus corpus esse habitus solidi, compacti, rari, cujus ratione etiam corpus rarum facilè evaporatur, & syncopen incurrit, habitus verò densiores in morbis cunctanter, diutiùsque laborant, 2. de ratione vict. 47. Prætereà *Habitus* nomine de omni re uti solemus, quæ constans est, ægrèque amovetur; unde & sanitatem *bonam habitudinem* dicimus, lib. de bonâ habitudine, & 4. de rat. vict. 25.

Hæmalopa, est oboriens cruenta suffusio ad plagas oculi illatas, 4. de compos. med. loc. cap. 8. & proin fugillatio in oculis, ex plagâ, aut ictu, vel effusio, sub contusum locum, sanguine. Unde Archigenes dicebat, *Hæmalopa* idem malum esse cum *Hyposphagmate*, atque etiam in omni aliâ corporis parte posse contingere, præter quàm in oculo. Dicitur autem αἱμάλωψ, quasi αἷμα ἐν ὠπῇ. Dioscorides verò etiam cruorem per adipem sparsum αἱμάλωπα nuncupavit, scribens lib. 2. capite de hircino & ovillo sevo: tere paulatim aquam affundens, donec ne ampliùs quidem cruentum virus excernatur. Galenus etiam ἐν ταῖς γλάσσαις annotavit αἱμάλωπας vocari rubentes quosdam in cute circulos, qui alio nomine αἰθάλιχις appellantur.

Hæmatosis, id est, *Sanguificatio*, vide *Hepar*, & *Sanguificatio*.

Hæmodia, est affectus, qui dentes, gingivasque infestare solet, cùm quispiam & austeros, & acidos cibos ingesserit, adeòque dentium quidam quasi stupor, cui portulacam manducatam mederi, experientia probat, 2. de loc. aff. 6. Eum affectum oratione quidem explicare, impossibile est; sed cùm quis ejusmodi cibos manducavit, ut iis dentes & gingivæ malè afficiantur, affectum hunc in eo, & omnibus similem, esse credi-

mus,

mus, qualem in nobis ipsis experimur. Sunt autem qui ἀιμωδίας nomine, omnem simpliciter dolorem dentium intelligant.

Hæmophobus, id est, sanguinis mittendi timidus, 9. meth. 5. vide *Psychrophobus*.

Hæmoptoicus is est, qui sanguinem sputo ejicit, lib. 7. de comp. medic. loc. capit. 4. sive vomendo, sive tussiendo, sive screando, sive simpliciter exspuendo, rejiciatur, 4. de loc. affect. 5.

Hæmorrhagia, id est, sanguinis eruptio, & abundans effusio, quæ si per magnum vulnus fiat, per largum obitur fluxum; sin angustum, per jaculationem, ut in venis secandis. Differt autem *Hæmorrhagia*, ab *Hæmorrhoide*, quòd illa sit abundans effusio sanguinis ex venis, indifferenter qualibuscunque, hæc verò effusio sanguinis, ex ani, sediśve venis per dissultationem, ac paulatim facta, ut quæ ut plurimùm per vasorum erosionem fiat, lib. de finit; unde *Hæmorrhoidas*, sanguifluas venas, in ano existentes, appellant, 4. de artic. 40. Sanguinis è venâ, vel arteriâ vacuatio interdum critica, ut plurimum verò symptomatica est, & tribus de causis contingere potest; tunicâ earum divisâ, aut resetato earum ore per ἀναξύμωσιν, aut transcolatus sive transiniissus per διαπήδησιν. Dividitur tunica vulnere, contusione, ruptione, erosione. ἀναξύμωσις accidit propter tum vasis imbecillitatem, tum sanguinis, qui ad os ejus impetu ruit copiam, adhæc acrem quampiam, quæ illi extrinsecus incidat qualitatem. διαπήδησις ex tunicâ quidem ipsâ rarefactâ, sanguine verò tenuato oritur: accidere præterea interim potest & ex gracilium vasorum ore adaperto. Cæterum à partibus fermè omnibus profluere sanguis potest. Naribus, Ore, Thorace, Pulmone, Ventriculo, Jecinore, Intestinis, & Hæmorrhoidibus; atque earum partium ἡ αἱμορραγία dicitur, à quibus ille profluit. Verùm apud Hippocrat. cùm simpliciter αἱμορραγία dicitur, non addito

partis nomine, quæ sanguinem fundit, id modò sanguinis profluvium intelligitur, quòd è naribus manat; ut annotavit Galen. 1. Epid. Cùm autem τὸ αἱμορῤῥαγίας, nomine omne sanguinis profluvium intelligi possit; eo tamen propriè dicitur, quòd confertim fit ἀπὸ τῶν ῥαγῶν, quòd apud Hippocrat. significat ἀῤῥόως ὀρμᾶν, hoc est, impetu & confertim prodire, ut Galenus in gloss. explicavit.

Hæmorrhoides, vide *Hæmorrhagia*.

Halituosa, seu *vaporosa*, sunt quæcumque per cutem foràs exhalare apta sunt; *humida*, quæ per vesicam; *sicca*, quæ per alvum; quippe à vincenti in singulis eorum substantiâ, nomina ipsis imponuntur. Contraria *Halituosis*, & *Diuretica*, dicuntur *Emplastromena*, quæ exiguis meatibus cutis, & vesicæ inhærentia obstruunt, & ea detinent, quæ per cutim & urinas expurgantur: quæ verò opponuntur *solutivis*, dicuntur *Stryphna*, quòd valenter adstringant, 8. method. 2.

Halituosus vapor & spiritus, est alicujus corporis partis humiditas, quæ ad summum concocta, in tenuem halitum, virtute insiti, & validi caloris soluta, insensibili transpiratione in ambientem effluit; qui halituosus spiritus in animalis corpore ex succis, qui lentè, sensimque excalefiunt, nascitur; ubi verò calor imbecillior est, vel naturalis humor, tùm semicoctus, tùm crassus, tùm glutinosus, atque particula densior, ibi crassior excitatur halitus, quàm ut transpirare possit, 14. method. cap. 7.

Harmonia in ossibus, species συναρθρώσεως est, in quâ ossium structura, per simplicem lineam fit, non autem, ut in futurâ anfractuosam. Sunt autem maxillæ superioris, adhæc narium, & quædam etiam capitis ossa, ad hunc modum inter se juncta, lib. de ossibus in proœmio. Eo modo & pars occipitis infima, & ossa nasi, carpi, tarsi, secum connectuntur. Galenus etiam ad finem commentar. 3. εἰς τὸ κατ' ἰητρεῖον scribit capitis ossa,

ossa, ubi se tangunt, propriè dici ἁρμονίας, sed translato vocabulo, ῥαφὰς appellari. Calvariæ enim osse ait, inter se ἥρμοσται, id est, committuntur; atque idcirco ipsorum contactus, κατ' ἁρμονίαν committi meritò dicuntur: verùm à similitudine eorum quæ suuntur, ῥαφαὶ nuncupantur. Ἁρμονία etiam medicamenti nomen est in catapotia coacti, & perutilis ad sistendas destillationes. Galen. lib. 7. τ κ τόπ. Est etiam medicamentum ἀνώδυνον βηχικὸν, hoc est, ad tussim comparatum doloris expers; cujus descriptio est apud Aëtium, lib. 8. Est etiam ἁρμονία emplastri nomen, quòd describitur ab Aëtio.

Hebetudo visus, quæ & *offuscatio visus* nominatur, est summa offensio visionis, sine causâ manifestâ, lib. Introd. c. 15. Græci vocant ἀμαύρωσιν, Arabes, *Guttam serenam*: differtque ab *Amblyopia*, (ἀμβλυωπίᾳ) in eo, quòd magis in illâ, quàm in hâc læditur visio. Si paulatim ἀμαύρωσις conflata est, causas habet easdem, quas etiam ἡ ἀμβλυωπία; si verò repente unoque impetu incidit, in causâ est nervi visivi obstructio, à crassis & viscosis humoribus subitò illapsis, aut ejusdem nervi resolutio. Habet & plures alias latentes & internas causas, habet etiam externas: ut frequentes cruditates, crapulas, insolationem, capitis inustionem, atque ardorem aut refrigerationem, aut multam lectionem à cibo, aut balnei usum post cibum, vomitiones, & concubitus immoderatos intempestivosque, spiritus violentam cohibitionem, à quibus omnibus caput valdè repletur. Hæc quidem atque his similia, si minora imbecillioraque sint, ἀμβλωπίαν: si verò & magnitudo, & vehementia ipsis accesserit, ἀμαύρωσιν efficiunt.

Hectica febris, duplicem habet significationem; sic enim dicitur omnis febris solutu difficilis (sive sit pituitosa, sive melancholica, oppositа τῇ ἑκτικῇ, hoc est, febri solutu facili.) Alterâ verò significatione, speciatim magis dicitur *Hectica febris*, quæ & *putrida*,

& *Diariæ* opposita sit, diciturque *Hectica*, quòd in habitu corporis, ἕξιν appellant, tanquam in subjecto consistat; est enim *Hectica febris*, calor præter naturam in solidis partibus ipsius cordis accensus; vide *Febris hectica*.

Hecticus pulsus, ita ut *Febris hectica* vocatur, qui non magnoperè ullo modo variat, cæterum manet in perpetuum sibi similis, cohæretque, nec solvitur unquam, quòd totus corporis habitus morbum induat, in ejusmodi febribus, & pulsibus, libr. de pulsib. ad Tyrones, capit. 8. Ἕκτικὸς σφυγμὸς est species inæqualis pulsus in unâ pulsatione, & diversis arteriæ partibus, confinis formicanti, qui Græcis μυρμηκίζων dicitur, sed eo adhuc minor. Pthysi, Empyemati, & Febri hecticæ proprius est, & sicut hæc, ita nec ipse magnam mutationem sustinet, sed perpetuò est gracilis parvusque, quia propter siccitatem in longum & latum duci nequit arteria, & debilis ob facultatis vitalis imbecillitatem, & præterea frequens: quia cùm propter auctum calorem pulsus velox esse deberet, nec tamen talis esse hecticis possit propter virium infirmitatem, necesse sit frequentiâ magnitudinem & velocitatem suppleri.

Hecticus spiritus seu *insitus*, & naturâ partium substantiæ complantatus, *spiritui influenti* opponitur *naturali*, & *animali*, cumprimis solidis corporis in partibus continetur, ex quo quippe compositæ sunt, iisdemque in universo corpore, nec divisis, nec condensatis, nec è loco suo motis conservatur; resolvitur autem spiritibus influentibus intensis: ut in phreniticis, vel dissolutis: ut in lethargicis, vel iis, qui cardiaco affectu laborant, libr. Introd. cap. 13.

Hederarius flexus, vide *Glandulosi assistentes*.

Hedra, *Sedes*, *Anus*, *Podex*, dicitur & Græcis alio nomine δακτύλιος, & πρωκτὸς; est autem meatus ventris inferior, continendis, transmittendisque excrementis

mentis destinatus. Cùm enim venter totus peritonæo undique concluſus ſit, duo tamen in eo ſunt meatus, ſuperior quidem ad ſtomachum, πυλωρὸς dictus: inferior verò hic, de quo ſermo eſt, ad rectum inteſtinum, cujus oræ ultimæ incumbit: Eſt autem inſtrumentum vacuandis excrementis comparatum. Cujus generis inſtrumenta cùm ſint duplicia, aliis excrementorum effluvium intempeſtivum cohibentibus, aliis verò tempeſtivum incitantibus, ea quidem ne intempeſtivè & præproperè labantur, muſculi ſedem ipſam conſtituentes non ſinunt. Sunt autem duo ad ſedem muſculi, quorum unus rotundus eſt, ſolutus, & ſine pari ſive oppoſito muſculo, per tranſverſum ipſi circumfuſus, adeò ut rectum inteſtinum exactè & firmiter occludat, & excrementa intus contineat. Alter verò ſedis muſculus eſt geminus, vel etiam tergeminus (eum namque in duos vel tres dividere poſſis) qui obliquè ſupra rotundum muſculum ſitus ſedem ſurſum retrahit. Quo fit, ut ſi quando reſolvatur aut reddatur imbecillior, ſedem ipſam prociduam & prolabentem, ut in magnis contentionibus corporis fieri aliquando ſolet, ſurſum retrahere & revocare non poſſit, ſed ea omnino everſa maneat, niſi manu reponatur. Adhuc *Hedra* apud Hippocratem, libr. de vulneribus capitis, eſt oſſis fracturæ ſpecies talis, ut in eo teli veſtigium remaneat, atque appareat, quâ telum inſederit. Quem quidem affectum à telo acuto fieri neceſſe eſt, autore Galeno.

Hedyſma, id eſt, *Vnguentum odoratum*, 1. de compoſ. medic. loc. cap. 2. Ἡδύσματα dicuntur unguenta ipſa, quibus ad ſuavitatem odoris, Aromata adjuncta ſunt. Unguenta autem ea, quæ ἰδίσματα olim vocabantur, ſuccus tantum erant, hoc eſt, liquida, ut quæ ſolis ferè conſtarent oleis, eóque differebant, ἀπὸ τῶ σωμάτων, ut Plinius ſcribit, quòd hæc corpus haberent, hoc eſt, ſolidiora eſſent: utriſque tamen eadem

odoris gratiâ. Dicuntur ἀπὸ τοῦ ἡδύνειν, quòd est suav[em] & odore gratum facere: unde & ἡδύσματα generali[ter] ter dici possunt quæcunque rem aliquam jucundiorem gratioremque reddunt. In quâ significatione Galenus libr. 3. de alimentis, pinguedinem & adipem carnium ἡδύσματα esse dixit: Cibis enim suavitatem potiùs conciliant, quàm in alimentum vertuntur.

Hegemonice, ἡγεμονικὴ, id est, principes animæ virtutes, sunt rectrices, & animales, quæ in capite collocantur, videlicet facultas imaginatrix, ratiocinatrix, & recordatrix, lib. de sympt. diff. cap. 3.

Helcydria, id est, pustulæ ulcerosæ in capite genitæ, 1. de comp. med. loc. cap. 9. Ἑλκύδριον dicitur omne ulcus parvum, nec eo nomine certa ulla species ulceris designatur.

Heliosis, Ἡλίωσις, *Insolatio*, est corporis in Sole apricatio. Remedii genus est veteribus Medicis usurpatum variis modis, quo alii ad Solem ejusque radios exponebantur, sive stantes, sive ambulantes, sive jacentes; quo remedio præmissâ per alvum evacuatione, juvabantur Hydropici, Ischiadici, Nephritici, Paralytici, Elephantici, Cæliaci, Hystericæ mulieres, & alba uteri fluxione laborantes, & Cephalalgici, ubi ex eo auxilio, corporis perspirationem uberiorem, sudores, alvi adstrictionem, adipis consumptionem, tumorum laxorum, tum maximè hydropicorum detumescentiam, facilem respirationem, omnisque superflui humoris absumptionem fuissent consecuti.

Helodes febris, vide *Febris Helodes*.

Helos, sive *Clavus*, est callosum tuberculum, album, rotundum, capiti clavorum simile, toto in corpore proveniens; sed pedum plantis, digitisque potissimum, & calcaneis accidit, & oculis; vide *Clavus*.

Heloſis, est curva ac reflexa palpebræ eversio, utroque oculi musculo convulsio, partemque Tarsi sibi continuam, ad se ipsum trahente, quòd in magnis morbis,

bis, magnum malum significat. Hanc ipsam palpebrarum contorsionem, Hippocr. vocat *Campylon*, 10. de usu part. cap. 9.

Helminthes, vide *Elminthes*.

Hemitritæos febris, ἡμιτριταῖος πυρετὸς, *Semitertiana febris*, vide *Febris semitertiana*.

Hemicrania, affectio est dolorosa, circa dimidiam capitis partem, aliquando dexteram, aliquando sinistram (quæ juxta futuram sagittalem terminatur) ut plurimùm per circuitum exacerbatur, pleriſque circa temporum musculos dolentibus, quibusdam in vertice capitis; quidam verò adeò vehementer dolent, ut ne manuum contactum facilè ferant, in quibus pellicula Calvam ambiens, læsa est. Dicitur etiam aliquando *Heterocrania*, Græcè ἡμικρανία, & ἑτερορρανία, 2. de compos. medic. loc. capit. 3. Estque & aliud *Hemicraniæ* genus, quòd *Sphacelodes* nominant, estque convulsorius dimidiæ partis capitis dolor, 2. de loc. affect. 7. Causa doloris tanti est vaporum, aut humorum, aut utrorumque vel multorum, vel calidorum, vel frigidorum, vel acrium salsorumque influxus, sive per venas, sive per arterias. Affluunt autem hi, vel quòd à cerebro, ejusque membranis foras pellantur tanquam redundantes aut vitiosi, vel quòd à subjectis partibus sursum mittantur; ac vapores quidem tensivis doloribus afficiunt: biliosa excrementa mordaces inducunt: plenitudo gravitatis sensum adfert: rubor & calor, calidos humores significant. Ἡμικρανικὰ φάρμακα dicuntur medicamenta topica, curandis *hemicraniis* convenientia. Ea non sunt unius generis: alia enim magis, alia minùs calida sunt: omnia tamen calida esse oportet, multùm quidem, ubi non est multus calor, moderatiùs verò, si multa caliditas in dolore percipiatur: tunc enim ad reprimendum caloris excessum, calidis pharmacis aliquid refrigerans miscendum. Omnia etiam aliquid habere oportet, quòd firmitatem &

robur addat, quòd astringentem scilicet habeat facultatem.

Hemiplexia, ἡμιπληξία, *Paraplegiam* significat, vide *Paraplegia*.

Hepar, quòd & *Iecur*, est membrum princeps in dextro hypochondrio collocatum, venarum omnium principium, & primum sanguificationis, (quam *Hæmatosin* vocant) officina, & instrumentum est, & nutrimentis virtutis fons, 4. de usu part. cap. 12.

Hepatica vena, vide *Axillaris*.

Hepaticus affectus, (quæ & *Hepatitis* nominatur, de sympt. differ. 5.) est Jecoris imbecillitas citra phlegmonem, cùm nutrimentum per vasa, quæ in mesenterio sunt, veluti per ora quædam semicoctum attraxit rursusque per eadem semicoctum ablegat in intestina unde oritur excretionis species, maximè similis loturæ carnium cruentarum, ac recenter enectarum, sive quòd idem est, aquosi sanguinis. Atque hoc quidem symptoma semicoctorum ciborum, vomitioni ob p. n. affectum ventriculi quæ excitatur, proportionatum est, 3. de sympt. caus. cap 2. Eos igitur, qui sic affecti sunt, & quibus visceris ipsius vires fuerint imbecillæ, *Hepaticos* vocat, affectumque hunc, *Hepaticum fluxum*, alium à *Dysenteriâ* facit, 5. de loc. aff. 7. Affectio igitur *Hepatica* appellata, veluti etiam & *Cœliaca*, & *Stomachica*, citra tumores præter naturam, circa ipsas partes contingit; inflammatum enim esse hepar, aut abscessu laborare, aut induratum esse Medici dicunt, aut aliud quippiam tale, non tamen *hepaticum* vocant hominem ipsum, cui tale quid accidit, 8. de comp. med. loc. cap. 6.

Hepiala febris, ἡπίαλος πυρετὸς, vide *Febris hepiala*.

Hepsema, id est, *Sapa*, vide *Apothermus*.

Herculeus morbus, vide *Comitialis*.

Hermaphroditon, Ἑρμαφρόδιτον, est vitiosa membrorum genitalium conformatio, præter legitimum pudendum,

dendum, alterius etiam sexus pudendo apparente. Hujus vitii quatuor differentias esse, Leonides memoriæ prodidit, tres quidem in viris, unam in mulieribus. In viris quidem aliàs juxta τὸ αἰδοῖον; aliàs in medio scroto, pudendum muliebre pilosum apparet; aliàs verò, quæ tertia differentia est, per id ipsum quòd in medio scroto pudendi formam habet, urina emittitur: in mulieribus autem suprà pudendum juxta pubem virile frequenter genitale reperitur tribus quibusdam extantibus corporibus, uno tanquam cole, duobus autem veluti testiculis. Sed ferè fit, ut è duobus pudendis alterum iners sit & invalidum, nec nisi rarissimè utrumque ad Venerem idoneum habetur. Pluribus verò etiam utrumque imperfectum est, ut nec maris, nec fœminæ opus exercere possit. Quod Ausonius hoc Epigrammate indicavit.

Mercurio genitore satus, genitrice Cythere,
Nominis ut misti, sic corporis Hermaphroditus,
Concretus sexu, sed non perfectus utroque,
Ambiguæ Veneris, neutro potiundus amori.

Nomen huic malo datum est ab Hermaphrodito, quem Mercurii & Veneris filium fuisse, & ἀνδρόγυνον, hoc est, virum, & mulierem perhibent: A quo qui utrumque similiter sexum habent, ἑρμαφρόδιτοι καὶ ἀνδρόγυνοι appellantur.

Hernia, vide *Ramex*, & *Celes*.

Herpes, qui & *Serpigo* nominatur, est repens inflammatio, ex syncerâ flavâ bile, suam servante naturam; quæ ipsa bilis flava si cum sanguine per totum corpus deferatur, morbum facit, qui *Ictheros*, id est, *Regius*, appellatur; sola verò quando ab aliis succis secreta est, & in aliquo externo membro consistit, *Herpes* vocatur, quæ si crassa sit, totam exulcerans cutem, usque ad suppositam carnem, *Herpes exedens*, sive *Esthiomenos*, sive *Phagedæna*; si verò tenuior fuerit, id quòd in superficie est, tantùm veluti deürens, generis sortitur

tur appellationem, ac simpliciter, & sine adjectione *Herpes* vocatur. Altera *Herpetis* species *miliaris*, Græcis *Cenchria* vocatur, quoniam parvæ pustulæ, ac multæ per summam cutem, similes *miliis*, in eâ excitantur, quæ non protinus ulcus faciunt, quemadmodum alter, sed interposito tempore in ulcus abeunt, 2. de Glauc. 1. & 6. aphoris. 45. Est autem omnis *Herpes* ejusdem generis cum *Erysipelate*, atque hujus quoque magis cum eo, quòd exulceratum est: differunt autem humoris tenuitate: est enim admodum tenuis, qui *Herpetem* excitat, adeò ut non solùm interiores partes, quæ utique carnosæ substantiâ sunt, transeat, sed etiam cutem ipsam, ad summam usque cuticulam tùm erodat, tùm exedat, quandò si hanc quoque sudoris vice transiret, haudquaquam ulcus excitaret, 14. method. 17. & 2. method. 2.

Heterocrania, vide *Hemicrania*.

Heterogeneum, vide *Dissimilare*.

Heterorhythmum pulsum vocamus, qui alterius ætatis habet rhythmum, libr. finit. vide *Pararhythmus*.

Hexis, Habitus, varia significat. Primum quidem eo nomine in re omni uti solemus, quæ stabilis est, & ægrè movetur à subjecto: Quomodo & Aristoteles usurpavit in Logicis, distinguens ἀπὸ τῆς ἀλλοιώσεως, id est, à dispositione. Hic comparatur à multâ longâque ἀλλοίωσις: Proinde secundum eam significationem, id quòd est, ἐν δυσλύτῳ ἀλλοιώσει, sive sanitas, sive morbus, sive aliud quodlibet, καθ' ἕξιν ἀμεταπτῶς dicitur, ut scribit Galenus, lib. 2. method. medic. Huic contrarium est κατὰ φύσιν, sive ἐν φύσει, ut idem docet lib. 8. idem significans quòd simpliciter ἐν τῇ ἀλλοιώσει. Sic autem simpliciter dictus Habitus neque bonum neque malum significat; sed eum in hominis valetudine designare volentes, illum εὐεξίαν, hunc κακοξίαν nuncupamus. Sunt enim hæ duæ τῆς ἕξεως, differentiæ Medicis supra cæteras usurpatæ; vide *Affectus*, qui & *Schesis*.

Hia-

Hiatuli, qui & *Hyatuli* dicuntur, & σιωδόντες Græcè vocantur, ii sunt, quorum venter inter comedendum in ore invenitur, quòd accidit in vehementiore appetentiâ, & famenimiâ, in quâ venter quibusdam animalibus sursum procurrit, adeò ut nonnulli cùm primùm incipere eum affectum sentiunt, foràs repere sibi ventrem dicant: aliis verò, cibos, quos adhuc mandunt, nec dum satis ore confecerunt, famelicus ventriculus eripit planè invitis, 3. de anatom. facultat. 8.

Hidroa, ἱδρῶα τὰ, pustulæ quædam genitalium partium sunt, summam cutem occupantes, & exulcerantes, 3. aphor. 21. Oriuntur, ut ipsum nomen ostendit, ab earum partium sudore acri, bilioso, & mordaci, qui perfacilè iis in partibus putrescens, pruriginem movet, cutemque velut ulceribus exasperat. Dicuntur & *Intertrigines*, 6. de simplic. cap. de Balaustio; Græci vocant ἱδρῶα, & ἀδηκτεύματα Plinius vocat *Attrita*. vide *Sudamina*.

Hidròs, *Sudor*, ἱδρὼς, est humidum tertiæ concoctionis excrementum, per cutem in aquæ speciem erumpens. Et cùm tenuissimum quidem sit hujusmodi excrementum, facilè sanè ejicitur, partim in speciem halitus ab insito calore solutum, & per transpirationem vacuatum: partim violento motu confertim in aquæ speciem erumpens. Appellant autem Medici, quòd ita excernitur, *Sudorem*: quòd aliter erumpit, non *Sudor*, sed ὔγρωσις, & ὑγρασία, & ἄνεσις, hoc est, *Mador*, à pleriisque appellatur. vidi *Sudor*.

Himas, affectus est *Gurgulionis*, à Corrigiarum similitudine sic dictus, cùm longior, gracilior, siccioresque evaserit: (talis enim *Loro* non ineptè comparari potest, quòd Græci ἱμὰς nuncupant) differt à *Cionide*, quòd in hâc *Gurgulio* non extenuatus est, sed crassitiem ex fluxione solito majorem ut plurimùm adeptus esse

esse videtur. Provenit, inquit Aëtius, cùm ex suffit nimium ignescit: tunc enim gracilescit, & secundum omnem dimensionem comminuitur.

Hippocratica facies, vide *Facies Hippocratica.*

Hippocraticum scamnum, est machina quædam, quam Hippocrates consulit præparandam iis, qui in aliqu magnâ urbe curaturi sunt, 1. de artic. 4.

Hippos, vide *Equus.*

Hirqui, vide *Anguli.*

Homiomeres, & *Homæomeres*, ὁμοιομερῆς, *Homogeneæ* id est, *Similares*, *Elementares*, & primæ corporis nostri particulæ, 6. de sanitat. tuend. cap. 2. quas etiam pri ma corpora vocat, 8. de placit. 8. Sic autem dicuntu partes, quæ in similes dividuntur particulas, id est omnes earum partes, tum sibi mutuò, tum toti simile habentur, quæ & simplices etiam & primæ, & in compositæ nonnunquam appellantur, quòd ex illi constitutæ sint particulæ, quæ organicæ, id est, In strumentales, sive Officiales vocantur: Sunt autem hæ; Os, Caro, Vena, Arteria, Nervus, Ligamentum, Tendo, Membrana, Adeps, Unguis, Cutis. Hi adduntur humores; ut sanguis: & qui in oculo sunt crystallinus, & vitreus humor.

Homonyma, duplicia sunt; aliqua quidem nullo pa cto inter se communicantia, & convenientia; ut, cùm Canem dicimus terrestrem, & marinum, atque hæ *æquivoca* dicimus: alia verò, quæ cum synonymis, i est, *univoca*, aliquatenus conveniunt, quatenus ab uno factam appellationem habuerint, lib. 4. de vict. rat. 13

Homoplatæ, aut *Omoplatæ*, quas *opertas scoptulas* vo cant, partes sunt, quas ii, qui toto thorace respirant, attollunt sensibiliter, & notabiliter, ex difficultate respirationis, præcordia sursum variè & inæqualiter tra hentes, 10. meth. cap. 8. vide *Omoplate.*

Homotona, vide *Continua*, & *Epacmastica.*

Horam vocat Galenus, id tempus anni, in cujus me die

dio caniculam exoriri contingit, 2. de aliment. facult. cap. 2. vide *Fugaces.*

Horarii fructus, vide *Fugaces.*

Hordeolum, est Apostema, nascens in extremitate palpebrarum, libr. de ocul. cap. 9. appellaturque *Crithe*, *Hordeum*, sive *Oculorum tuberculum*, libr. de remed. part. facult. cap. 10. vide *Crithe.*

Horectica medicamenta, quæ fastidium cibi auferunt, & appetentiam ejusdem cient, & intendunt, de Dynamid. in procœmio.

Horrida febris, φρικώδης πυρετὸς, dicitur apud Hippocratem, 1. de morb. vulg. non simpliciter ea febris, quæ cum horrore invadit (id enim innumerabilibus accidit febribus) sed exquisitus hemitritæus, in quo videlicet magnâ accessionis partem horrores sæviunt, eo maximè die, in quo tertiana, & quotidiana continua simul concurrunt, 2. de differ. febr. vide *Febris horrida.* Eam bilioſus pituitoſusque humor ex æquo mixti committunt, itaque confusi horrorem movent, non per initia modò accessionis, sed etiam per totam propè accessionem. Tunc autem duobus modis horror iste commovetur per reduplicationem, & per inæqualem incrementi motum: Hoc brevioribus horroris intervallis, illud longioribus distinguitur: Utrumque autem febri semitertianæ proprium est, propter humoris, à quo gignitur, inæqualitatem, ut docet Galenus.

Horror, est inæqualis concussio totius corporis, & punctio quædam quasi, seu ulceratio summæ cutis, & ipsius carnis sensibilis, ab humore tenui, & acri, per illam transeunte, 3. de san. tuend. cap. 5. & 10. meth. c. 4. fit eodem modo, & ab iisdem causis, à quibus rigor; sed horroris causæ mitiores, pauciores, quiescentes, & minùs motæ sunt, quàm rigoris. Nam excrementum mordax, erodens, nitrosum, salsum, amarum in cute, vel subditâ illi carne motum, ut intensione qualitatis & motus rigorem vel maximum, vel medium,

dium, vel minimum excitat, prout causæ magis v
minùs erodunt, abundant, moventur, ita paucitat
tenuitate, & motionis impetu inferius, horrorem tan
tum movet. Ut autem horror minus quiddam e
quàm rigor, sic majus quiddam est refrigeratione &
inæqualitate. Qui enim refrigerationem committit
humor frigidus est, crassus & immotus. Qui verò in
æqualitatem, minimum calidus, tenuis, motusque, u
in eâ ferè non motus, sed sensus tantum, qualis in ulce
rosâ lassitudine, vel pruritu sentiatur. Qui corpore sun
robusto, & vix patiente, horrore vel rigore minùs ten
tantur, quàm qui sunt corpore imbecillo, & sensu fa
cili præditi. vide *Frigus*.

Humeraria vena est, quæ in superficie brachii exte
riori collocata, juxta interiorem superficiem muscul
Deltoeidis, ad extremum ipsius protenditur, 3. de ana
tom. adm. cap. 5. Hanc *Omicam* Græci vocant. 1. d
anatom. adm. cap. 11. Dicitur autem *Humeraria*, ve
Humeralis, quòd obliquior à Claviculâ sensim rece
dens, se porrigat ad Humerum, lib. de venar. & arter
dissect. capit. 6. Eadem *Vena capitis*, *Cephalica*, & *Ve
na cubiti externa* dicitur; vide *Cephalica*.

Humerus, totum illud est, quòd apparet in eâ deartic
culatione, quâ superior humeri pars, quæ *Epomis*, &
Superhumeralis dicitur, ad Collum vergit, & à poste
riori parte, ossi scapulæ; ab inferiori autem, ei ossi
quod, dum totum brachium attollitur, manifestum fit
& *Ala* nuncupatur, 1. de artic. 4. & 61.

Humilis pulsus, vide *Latus*.

Humor, & *Succus*, non idem est; *Humor* enim est
humiditas quædam, quæ in corpore animantis est
Succus, humiditas est, quæ in fructibus, quibus vesci
mur, continetur, & ex medicamentis vegetabilibu
exprimitur, libr. de humor. comm. 1.

Humor urinæ, est id, quòd re ipsâ urina est, sub quo
nomine, & substantia, & color urinæ continetur; præ
te

ter hæc, quòd in urinâ reliquum est, *inhærens* dicitur, & ejusdem contentum, lib. de urinâ, cap. 1.

Humorem mucosum, eum appellare consuevit Hippocrates, qui lentore quodam & albedine præditus, ad exangues partes, id est, ossa & cartilagines, pro nutrimento cogi consuevit; cùm imbecilla ita natura est eorum, ut benè conficere alimentum in ipsis nequeat, sed quasi semicoctum relinquat, 3. de artic. 65.

Hyaloeides humor, Ὑαλοειδὴς ὑγρὸν, est humor oculi tertius, in posteriori illius sede collocatus, qui & *Vitreus* dicitur, & *Hyalinos*; qui quantò crassior & albior est sanguine, tantò à crystallino humore, humiditate secedit atque albebine, 10. de usu part. cap. 1. Hic non ambit universum crystallinum, sed dimidium tantum posteriore parte, ut qui ejus diametrum non excedat; qui à dextrâ ejus parte in sinistram ducitur. In cum usum à naturâ comparatus est, ut crystallino humori alimento esset, eamque ob causam inter eum & sanguinem propè medius factus. Vitreus hic humidus est instar vitri, à quo nomen habet, igne liquefacti, & tam albus, quàm cùm minimum nigri multò albo permistum est. Sed cùm neutri horum humorum vena insit, per Diadosim crystallinus à vitreo, & vitreus à tunicâ ipsum ambiente, quam ἀμφιβληστροειδῆ vocant, nutritur, quæ non est aliud quàm nervi optici substantia in mucum cerebro similem soluta; vide *Crystallinus*.

Hyatuli, vide *Hiatuli*.

Hyboma, Curvamen, Gibbositas, Ὑβωμα, idem est ac Κύρτωμα, vox generalis est apud Hippocratem, significans omnem vertebrarum eversionem, & luxationem, præter naturam. 3. de artic.

Hydarûs, Aquula, substratæ superiori genæ pinguedinis extimâ parte augmentum est, quâ fluunt præter naturam oculi, libr. finit. Sunt autem *Hydatidæ*, humiditates illæ, quæ circa unctuosa, & viscosa corpora per medium spatium, inter duas portiones tunicæ Pe-

rioſtii adnaſcuntur, quæ corpora molliendarum ſuâ pinguedine palpebrarum gratiâ, à naturâ fuerunt creata, 10. de uſu part. cap. 7. Pinguis autem ea ſubſtantia palpebræ cuti naturaliter ſubſtantia in aliquibus, & præſertim pueris, ceu natura humidioribus, augeſcens ſupra modum ὑδατοειδὲς parit, quæ oculum pondere ſuo gravans, fluxionem in eo excitat, facitque ut ab oculis humor præter naturam ſtillet. Palpebræ igitur hoc vitio detentis infra ſupercilia aquam intercutem repræſentant, nec ſurſum attolli poſſunt: ſi verò digitis ipſas deprimamus, inde digitos quòd medium intercedit, inflatur. Horis autem antelucanis potiſſimum defluxione tentantur, neque contra Solis ſplendores cernere ſuſtinent, ſed illacrymant, continuiſque lippitudinibus infeſtantur. Si magna ὑδατὶς eſt, non niſi manu curatur: quæ parva eſt, ſiccantibus remediis juvatur.

Hydatodes vinum, Ὑδατώδης οἶνος, eſt, quòd multâ aquâ dilui poteſt, vel jam dilutum eſt, 5. de ſan. tuen. cap. 12. Vinum autem *Oenodes* vocant, quòd multam ſuſtineat aquæ miſtionem, & imbecilles vires feriat: cui opponitur ὀλιγόφορον, id eſt, *aquoſum vinum*, quòd paucam ſuſtineat aquæ miſtionem, 7. meth. 6.

Hydatoeides, ὑδατοειδὴς ἢ ὑδατώδης ὑγρὸν, aqueus humor, unus ex oculi humoribus, cryſtallinum anteriore parte circumdans, & medium complectens. Hic totum illud ſpatium, quòd inter cryſtallinum humorem & pupillam intercedit, replet, ſectâque corneâ tunicâ primus effluit. Cenſetur autem verus humor, ut qui aquæ modo effluat, & pellucidus ſit: inde ὑδατώδης dictus eſt. Alii verò, ipſum ὠοειδὲς, hoc eſt, Ovo ſimilem, ſive Albugineum nuncuparunt, ut Aëtius, lib. 7. cap. 1. quòd magnam gerat cum ovo humore ſimilitudinem albo ac tenui. Cæterum cùm eo humore permultum etiam ſpiritus ineſt, qui oculi tunicas ita diſtendit, ut nullâ uſquam parte laxæ aut corrugatæ videamur;

deantur; magno usui est non modò replens spatium inter corneam & crystallinum medium, sed vetans etiam, ne ab externo aëre & ipse crystallinus humor, & uvea tunica exiccentur, simulque colorum discrimina primus excipiens, ne primo statim eorum objectu crystallinus perculsus læderetur.

Hyderici, qui & *Hydropici*, & *Vtricularii* dicuntur, lib. de atrâ bile, cap. 9. sunt laborantes aquâ inter cutem, 5. de loc. affect. 7.

Hyderos Phlegmatias, vide *Leucophlegmatias*.

Hyderos, est species Hydropis, quæ *Anasarca* dicitur, de symptom. caus. cap. 2.

Hydragoga medicamenta sunt, quæ aquam Utricularis, Hydropicisque educunt, lib. de atrâ bile, cap. 6. inde *Hydragogia*, Latinis *Aquæ ductus*, sanguinis lationem per venas (nomine à similitudine fluminis, ad rivos translato) significat; qui fit spiritu, unà cum caliditate per ventrem exeunte, ac deinde secum confractas nutrimenti particulas deferente; Galenus in Timœum Platonis, fol. 578.

Hydrelæum, est compositio ex aquâ & oleo, Ὑδρέλαιον, incerta autem & multiplex misturæ ratio est. Refrigerat, ideoque à Galeno adhibetur ad dolores capitis ex febre, & ciendis vomitionibus convenit, si tepida detur, 2. simpl. 25.

Hydrenterocele, Herniæ species est composita, quando videlicet, unà cum intestino, aquosus humor in Scrotum descenderit; lib. finit.

Hydrocele, vide *Cele*, *Enterocele*, & *Sarcocele*.

Hydrocephalon, est humoris aquosi, vel fæculenti sanguinis collectus tumor, in parte aliquâ corporum eorum, quæ caput concinnant, libr. finit. Est autem is humor piger & desses, tribusque in locis colligitur: aut inter Cutem & Pericranium, aut inter Cranium, & Pericranium, aut inter Cranium, & Cerebri membranas: aliqui addunt ex Aëtio quartum locum, inter

Cerebrum, & ejus membranas, sed tunc nullam recipit curationem. Puerulis maximè familiaris morbus est, & eorum proprius. Multis autem de causis aqueus ille humor colligitur, quarum aliæ evidentes, aliæ internæ sunt. Interna quidem est, cùm sponte suâ vasa capitis rarescunt, & aquosam illam substantiam, quæ sanguini mista est, in locum aliquem effundunt, unde totum caput intumescat. Externa verò evidensque causa est plaga, aut contusio, non omnis quidem, sed quæ infantibus præsertim ab obstetrice infertur in puerperio, rudiùs contracto, appressoque eorum capite.

Hydromphalon, coitio, & concretio in umbilico est lenti humoris, qui sub tunicâ ibidem congeritur, & continetur, libr. finit. Græcè, Ὑδρόμφαλον.

Hydrophobus, id est, *aquæ timidus*. Ὑδρόφοβος is propriè dicitur, qui ex morsu canis rabidi, aquam reformidat, 9. method. 5. inde *Hydrophobia*, id est, *aquæ timor*, ex rabidi animantis mordicatione prognatus. Aliis statim, aliis quadragesimo die, aliis etiam seriùs supervenit. Sed nemo eorum qui à rabioso cane demorsi fuerint, immunis ab eâ affectione est, qui neglexerit, aut malè subierit curationem, idque maximè, si corpore fuerit cacochymo & melancholico. In tantum autem aquam (nec eam modò ut fertur, sed omne etiam liquoris genus) metuunt, ut eâ visâ animo vehementissimè perturbentur. Res quidem admiratione digna, cùm ita affecti canibus ferè similes evadant non modò rabie, latratibus & morsibus æquè pestiferis, quibus obviam factos petunt, sed calidâ etiam siccâque intemperie & siti. Hujus causas qui investigarunt, existimant eos aquâ tantoperè adversari, quòd in eâ tantum in speculo, intueantur se rubenti facie, torvis oculis, & supra humanum morem efferatis: unde non aquam modò, sed quicquid etiam pellucidum est, abhorrent. Alii dicunt fieri in iis *Hydro-*

phobiam,

phobiam, quo Canis, à quo demorsi sunt, imaginem in aquâ cernere sibi videantur. Nam ut fertur, cùm Philosophus quidam eo affectu laboraret, & falsò, sicut cæteris, Canis species antè oculos obversaretur, & propterea à bibendo deterreretur, animum forciter recolligens, secumque reputans, quam absurdum sit canem in balneo versari, aquam intrepidè bibisset, sitimque explesset, curationem est consecutus. Alii, metum aquæ gigni docent, ab immodicâ siccitate, quasi in contrarium habitum mutata penitus humida eorum substantiâ. Sunt qui vanam esse hujus rei causæ inquisitionem dicant, ipsamque ὑδροφοβίαν nihil aliud esse, quàm insaniæ ex atrâ bile genus. Est enim magna hujus veneni cum eo humore similitudo, notumque est valdè differentes esse melancholiæ differentias, cùmque omnium melancholicorum communis sit metus, alios tamen alia timere.

Hydropici, vide *Hyderici*.

Hydrops, ὑδρὼψ, est aqua inter cutem, in quo per cutem extentam, sive aër & flatus, sive humor aliquis in profundo conclusus, locatur; si igitur in membranâ abdominis interiore, *Peritonæo* Græcè dicta, aër recludatur, fit Hydropis species, quæ *sicca* ab Hippocrate vocatur; si verò humor, fit *Ascites*, qui & *Hydrops aquosus* ab eodem dicitur, 4. aphor. 11. Ejus tres sunt species: prima, *Ascites*, ἀσκίτης, quæ fit, cùm inter membranam Peritonæum, & Intestina, plurimus aquosus humor coacervatur, qui locus, aquoso humore, utris modo impletus videatur, unde & *utricularem* appellant, Barbari corruptâ voce *Asclitim*. Altera, *Tympania*, Τυμπανίας, καὶ Τυμπανίτης, dicitur, qui fit, ubi flatus, ac spiritus copiosus, in iisdem ventris locis congregatur; Hoc nomine à *Tympano* omnibus notissimo instrumento, appellata est; si enim pulsetur venter inferior, instar *Tympani*

sonum edit. Tertia *Anasarca*, Ἀνασάρκη, ὑποσάρκη, καὶ Ἀδιαφλεγμασίας, dicitur, fitque quoties per totum corpus humor pituitosus diffunditur, adeò ut instar spongiarum, aut papyri, universa caro permadida appareat, ideòque in eâ totum corpus intumescit, ac mortuo simile evadit. Sed omnium ferè communia ista sunt, quòd jecinore vehementer refrigerato oriantur, sintque depravatæ sanguificationis symptomata, sive primariò propter phlegmonem, aut scirrhum, aut aliud vitium, jecur malè affectum sit, sive lege consortii, quod illi cum aliis partibus intercedit, quodque omnis à cachexiâ initium sumat. Fieri quidem non potest ut hydrops ullus citra hepatis refrigerationem gignatur: id quod illi contingit tum per se, tum etiam liene, aut ventriculo refrigerato. Compatitur præterea alvo & intestinis, maximè jejuno, pulmoni, renibus, & septo transverso. Sed & immodica per hæmorrhoidas, aut uterum, aut dysenteriam, sanguinis evacuatio, hydropem gignit, sicut & consuetæ vacuationis suppressio: His enim de causis refrigeratur hepar, postverò aliquando & durum fit. Quamvis autem frigida intemperies hydropem pariat, omnes tamen hydropici & febricitant & sitiunt, quod humor circa viscera desses nec perflatus, salsedinem putredinemque colligat. Sed febris quamvis assidua, lenta tamen est, cum pulsu parvo. Adhæc omnes spirandi difficultatem, tumorem, gravitatem, colorem vitiosum, cibique fastidium incurrunt.

Hydrops aquosus, & *siccus*, vide *Hydrops*.

Hydrops matellæ, vide *Diabetes*.

Hydrops in vas urinale, vide *Diabetes*.

Hyeloeides, vide *Crystallinus*.

Hygieia, id est, *Sanitas*, est affectio, constitutioque partium, cujus ope, functiones secundùm naturam edimus, 1. meth. 9. Inde ὑγιεινὴ salubris medicinæ pars est, quæ sanitatem tuetur, & imminentes morbos præ-

cavet,

cavet, libr. Introd. cap. 7. ὑγίεια (per syncopen ὑγεία) Emplastrum etiam Cephalicum est, quòd & *Panaceam*, & *Trium fratrum* vocant. Heras ὑγιεινὸν facit ad nomas, & omnia ulcera maligna. Valet ad plurima, ad quæ commendat ipsum Aëtius, libr. 13. cap. de Emplast. Cephal. ὑγιεινὸν verò, cæteras medicinæ partes dignitate antecellit, duobusque summis continetur præceptis: optimè valentia corpora similibus esse conservanda: quæ parùm ab optimâ constitutione desciscunt, aut quodammodo ad neutrum statum accedunt, modico contrariorum usu ad mediocritatem revocanda esse. Itaque ad eam pertinent aëris, cibi, potus, exercitationum, somni, vigiliarum, excretionum, atque affectuum animi discrimina; de quibus Galenus copiosissimè disseruit. ὑγιεινὸν, salubre tripliciter apud Medicos dicitur: ut corpus, ut causa, ut signum. Salubre autem corpus tripliciter dicitur: aut simpliciter, quòd ab ipso naturæ ortu bonam habet temperaturam in simplicibus & primis particulis, atque in his quæ ex ipsis componuntur, est commensuratum, aut, ut nunc, quòd in præsenti est, sanum. Est verò & hoc ipso tempore quo sanum existit, si non optimam, at sibi propriam habens temperaturam, ut multum autem, quòd à constitutione optimâ non admodum deficit, ut explicat Galenus in art. med.

Hygrocyrsocele, id est, *aquosus*, simul & *varicosus ramex*, est dilatatio vasorum testem nutrientium, & lenti humoris copiosissimi in Scroti aliquâ parte collectio, lib. finit.

Hymen, Hymenœon, vide *Colliculum*.

Hyoeides, sive *Hypsiloeides*, sive *Lambdoeides*, à similitudine, quam cum ϒ, & Λ, (quæ inversa, non est valdè dissimilis ab *v*) Græcis litteris obtinet, dictum est os capiti gutturis incumbens, rectum secundum colli longitudinem, & leniter cavum, pluribus osciculis contextum, & ad radicem linguæ situm, firma-

mentum est linguæ & laryngis musculorum. Os namque ejus maximum, quòd totius ossis velut basis est, anteriore parte ad securitatem gibbum est, posteriore linguam spectante cavum, ad continendum. Huic autem alia duo utrinque ossicula, velut duo cornua uniuntur: unum brevius & inferius, osse unico constans, in thyreoeides (est autem laryngis cartilago) apophysim prælongam inserto: alterum gracilius, longius, rotundius, ossiculis tribus vel quatuor colligatis invicem, ad styloeidis radicem ascendentibus conflatum. Quo loco quibusdam, præsertim mulieribus ligamenta sunt tantùm sine ossiculis, ab osse hyoeide ad styloeides ascendentia. Est autem os hyoeides quadrupedibus multum diversum ab humano, libr. de muscul. dissect. cap. 13. quod & *Pharyngethron* vocant, lib. de vocal. instr. dissect. capit. 6.

Hypelata, *Catotherica*, sive *Dejectoria medicamenta*, sunt, quæ renes, vesicam, & gibbam jecinoris partem, cum multo vitioso succo sunt referta, expurgant, 7. method. 13.

Hyperbolica figura corporis est, quoties quatuor membra, Græcè Κῶλα, id est, *Crura*, ac *Manus*, aut summè extenduntur, aut immodicè inflectuntur, ipsa item spina, cujus partes vertebræ quoque in cervice existunt, cùm plus nimium incurvatur, aut extenditur, 1. prognost. 13.

Hypercatharsis, Ὑπερκάθαρσις, *Superpurgatio*, immodica est ex medicamento violentiori epoto purgatio, in causâ ergo est vis nimia medicamenti, quòd vasa ad ventrem attinentia, mordens, aperiens, & continenter irritans, atque convellens, corpora tota, eorundemque omnes vires naturales cumprimis enervat ac dissolvit. Sed cùm initio vasa modicè pateant, nec multùm imbecilla sint, non nisi quòd tenuissimum est, minimèque naturæ familiare excernitur. Tandem verò vasis tum multum dehiscentibus, tum imbecillioribus red-

redditis, succedit eorum vacuatio, quæ sunt naturæ chariſſima. Quamobrem in ὑπερκαθάρσει primùm flava bilis, deinde pituita, demùm atra bilis, poſtremò ſanguis, (quippè quem ſanguinem natura habet familiariſſimum) excernitur, initio tenuiſſimus, demùm craſſiſſimus: Itaque medicamento dato pituitam ducente, ſi immodica fiat purgatio, primum flava bilis, mox atra, ultimo loco ſanguis excernitur. Si verò quòd flavam ducat bilem exhibitum ſit, pituita ſequetur, tertia atra bilis, quartus tandem ſanguis. Quod ſi medicamentum datum ſit atram bilem purgans, eam quidem primùm vacuabit, deinde flavam, poſtea pituitam, poſtremò ſanguinem, tanquam ex inanitis jam vaſculis effluentem. Cùm enim ea non ampliùs in ſe continere alios ſuccos præ imbecillitate poſſint, eorum verò ora aperta fuerint, nec irritare medicamentum deſinat, nec familiarem præterea ſuccum poſſit attrahere, neceſſe eſt reliquos eo ordine, quem diximus, excerni. Si verò humoris vel ſanguinis evacuatio, ſpontè fiat, à naturâ, vel ſanguinis, vel humorum multitudine aggravatâ, & ad ipſorum quæ oneroſa ſunt, evacuationem excitatâ, & modum obtinere nequeunt, *Hypercriſis* dicitur, ſeu *Supervacuatio*, 3. prorrhet. 5.

Hypercriſis, vide *Hypercatharſis*.

Hyperoa, ὑπερῶα, eſt pars oris ſuperior, modicè concava, foraminulis pertuſa, per quæ à cerebro pituita ad os deſcendit. Extenditur à faucibus ad dentes uſque, & in fornicis aut cameræ modum concava eſt, ſed leniter, nec ſupra modum, ut iis accidit qui ſunt acuto capite, ut libr. 6. Epidem. Hippocrates annotavit, Latinè *Palatum*, & *Baſis cerebri*, *oſſe ſphenoeide firmata*; quòd propterea Galen. τὸ κατὰ τὴν ὑπερῶα ὀστοῦν aliquando appellat.

Hyperſarcon, ulcus eſt, cui caro ſupercreſcit, veluti *Hyperſarcoſis*, carnis excreſcentia, ὑπερσάρκωσις Græcè, 2. meth. 2. & 3. meth. 6. Neque in ulceribus ſolùm, verùm

verùm etiam in oculis, auribus, gingivis, naſo, teſti culis, & aliis pleriſque partibus caro ſupercreſcit. E igitur morbus in incommoderatione magnitudinis, ſi ve ex eo genere quòd in quantitate, magnitudinév partium ſpectatur: Itaque vel exſcindi debet, vel me dicamentis cathæreticis abſumi. Hujuſmodi incre menti præcipua cauſa eſt boni ſanguinis in carnem ube rior affluxus: Quare curatio ejus perficitur iis, qua contrariam ſarcoticis habent facultatem: vocantur au tem ea καθαιρετικά.

Hypezocotes membranæ, ſive *Subcingentes*, ſunt, qua telæ araneorum ſimiles, naturâ ſimplices, internan utramque thoracis regionem ſubcingunt: quæ vero rectæ ad jugulum uſque perferuntur, *Diaphragmontes* id eſt, *Intercipientes*, ſive *Interſepientes*: ubi autem pul moni cohæreſcunt, hujus *Operimentum* dicuntur, 5. d anat. adm. capit. 8. Has ipſas pleuræ tunicas, omnium ſpirationis inſtrumentorum communes eſſe, commu nemque iis largiri tunicam, ſcribit Galenus, 7. de ana tom. adm. cap. 2. vide *Cingentes*.

Hypnoticum medicamentum eſt, quòd ſomnum conci liat, Ὑπνωτικὸν, Soporemque & Cataphoram, epotum molitur: refrigerat enim corpus, & ſenſum eò uſque ſtupefacit, ut, ſi paulò liberaliùs ebibatur, mortem quoque afferat, 5. ſimpl. cap. 19. vide *Narcoticum*.

Hypocaumata, id eſt, *caloris noſtri fomites*, aliment nominant juxta omnium philoſophorum dogma, qu eorum, quæ animalia conſtituunt, Elementorum Ignem maximè vitæ eſſe cauſam exiſtimarunt, qui rur ſum ſuis pabulis, tanquam alimentis alitur, ut lucernæ flamma, oleo, 1. aphor. 14.

Hypocheomenu, id eſt, *Suffuſi*, 6. de ſanitat. tuend. cap. 9.

Hypochondria, id eſt, *Subcartilaginea*, aut quaſi dicas, *ſub cartilaginibus poſita*, ſunt partes illæ, quæ ſub ventriculi ore, ad partem exteriorem apparent, cujuſmodi

ſunt

sunt musculi, qui expansi, membranæ prætenui, veluti Araneæ, quam *Peritonæon* vocant, incumbunt, extrinsecus verò cute conteguntur. Æquivocatur autem cum his vocabulo, etiam interiora viscera vocamus *Hypochondria*, quoniam & ipsa sub cartilaginibus notharum costarum ab interiori parte existunt, libr. Intr. cap. 10. In priori significato, dictum, *febres ab Hypochondriis moderatæ*, id est, omnium febrium acutarum, quæ ab *Hypochondriis* proficiscuntur, sunt mitissimæ: in posteriori significato, quando voce *Hypochondriorum* complectimur, Ventrem, Jecur, Lienem, & Septum transversum, quædam *malignæ*, quædam *mites* sunt, com. 2. in 3. de morb. vulg. Atque in hoc secundo significato, *Hypochondrion*, Ὑποχόνδριον, ab Epigastrio non distinguitur. Ubi Hippocrates *Hypochondrium* simpliciter nominat; dextrum interpretatur, propter excellentiam, quæ præstat alteri.

Hypochondriacus, sive *Flatuosus affectus*, qui & simpliciter *Melancholia* dicitur *Hypochondriaca*, morbus est ex tertio melancholiæ genere, à ventriculo & finitimarum partium ex affectu p. n. ortum ducens, pravis symptomatibus stipatus, imprimis metu, & mœstitiâ. Idem alvi dejectione, vomitione, probâ concoctione, & ructibus levatur, 3. de loc. aff. cap. 7. Græcè Ὑποχονδριακὴ μελαγχολία dicitur.

Hypochyma, (quæ & *Hypockysis*.) est crassi humoris coalitio, in corneâ membranâ, vel inter corneam, tunicam, & crystallinum humorem, juxta pupillam concretio: Quâ in re; *Hypochymatos*, & *Glaucomatos*, differentiam recentiores posuere, dicentes, τὸ ὑπόχυμα, non aliud esse, quàm humorem illic concretum; Γλαύκωμα autem alterationem esse humoris crystallini, in glaucum colorem ab humiditate quâdam intra ipsum congestâ, cùm tamen veteribus Medicis, idem esset uterque affectus: nec tamen hoc solo differunt, sed etiam, quòd omnes suffusione laborantes, lucem videant

deant multam, aut paucam : qui verò γλαύκωμα, quī que ἀμαύρωσιν, patiuntur, lucem omninò nullam cer nant. Est autem *Suffusio* duplex ; una, propriè dicta quæ est oculorum per se suffusorum morbus, ab hu more crasso pupillam obscurante ; altera verò impro priè, in quâ oculi non primò, & per se patiuntur, se visa quædam visis propriè suffusorum similia repræ sentant, quæ est per consensum suffusio, (ut illa pe essentiam) sive à ventriculo sursum ad oculos ascen dendo, sive à cerebro deorsum, sive à toto corpore, u in febribus, crisi instante per sanguinis fluorem è nari bus. vide *Glaucosis*. Alia etiam Suffusio recens est, & quæ nondum radices egit; alia verò confirmata est, & ex toto concrevit : quas quomodo ab invicem distin guere oporteat, Paulus libr. 6. hoc modo explicavit Oculus suffusione tentatus, concluditur, & palpebr magno digito ad oculum premitur, eique adducitur simulque hâc illâc exprimitur, deinde oculo aperto perattentè suffusionem contemplamur : in iis enim i quibus humor nondum coaluit, fusio quædam ex di giti impressione oboritur, ac primùm latior apparet rursus in suam & figuram & magnitudinem recurrit At in confirmatis suffusionibus nullâ immutatio, ne latitudinis, nec figuræ, ex impressurâ obvenit. Quo niam verò commune hoc est signum, & eorum in qui bus modicè, & illorum in quibus supra modum hu mor concrevit, colore ipsas discernemus. Nam si fer ri, aut marinæ aquæ, aut plumbi colorem suffusio ha beat, moderatè coaluit, & ad eductionem idonea red ditur : si verò gypso aut grandini similis color suffu sionis est, supra quam par est, concrevit.

Hypogastrion, vide *Abdomen*.

Hypoglossis, medicamentum est, leniens, lævigans & corrigens asperitates asperæ arteriæ, quin & omne quòd in viis spiritalibus inflammationis reliquum est concoquit, & persanat ; quod medicamentum, qui

lingua

linguæ subditur, eoque paulatim liquescente, asperæ arteriæ summum madescit, & irrigatur, ob id ὑπόγλωσις dicitur, de quibus sub linguacibus præsidiis, Galenus fusè, 7. de comp. med. loc. Ejusmodi pharmaca parantur ex passo, gummi, tragacanthâ, glycyrrhizâ, quibus si libet addere detergentia, convenient mel despumatum, amygdalæ, resina, terebinthina, ficus, uva passa, semen iridis, & alia hujusmodi. Oportet autem reniti tussi, & ne excitetur cavere. Obluctantes autem ut ne tussiant, quòd ex pharmaco defluit, in asperam arteriam excipient; vide *Arteriace*. Hypoglossis etiam dicitur inferior linguæ pars, quæ subjectam attingit maxillam.

Hypophoræ, sunt fistulæ, & vitia profunda, quæ dehiscunt, ut sinus, ulcera, aliaque hujusmodi omnia, quæ ex defectu repletionẽ desiderant, atq; indicant, l. Intr. c. 3.

Hypophysis, seu *Hypochysis*, id est, *Suffusio*, 3. meth. 2.

Hepopyos vocamus, quibus pus in oculis congregatum est, quòd vacuari solet, divisâ eâ tunicâ, quæ cornu est similis, paulò supra locum quo committuntur inter se tunicæ oculi universæ, quem alii *Irim*, alii *Stephanon*, alii *Coronam* vocant, differtque ab *Hypochymate*, in quo non pus, sed levis quædam nebula, tunicis oculi interponitur, 14. method. cap. 19. Quòd autem *Hypopyon* sub oculis fiat, nomen ipsum indicat, idem enim est, veluti si quis *Hypophthalmiam* dicat, quòd ipsum sub oculis sonat. Est autem ex genere effusionum, & Ecchymomatum appellatarum; Appellant ita Hippocrates, & alii multi Medici, circa cutem affectionem, cum tenuibus in ipsâ venis contusis, sanguis per fissuras effunditur, non uno loco acervatim, ac statim ita excretus in grumos coït; sed postquam per Diapedesim, effusio ista est facta, tunc enim temporis progressu, contingit livescere & denigrari oculum, parvis nimirum grumulis, ex dispersо in multas cutis partes sanguine coactis, 5. de compos. medic. loc.

loc. capit. 1. & libr. de Virtute Centaureæ, capit. 4. Ὑπόπυον καὶ Ὑπούας Græci vocant. Sunt autem Ὑπώπια symptomata dolor pulsatorius vehemens, rubor oculi totius, & temporum dolor.

Hypophthalmia, & *Hypophthalmium*, vide *Hypopyos*.

Hypofarca, quæ & *Hypofarcidium*, & *Epifarcidium* dicitur, species hydropis est, in quâ habitus totius corporis pituitâ plenus redditur, 4. de rat. vict. 11. vide *Anasarca*.

Hypofphegmata, plagas oculi illatas, & obortas ex eius cruentas suffusiones, appellant, 4. de compos. medic. loc. cap. 3. species τῶν ἐκχυμώσεως. Fit autem cum ruptis aut contusis ex plaga vasis, quæ in oculorum tunicis habentur; sed iis maximè, quæ sunt in adnatæ membranâ, sanguis sub eam subit; ac primum quidem is rubet, postea verò livescit. Eorum qui sic affecti sunt, hoc unum symptoma esse dicitur, quòd quæcunque videant, rubra esse putent, ut Galenus libr. de sympt. caus. annotavit, sed præsertim recente malo: ob id etiam ab Archigene αἱμάλωπα dictum esse putant: Sed tamen αἱμάλωψ generaliùs dicitur, quàm ὑπόσφαγμα.

Hypospadiæi, Ὑποσπαδίαιοι, ii sunt, quibus ob vinculum, quòd ad finem virgæ habent, meatus seminalis est contortus, & ob læsa genitalia steriles sunt, non quòd semen fœcundum non habeant, sed quòd in virgæ flexibus hærens ferri prorsus nequeat, rectà in uterum, quam rem curatio ipsa comprobat, vinculo enim abscisso, generant, 15 de usu part. capit. 3. Κύμα, sive κυνοδέσμιον, hoc est, Canem, vel Caninum vinculum vocant id, quo cutis membri genitalis cum Glande colligatur; vitium id à primâ origine contrahitur. Et quia Glans non recta forata est, sed sub eo vinculo qui sic affecti sunt, urinam quoque anterius facere nequeunt, nisi pudendum ad pubem reflectant; differunt δὲ τῷ ἀσχίτοι. Quod ἄτρητοι dicantur tam viri quàm mu-

mulieres, quibus anus aut genitalia perforata non sunt, ive id ex naturâ sit, sive ex morbo acciderit, carne vel membranâ supercrescente, & meatum obstruente.

Hypostasis, sive *Sedimentum*, est id, quòd in urinâ residet, tanquam crassior urinæ portio, & in sanis quidem tertiæ concoctionis excrementorum, in ægris verò morbidi succi pars, ab urinæ liquore secreta, & in fundo subsidens, lib. de urinis, cap. 16. Licèt generaliter quidquid subsidet, atque in imo cujusque liquidioris excrementi subsistit, *Hypostasis* sit; quæ crassior urinæ pars, si ad supremam superficiem terminatur, dicitur *Nubecula*; si ad mediam regionem, *Suspensum*; si profundiore parte inferiorem locum occupet, dicitur *Hypostasis*; ibidem, cap. 21. quæ si divulsa non sit, sed continua, apud Hippoc. dicitur *Plana*; quòd si per omne tempus sui similis est, ita ut, si primo die sit cocta, sit etiam postero die; & insuper quæ sedimentum, & humorem urinarium habet non distantem à se, sed totum sibi æqualem, quæque continuò sibi similis perseverat, *æqualis* apud Hippocratem dicitur, ibidem capit. 38. Optima urina vesicæ (cui maximè facultas inest urinam concoquendi, sicut & renibus attrahendi) optimè se habentis indicium primò est; secundò, renum; tertiò, sanguinis & vasorum quibus ipse connectetur; quartò, jecinoris; deinde verò ventriculi. Sic enim urinæ concoctio procedit, nec potest subsequens præcedentis vitium omnino corrigere & abolere. Quamobrem si optima est *Hypostasis* è vesicâ prodiens, omnibus iis in partibus optimam factam esse concoctionem testatur, & proinde partium solidarum robur, vimque caloris nativi ostendit, sicut è contrario mala, partium solidarum, & caloris imbecillitatem, à quo certum est, omnia naturæ opera perfici. Ad hunc modum in mammis lac, in testibus semen, in abscessibus pus album evadit, ex continuâ vasorum, nervorum, ligamentorum, membranarum, cartilagi-

num,

num, ossium, & reliquarum solidarum partium; quæ sunt in sede affectâ, alteratione. Quòd ad ejus substantiam quoque pertinet Hypostasin, & consistentiâ & copiâ mediocrem esse oportet, præterea, quæ omnium maxima laus est, albam, lævem, & æqualem. Horum enim trium signorum in Hypostasi tanta vis est, ut iis tantùm tribus optimam urinam Medici definierint. Si enim hæc adsint, reliquorum nullum omnino defuturum videtur: Sunt namque perfectæ concoctionis indicia, ex quâ reliquæ omnes notæ dependent. Nec tamen ulla Hypostasis perfectè cocta est, sed cùm sit ex genere excrementorum, aliquid præter naturam in se contineat, necesse est. Quicquid enim alimenti in sanguinem converti non potest, subsidet in urinâ. Itaque prout concocta apparet, sanguinem etiam unde manavit, tantùm decoctum esse declarat. Crassa enim crassum, sublimis flatulentum, flava biliosum, livida vel nigra melancholicum aut corruptum significat. Ex consequenti verò caloris nativi, à quo concoctio perficitur, vim aut imbecillitatem denotat.

Hypothenar, id est, *subvola*, pars ea manus est, quæ opponitur *volæ manus*, quæ *Thenar* dicitur, libr. Introd. cap. 10.

Hypsiloeides, vide *Hyoeides os*.

Hysteta, id est, *Uterus*, *Vulva*, *Matrix*, fœtus gestandi sive generationis organum, foris nervosum, intus carnosius, diciturque à Græcis ὑστέρα, quòd postrema sit partium omnium, lib. finit. Unde *hysterica mulier*, id est, ab utero suffocata, sive hunc affectum *uteri suffocationem*, sive *spirationis ob uterum ablationem* vocites, quæ interdum mulieres, sine sensu immobiles jacent, cum nullo, aut parvo, aut quam obscurissimo pulsu, interdum mitiori existente malo sentientes, & moveri potentes, atque integrâ ratione: tamen animi defectione, & difficili spiratione laborantes, etiam crura, & brachia contrahunt, 5. de loc. aff. 5. *Præfocatas* etiam

utera-

uterarias vocant, id est, utero laborantes, comm. 1. in 6. de morb. vulg. 2. unde *Hysteralgia*, uteri dolor: *Hysterícus typus*, & *morbus*, accessionis est retardatio, cùm posterior accessio seriùs invaserit, quàm præcedens.

I.

IANITOR, vide *Pilωros.*

Ianitrix vena, id est, *Vena porta*, 6. de placit. cap. 5.

Ichor, est tenue excrementum ulceris, ut sordes crassium, 3. method. 3. Vocat etiam *Ichores* Hippocrates, tenues, acres, aquosas, & mordaces sanguinis humiditates, sanguinis veluti vehicula, 4. de rat. vict. 2. Appellat adhuc *Ichores*, superfluas sanies, quas corpus acervat, ex quarum vapore, non solùm capitis dolores nonnullis oboriuntur, sed etiam suffusorum, symptomata; aliquibus verò & Comitialis convulsio concitatur, 6. de sanitat. tuend. capit. 9. Dicuntur adhuc *Ichores*, fluentes humiditates ex Coryzâ, & Catarrho, 2. de rat. vict. 44. Græcè ἰχὼρ dicitur; ex Latinis quidam vertunt, *serosum humorem*, quidam *aquosum*, quidam *tenuem*, alii verò, *saniem* interpretantur. *Ichoroeides* autem *sanguis* non simpliciter tenuis, & aquosus ab Hippocrate vocatur: sed qui venenosâ aliquâ, & malignâ facultate præditus sit: unde Galenus ex Platone: *Ichor* autem, sanguinis quidem serum, mitis; nigræ verò, bilis, acris, & ferus. *Ichoroeides* quoque sanguis vocatur, in seipso pravam ac tenuem humiditatem continens, mordacem, & erodentem, non aqueam, & morsu carentem, commentar. 2. in 6. de morb. vulg. 38. Celsus lib. 5. capit. 26. ἰχῶρα dicit saniei speciem esse tenuis, subalbidæ, & ex malo ulcere exeuntis, maximèque ubi nervo læso inflammatio secuta est. Ego verò sic dijudicandum censeo, ut intra corpus quidem ἰχὼρ, aquosa vel serosa humiditas;

sive sanguinis, sive alterius humoris Latinè reddi possit, extra corpus verò saniem verti debere. Sic Plinius inassati jecinoris saniem appellavit, eum humorem significans, qui à jecinore, dum assatur, emanat. Itaque apud Galenum, tenue in ulceribus excrementum non absurdè sanies exponitur. Et in capitis vitiis, quæ ἀχῶρες vocantur, ἰχῶρες sanies non ineptè verti possunt; vide *Sordes*.

Ictheros, est discoloratio ex flavâ bile, sui servante naturam, unà cum sanguine per totum corpus delata, 2. ad Glaucon. 1. sic dictum hoc malum, vel ab Ave, quæ Græcis Ἴκτις, Latinis verò *Galbula* dicitur; hæc enim si spectetur, sanari malum dicunt, & Avem mori; vel ab Ave, quæ *Ictinos*, Ἴκτινος Græcis, *Milvus* Latinis appellatur; oculi siquidem, hoc vitio laborantium, Milvinis oculis similes, hoc est, Auricolores videntur; vel à mustelâ sylvestri, quæ auricolores oculos habet, & Græcis Ἴκτις, Latinis *Viverra* nominatur. Etiam *Regius morbus* dicitur, quoniam mulso (quod genus potionis in Regum delitiis erat) curabatur, rebusque omnibus hominis mentem exhilarantibus. *Aurigo* quoque nominatur à Celso, ab Auri colore, quem bilis, per universum diffusa corpus refert. *Arquatus* denique nuncupatur, quod ejusdem coloris respectu referat cœlestis arcus similitudinem. Oritur propter causarum diversitatem: Aliquando enim fit ab obstructione illius vesicæ, quæ bilem excipit. Tunc autem bilis non patentibus illis meatibus, per quos secerni & evacuari debet, regurgitat in jecur & venas, & sanguine permistâ effunditur in universum habitum. Inde tota cutis flavescit aureo colore, sed inprimis oculi, in quibus vitiosus color propter ingenitum illis candorem magis conspicuus est. Et quia destinatis à naturâ locis non potest excerni, maximâ sui parte propellitur à naturâ in renes unà cum urinâ, eamque colore suo inficit, & crassam impuramque reddit: è contrario autem

autem inteſtina bile vacua ſunt, & eorum excrementa candida; dejiciendi autem cupiditas nulla vel ſegnis admodum. Alia *Icteri* ſpecies eſt, quàm nulla parit obſtructio, ſed vel calida & ſicca totius corporis, maximéque hepatis intemperies, vel facultatis ſecretricis imbecillitas: illa quidem quòd multam bilem gignat toto corpore, hæc verò, quòd genitam ſecernere à ſanguine non poſſit. Ea hoc uno argumento maximè deprehenditur, quòd inteſtina, & quæ in his continentur excrementa multâ bile, perinde atque reliquæ corporis partes, perfuſa ſint. Ad hanc ſpeciem referri poterit is *Icterus*, qui à venenatorum morſibus aut potu pharmacorum deleteriorum ſolet contingere, quique naſcitur ab omni alio jecinoris vitio quo ſanguis depravatur, & flavus, vel porraceus, vel pallidus, vel plumbeus evadit, ſive id inflammatio ſit, ſive durities, ſive compoſitus ex utroque morbus. Tertia autem *Icteri* ſpecies eſt, qui fit per morborum bilioſorum criſes. Natura enim aliquando bilem quæ morbum fecit ad cutem propellit, unde color bilioſus univerſo corpori inducitur. Cæterum, quæ dicta ſunt omnia, communia ſunt tam flavo quàm nigro Ictero: niſi quòd Icterus niger non fit obſtructione illius veſiculæ bilem continentis, ſed lienis, quodque in eo non flava bilis, ſed nigra effuſa ſit in corpus, & proinde color non flavus, ſed niger appareat.

Ictus, eſt arteriæ motus, tactui occurrens, *intervallum* autem, eſt tempus interpoſitum inter duos Ictus, quo diſtenditur, contrahiturque arteria, de puls. ad Tyrones, cap. 4.

Idea morbi, id eſt, *Morbi eſſentia*, 3. de criſ. 4.

Idiopathia, ἡ ἰδιοπάθεια, proprius affectus eſt, qui & αὐτοπάθεια, id eſt, primarius affectus dicitur, ex adverſo diſtinctus ab *affectu per conſenſum*: ſeu per vicinam, & ſecundarium, ſeu poſteriorem: Ei verò, qui per conſenſum infeſtat, qui συμπάθεια, quod δυσπαθεια

πάθετα dicitur, proprium opponimus, 1. de loc. aff. 3. Per *consensum* autem *affici* tribus modis membrum aliquod dicitur, vel propter viciniam, vel propter familiaritatem generis, vel operis: *generis*, ubi nervosum nervoso, venosum venoso consentit; *operis*, cùm mammæ, & thorax, partibus genitalibus condolet, com. 3. in 3. de morb. vulg. 4. vide *Sympathia*.

Idiosyncrasia, id est, corporum proprietas, & conveniencia, ac cujuslibet peculiaris temperatura, 3. method. 2. & 7.

Iecoraria vena, vide *Cava vena*.

Iecoris vena, vide *Choledocos*.

Iecur, vide *Hepar*.

Jejunum intestinum, secundum est intestinum in ordine, quòd à Duodeno intestino (quòd vocant) multifariam in orbes convolvitur, vasorum complurium serie contextos: Dicitur autem *jejunum*, quòd semper cibo vacuum reperiatur, 6. de anatom. admod. cap. 9. quapropter Νῆστις, hoc est, *jejunum*, appellatur, quòd semper inane permaneat, nec tantillum quidem in se ipso alimenti contineat, 5. de usu part. cap. 3.

Ignem, suo more Hippocrat. *febrem vehementissimam* appellat, com. 3. in 1. de morb. vulg. 19.

Ignis sacer, id est, *Erisypelas*, 8. de plac. 4. & libr. de purg. med. fac. cap. 5. vide *Sacer ignis*.

Ile, aliàs, Κενεὸν, locus appellatur, qui est inter thoracem, & os coxæ, propterea quòd Κενεὸν, id est, cavum, & vacuum, depressumque est, 2. de his quæ in medic. 16. Tota ea regio inanis videtur, si tam cum inferis quàm superis partibus, utrisque ossei conferatur. Quem locum etiam Græci Λαπάρην appellant, qui inter thoracis & ilium ossa subsidet, propterea quòd eo loco cingulum circundatur, unde & Λαγόνας ἰξύων etiam nominant, secundo de fract. 70.

Ileon, εἰλεὸν, intestinum est ordine à ventriculo tertium, quòd incipit ubi jejunum desinit; eo scilicet loco,

loco, in quo chylus jam crassior effectus incipit consistere: chylus enim admodum liquidus è ventriculo prodiens, facilè per Ecphysim & Jejunum intestinum effluit: exactus verò à venis quæ jejunum circumstant, attractaque liquidiore ejus parte, paulò crassior redditur, & in Ileo diutius cunctatur, præsertim obtusâ jam bilis acrimoniâ in Ecphysim excretæ. Ileoque ab eâ minus demorso atque irritato, diciturque εἰλεὸν, à multis anfractibus, & circumvolutionibus, idem verò & λεπτὸν, hoc est, *tenue*, simpliciter dicitur, nomine duobus etiam superioribus communi. A quâ parte affectâ, obstructâ, & inflammatâ, nomen desumpsit is morbus peracutus, qui *Ileos*, Græcè ἐιλεὸς appellatur, sed nihil vetat in crassiori intestino colo, eundem affectum progigni, sed mitiorem, & minùs mortiferum, comm. 2. in 3. de morb. vulg. Licèt aliqui eundem in pleniore intestino factum vocent εἰλεὸν, in tenuiori ἐιλεὸς, (cùm priùs χορδαψὸς diceretur) quòd per eum intestina εἰλεῖσθαι, id est, *convolvi*, videantur: unde quidam Latinè *Volvulum* dixere: *Chordapsum* autem, quòd qui manum loco dolenti admoverit extensione, τὴν χορδὴν ἅπτεται, hoc est, *Chordam attingere* videatur, 3. aph. 22. & 6. aph. 44. Sunt autem hujus morbi symptomata, signaque ventris tormina, stomachus multâ humiditate perfusus, exolutiones animi, ructus inanes, vomitus pituitosi & bilioſi, & inde aliquando desipientiæ, & convulsiones. Morituris verò sudor frigidus, urinæ difficultas, podex ita astrictus, ut vel specilli extremum nequeat admittere, & vomitio stercoris. Verùm hæc omnia non omnibus pariter contingunt: unum tantum est huic morbo proprium inseparabile, quòd nihil ad interiora descendat, nisi fortè liquida quædam pauca & serosa. Vomitus non semper adest, sed morbo tantum exitiali. Quòd si vehementiùs æger laboret, stercus in os usque ascendit, & singultus oritur. Cùm enim intestina, quæ hoc malo tentan-

tur, appetant à se expellere quòd nocet, quòdque jam longo tempore cæpit esse molestum, nec se propter obstructionem exonerare possint, concitant violentiùs noxiam materiam, & in partes superiores contra naturam propellunt. Obstructionis autem causæ sunt cruditates, & continua ciborum corruptio, lethalia medicamenta, Enterocele, Inflammatio. Colicus affectus, & aliquando stercoris nimia resiccatio.

Ilingus, ἴλιγγος, est tenebricosa vertigo, quæ fit, cùm humor crudus, cum flatuoso crasso spiritu, in capite movetur, & idcirco præcedit Epilepsiam, & Apoplexiam, 3. aphor. 17.

Ilium, λαγόνων ὀστοῦν, est apophysis ossis sacri, superna, & ampla, continens intus ventris imi partem plurimam, tangensque Ilia. Os enim sacrum tres habet apophyses rectas, nec deorsum, nec sursum repentes, *Ilium*, *Coxæ*, & *Pubis os*: tamen os totum, sæpè Os *ilium* vocamus, quòd id magnitudine, & crassitie præpolleat reliquis.

Illegitimæ costæ, quæ *Nothæ*, *Spuriæ*, & *Mendosæ* dicuntur, 5. de anatom. admod. cap. 1. cartilagineæ admodum existentes, sunt quatuor ultimæ costæ, quæ ad pectoris os non pertingunt, 8. de anat. adm. cap. 1.

Illisio, vide *Collisio*.

Illosis, ab ἴλλω, *Oculus*, & *Strabismus*, seu *Strabilismus*, sunt invitæ, musculorum palpebras moventium, concussiones, 2. de sympt. caus. cap. 1.

Ιμάς, vide *Gargareon*.

Imbecilla corporis pars est, vel quæ à primo ortu suo, & naturâ, est intemperatior, vel quæ ex præcedente aliquo morbo, intemperiem contraxit, vel quæ ex præsenti affectu intemperata reddita, promptiùs verò in iis partibus imbecillibus supervacaneum, qualecunque id sit, & morbidum congeritur, & suscipitur, quàm in membris fortioribus, 11. meth. 20.

Immutatus morbus est, cujus longior est accessio, & minor

minor satis remissio ; quo genere Antiqui *Typum quotidianarum, & semitertianarum* reponebant, lib. de Typis, cap. 3.

Impetigo, Λειχὴν, est summæ cutis asperitas cum multâ prurigine, squamis, & furfuribus, lib. finit. *Agrestes* verò *impetigines* nominant, quæ à medicamentis imbecilliter siccantibus, nihil juvantur, à validis irritantur, 6. de comp. med. per gener. cap. 2. Ea autem *Impetigo*, quæ cum pruritu fit, etsi non aspera, sed lenior, quàm vel *Psora*, vel *Lepra* est ; adeò ut si solâ salivâ quotidiè defricetur, sanescat : sed ubi increverit, extremam cutem in furfures resolvens, in *Psoram* transit, atque deinde in *Lepram*, ubi pro furfuribus, piscium quasi squamulæ concrescunt, & per frictionem decedunt, 5. de compos. medic. loc. cap. 5. & cap. 7. (nec tamen est is morbus, quem *Gallicum*, seu *Neapolitanum*, seu *Hispanam scabiem* vocant, ut alibi mihi fortè ostendendum erit.) Cæterùm Λειχὴν ὁ, *Lichenis* nomine, illum etiam *impetiginosum morbum*, *Mentagram* Romanis appellatum, multò magis ferum, & ægrestem. Plinius comprehendit, non squamis, ut Lepra, sed fædo cutis furfure, totos primùm vultus, deinde verò & collum, pectusque, & manus occupans, oculis tantùm immunibus. Fuit autem, ut idem author est, novus morbus, & ante Tiberii Principatum penitus incognitus : nec verò in iis tantùm notis feritas ejus erat, sed quòd admodum contagiosus esset, soloque osculo vel contactu, non humilem aut mediam plebem, sed solos proceres invaderet. Celsus *Lichenem*, non *Impetiginem* interpretatur, sed *Papulam* ; cujus duas, quas habet & *Lichen*, differentias, statuit *feram*, & *mitiorem* : Nam quæ ab eo describitur *Impetigo*, Lepra est.

Impetum facientia, vide *Continentia*.

Implicatus affectus est, in quo multæ sunt affectæ partes ; nam potest idem homo, non solùm laborare

ex Thorace, sed etiam ex pulmone, capite, ventre, jecinore, com. 2. in 3. de morb. vulg.

Imum ventrem, vocat Hippocrates regionem ventris imam, quæ umbilicum ac pudenda interjacet, ita ut in hæc tria totum Abdomen dividatur; in Hypochondrium, & loca ad umbilicum attinentia, & imum ventrem, 2. aphor. 35. Aut, sicuti Anatomici faciunt, in Epigastrium, Regionem umbilicalem, & Hypogastrium.

Inæqualis, & *Inordinatus pulsus* est, cujus circuitus nullus prorsus aut ordo servatur; Est verò *æqualis*, & *ordinatus*, quando pari pulsuum æqualium numero intercurrit pulsus unus impar, qui æqualitatem corrumpit, proportione circuituum observatâ, de puls. ad Tyron. cap. 6. *Inæqualis* autem *deficiens pulsus* est, in quo nulla servatur æqualitas, motúque ipso semper deficit, 1. de differ. puls. cap. 12.

Inanes, illæ corporis partes vocantur, quæcunque inter extremam Thoracis costam, & Femoris Λαγόνας ossa habentur; inanis siquidem videtur omnis talis sedes, si eam cum supernis, infernisque partibus, utrisque osseis conferas, 2. prognost. 1.

Incensiones, Hippocrates vocat, *Inflammationes*, unde etiam nomen calidis tumoribus impositum est, 3. de his quæ in medic. 30.

Incidentes dies, vide *Decretorius*.

Incisio, vide *Unionis solutio*.

Incisorii dentes, vide *Dentes*, & *Tomi dentes*.

Incoctionem vocat Galenus non coctionis tantùm in ventriculo frustrationem, sed in vasis quoque, & jecore, & universo corporis habitu, lib. de med. art. const. cap. 15.

Incrementum morbi, vide *Ascensus morbi*.

Increscens, vide *Continua*.

Incubus, vide *Ephialtes*.

Incurvatio, quæ & *Gibberositas* dicitur, est distortio spinæ

ſpinæ in poſteriorem partem, ex Panis, & Tuberculis immaturis in ſpinâ exortis magnis, & duris, & diuturnis, ut nonnulli arbitrantur, 3. de art. 2.

Index digitus, eſt proximus à Pollice, qui nomen ab uſu ſortitus eſt, lib. Introd. cap. 10. Dicitur & Index, *Dies contemplatorius*, qui eam habet naturam, ut qualiſnam dies, cujus eſt index, ſit futurus decretorius, prænunciet velut, & indicet, 1. prorrhet. 1. & 2. aph. 24.

Indicatio, eſt juvantis comprehenſio, ſimul cum comprehenſione nocentis eveniens, ſine obſervatione, & ratiocinatione; ad Thraſib. cap. 11. Quippe ipſam ſequentis, ſive agendi & ejus, quòd fieri debet, *Indicationem* dicimus; Ergo, *ex ipsâ rei naturâ exordiri, atque ità, quòd ſequens ſit, citra experientiam invenire, idem eſt, quòd indicatione invenire.* Ut ſi quæratur de ſanitate, quid ſentiendum ſit; primùm perpendere oportet ſanitatis naturam, quæ, quia bona omnibus mortalibus videtur, facit, ut judicemus eam à nobis ſervandam eſſe; quamobrem ſui cuſtodia, ſanitatis indicatio eſt. Idem verò & in morbo agendum, qui, quoniam totus præter naturam eſt, & toto genere malus, indicat, & oſtendit, ſe tollendum eſſe.

Indicatoria, vide *Prognoſtica*.

Indices, & *ſpectabiles dies*, conſueto more appellat Hippocrates, in quibus ſignum aliquod judicationis apparet, alio quopiam ex diebus decretoriis futuræ, quos ipſe, 3. progn. 4. per quaterniones digeſſit, ſingulis ſeptimanis bipartito ſectis, 2. aphor. 24. qui Græcè ἐπίδηλοι, & θεωρητικοὶ, hoc eſt, *Indices*, & *Contemplabiles*, nuncupantur, quòd majorem vim, & poteſtatem habeant, ad præſagiendam, contemplandamque futuram criſim, quàm ad judicandos morbos; licèt in eis, aliquando perfecta criſis poſſit accidere, ut dies quarta, undecima, decimaſeptima. Nulla crudi humoris excretio critica eſt; ut criſim igitur concoctio præcedat, omninò neceſſe eſt, quóque perfectior con-

coctio fuerit, eò melior futura est crisis. Itaque ubi concoctionis signa videri incipiunt, spes est propediem futuram crisim: ut, si quarto appareant, futuram septimo: si undecimo, futuram decimoquarto: si decimoseptimo, futuram vigesimo: atque ita deinceps aliis septimanis: Hippoc. aphor. 24. lib. 2. Si igitur quarto die cujusque septimanæ signa mortifera appareant; certa pernities septimo exspectanda: contrà, si illo die salutifera signa se prodant, salus die septimo promittitur. Quòd, cùm in omnibus morbis verum sit, in acutis tamen omnium manifestissimè deprehenditur, in quibus mutationes majores magisque subitæ contingunt. Adeò verum est, quòd scripsit Hippocrates, septenorum semper quartum diem esse indicem. Quod si fuerit aliter aliquando observatum, sciendum id non ex diei ipsius naturâ, sed aliâ de causâ contigisse. Ex suâ namque naturâ, hoc est, si nihil rarum magnumque vel extrinsecus, vel ex ipsâ morbi specie, moreque, vel etiam ægrotantis habitus acciderit, quartus omnino septimum, qualis futurus sit, declarat; ut Galenus libr. 1. cap. 11. de diebus criticis apertissimè demonstravit.

Indicia, & signa certa, Prognostica, illa sola nominantur, ex quibus licet certò colligere aliquid de salute, & internecione infirmi, quæ comprehendens uno capite dicet aliquis esse significationes virium gubernantium corpus, quo pacto robore valeant, aut deficiant, in quibus scilicet cruditatis etiam, aut coctionis signa continentur, 3. prognost. 39.

Inflammata lassitudo, & Lassitudo contusiva, Phlegmonodes, musculorum est affectio, quæ manibus, cruribus, lumbis, spinæ, musculis, ac ubi plurimum laborem pertulerint, accidit; iisque, qui ex vehementi clamore, organa vocis, id est, arteriæ asperæ caput, laryngem, & fauces oblæsas habent, vocemque raucam effecerunt, 7. de comp. med. loc. capit. 1.

Inflam-

Inflammationis nomen, propriissimè dicitur de tumore partium carnosarum, conjuncto cum renitentiâ, tensione, febri, calore, dolore, & rubore, libr. de tumore, capit. 2. *Phlegmone*, fit vel propter concidentiam, vel propter impactionem, obstructionemque omnium vasorum, sive ob circumstantiam quandam molium, vicinarumque partium molestias, quæ meatus occupant. Tandem etiam ex abundantiâ sanguinis, inflammatio oboritur multoties, libr. de totius morbi temper. cap. 3. Dicitur verò *Inflammatio*, *Phlegmone*, multoties esse nihil aliud, quàm *Phlogosis*, sive *Inflammen*. Est igitur *Inflammatio*, omnis genus, si spectes, immoderata caliditas; in specie autem est, cùm, sanguine optimo, ac mediocrem crassitudinem obtinente, ad particulam aliquam universim fluente, atque ob multitudinem edomari nequeunte, vehemens dolor arripit hominem (nisi membrum sensum omninò hebetem habuerit,) pulsusque in profundo molestus accidit, tendique omninò, ac contundi membrum, apparet, & vehementem calorem persentit, adeò ut comburi videatur, & refrigerari desideret; talisque rubor per summa viget, qualis ex balneis accidit, aut ex igne, aut quovis alio modo calefactis. Multæque sunt hujus species; nam aut affluente sanguine, aut flavâ bile altera, ambobusque simul humoribus, alia tertia oritur Phlegmone, 2. ad Glauc. 1.

Inflammen, vide *Inflammatio*.

Inflatio, vide *Physis*, 14. meth. 7.

Infractiones oculorum, affectus est, in quo palpebræ invertuntur, com. 5. in 6. de morb. vulg. 2.

Infundibulum, vide *Choana*.

Inion, est ea capitis pars, quæ *occiput* dicitur, principium medullæ spinalis, ad stipitis modum in multos ramos divisæ, in sexaginta ferè, juxta numerum nervorum, 2. de compos. med. loc. cap. 1. τὸ ἰνίον terminatur futurâ λαμβδοειδεῖ. Quinque videtur lateribus con-

constare. Est autem valdè inæquale: siquidem parte posticâ admodum crassum est, internâ quâ musculos excipit, aut emittit, asperum, tenue, solidum. Duæ illi sunt acutæ apophyses, quæ in cavitates duas primæ vertebræ inseruntur. Intus quidem læve, minimèque asperum est: infernis autem partibus, & ubi non minimam capitis basis portionem constituit, valdè asperum & inæquale, ut commodiùs inde ligamenta & musculi nascerentur, quibus caput collumque vel extenderetur, vel flecteretur. Sic quidem Medici anatomes periti ἰνίον describunt: Sed à quibusdam Grammaticis definitur tendo cervicis, quo concidente ad inferiora, & contracto ad humeros ἰδρῶσ, hoc est, incurvari dicitur, qui id patitur. Plerisque placet ἰνίον sic dictum esse ἀπὸ τὸ νευρώδες εἶναι, quia nervosum sit: quòd Græcis ἶνες, Nervi dicantur, à capite in collum descendentes, quos alii τένοντας vocant.

Initiatrix, vide *Antegressa*.

Innominata cartilago, vide *Cricoides*.

Innominatus morbus est, qui medio loco, inter Lethargum & Phrenitim collocatur; aliàs dicitur *Coma pervigil*, in quo ægri connivent oculis, somnolenti stertunt, oculis fixis intuentur, difficiles & tardi ad respondendum, stultè loquuntur, & temerè nugantur, libr. de Puls. ad Tyron. cap. 11. quem affectum, cùm longo tempore perduraverit, *Typhomaniam* vocant, 1. prorrhet. 1.

Innuens, circumnuens pulsus est, qui inæqualis est in unâ distentione, 1. de diff. puls. cap. 20. & 4. de caus. puls. cap. 10.

Inordinata febris est, quæ omni periodo, & certo circuitu caret; 5. de placit. cap. 2. Aliàs, *Erratica* dicitur, 8. de placit. cap. 6. vide *Erratica*.

Insanire, est desipere citra febrem.

Inspiratio, est externi aëris intra thoracem facta attractio, 4. de loc. aff. 7. ad nativi caloris conservationem,

nem, & spiritus animalis nutritionem, 7. de usu part. capit. 9. Duplex est; lenis, & coacta. *Lenem, & non coactam* appellant, quæ in benè valentibus, nullâque vehementi agitatione motis cernitur, ac solo peragitur Diaphragmatis motu. *Coactam* verò, quæ tùm in morbis nonnullis, (imprimis in Apoplexiâ forti) tùm in exercitationibus paulò vehementioribus accidit, in quâ protinus omnes etiam scapularum partes simul attolli conspiciuntur, 2. de placit. cap. 4. *Inspiratio*, & *Exspiratio*, εἰσπνοὴ καὶ ἐκπνοὴ, oppositi motus sunt; *Ille* est, quo distentus Thorax per asperam arteriam, necessariò in pulmones aërem exteriorem attrahit, tribus de causis; ut refrigeret, ut ventilet calorem nativum, & ut spiritum animalem gignat; *Hic* est, quo thorax contractus, eundem aërem exprimit, ut quicquid in ipso fuliginosum, fumosumque ex humoribus creatum fuerit, id exprimendo elidat. Utrique nomen *Respiratio.* & *Respiratus*, ἀναπνοὴ, 4. de loc. aff. 7. Per *inspirationem* autem attrahit in se homo exteriorem aërem, per os, in pulmonem; per raritatem autem cutis, & carnis, in arterias. Horum motuum uterque tam ille, quo per os, quàm is, quo per cutim fit aëris attractio, uno nomine *inspiratio* appellatur. Per *exspirationem* verò, per eosdem meatus, per quos aërem recipit, eundem remittit; qui cùm per os remittitur, *exspiratio*; cùm per cutis meatus, *transpiratio, perspiratio, difflatio, transpiratus, perspiratus, difflatus*, διαπνοὴ dicitur, 8. de plac. c. 8.

Instrumenta prima censentur, quæcunque ex similaribus partibus simplicis alicujus operationis gratiâ sunt constituta; quæcunque verò rursus ex his componuntur, etsi uni totius instrumenti actui quàm maximè inserviant, tamen inter secunda connumerantur; musculus enim & vena, & arteria, inter prima instrumenta numerantur, digitus verò inter secunda, atque hoc magis pes, & pede magis crus, lib. de morbis temp. capit. 4. Unde *instrumentales corporis partes*

sunt

sunt, Cerebrum, Cor, Pulmo, Hepar, Venter, Splen, Oculi, Renes, ibid. cap. 3. *Instrumentales* autem *morbi* fiunt, vel naturali harum partium formatione permutatâ, vel non servato numero partium ea componentium opportuno, aut unicuique parti convenienti magnitudine sublatâ, vel quòd non ut naturalis positus expetebat, ipsæ cohæreant, ibid. cap. 6. vide *Similare*.

Insultus accessionis, est indivisibile illud tempus, quo accessio primùm invadit, quòd alii *Febrii significationem*, *Annotationem*, & *Episemasiam* vocant, libr. de morb. temp. 6.

Intemperies morbosa, Græcis Νοσώδης δυσκρασία partium similarium morbus est, fitque, ubi qualitates primæ, seu elementa ipsa à naturali symmetriâ & commoderatione deflectunt. Non autem citra rationem adjectum est *morbosa*; duplex enim existit intemperies, ex Galen. 2. de temperam. Alia enim est naturalis, seu sanitatis, & alia morbi (ut nos tetigimus in nostrâ Synopsi medicinæ, quàm anno superiori typis dedimus, tab. 5.) *Sanitas* sive *naturalis* est, quæ à mediâ temperie paululùm abest, citra evidentem interim functionis noxam, vel in quâ nulla functio animalis adhuc manifestè læditur, licet imbecillior reddatur; tunc etenim intemperatior sanè erit, sed non ægrotabit homo. Quòd si quis hoc denegaverit, horum alterum fateatur necesse est, vel omnes homines ægrotare semper, vel unam esse omnium intemperiem; utrumque verò absurdum est. *Morbosa* verò *intemperies* est cùm animal naturalis temperamenti vitio ægrotat; quæ si omnibus corporis partibus æqualiter insit, ut in Hecticâ febre, æqualis intemperies appellatur, & dolorem non efficit; secùs verò doloris sensum efficit; & inæqualis dicetur, ut docet Galenus de inæqual. intemper. 1. de sanitat. tuend. libr. de constit. art. & cap. 8. artis parvæ.

Inter

Interceptiones venarum, ἀπολήψεις τῶν φλεβῶν, sunt oppletiones vasorum à copiâ sanguinis; venæ enim cùm supra modum oppletæ fuerint, premi virtutem, gravarique est necesse, atque in extinctionis agi periculum nativam caliditatem; quippe quæ ob multitudinem, copiamque, suffocationi quippiam simile patitur, 4. aph. 23. Ubi verò intercipiuntur, quæ sunt in animali arteriæ, & ita oppletæ sanguine fuerint, ut nullus in ipsis vacuus relinquatur locus, in quem dum attolluntur, aërem externum attrahere possint, tunc strangulatur, atque extinguitur calor innatus: & qui ita affecti sunt, subitò sensum & motum totius corporis amittunt, libr. de caus. morb. capit. 3. nequeuntibus spiritibus naturales pertransire meatus, atque ob id ab Hippocrate, *interceptiones spirituum* nuncupantur, 4. de rat. vict. 27.

Intercidentes, vide *Decretorius*. *Intercidens* autem *pulsus* est, cùm inter duos ictus, qui ordine proprio inferuntur, ictus medius intercurrit, libr. finit.

Intercidentia, vide *Coincidentia*, & *Paremptosis*.

Intercipientes membranæ, vide *Cingentes*, & *Hypezoteres*.

Intercostales musculi, μεσοπλεύριοι μύες, sunt musculi inter medias costas siti, quorum bini sunt in singulis costarum intervallis; alter externam partem spectans; alter interiorem: *externi*, thoracem dilatant, ad inspirationem; *interni*, contrahunt ad exspirationem, 5. de caus. respir. 3. de anat. adm. & 7. de usu part. Hi numero sunt quadraginta quatuor, utrimque videlicet duo & viginti. Horum autem undecim interni, & totidem externi sunt. Externi quidem singuli in singulis costarum intervallis oriuntur, & fibras habent ex superiore costâ in inferiorem obliquè deductas. Interni verò contrario & oriuntur, & procedunt modò, originem quidem ex inferiore costâ ducentes, & obliquè sursum in superiorem protensi, & externos ubique

in

in χ literæ formam interſecantes. Cùm autem ejus modi fibras eoque modo protenſas habere hi muſculi dicuntur, intelligendum eſt de ſpuriarum quidem coſtarum intervallis totis: verarum autem coſtarum non totis, ſed ad eam tantum coſtarum ſedem, ubi in cartilaginem degenerant. Siquidem inter verarum coſtarum cartilagines, utrique muſculi intercoſtales villorum ſitum prædicto contrarium ſortiuntur, ut propter ea unus idemque muſculus inter verarum coſtarum cartilagines ſitus, non unus, ſed geminus plerisque exiſtimatus fuerit.

Intercurrens pulſus eſt, qui inæqualis eſt, inæqualitate crebritatis, 1. de differ. pulſ. cap. 12.

Interfæmineum, quòd *Perinæon* Græci vocant, eſt media illa pars corporis, quæ inter totum id, quòd inter inguina utriusque cruris eſt, (quòd *Greſſuram* ſolet Hippocrates appellare) interjacet, quòd duobus feminibus ſit interpoſitum. Sive eſt intercapedo, quæ ab exortu pudendi uſque ad anum pertinet, ubi etiam veſicæ collum collocatum eſt, 4. de artic. 45. 2. de fract. 43.

Intermiſſionem febris, vocat Galenus, cùm febris in quietem deſierit, 1. de criſ. cap. 3. & ad infebricitationem devenerit, Græcis ἀπυρεξία, 3. de criſ. cap. 4.

Intermittens pulſus eſt, qui inæqualitate conſtat raritatis, & parvitatis, alio atque alio utrobique modo. Habet raritatis inæqualitatem, quòd quies ſit longiſſimè producta; parvitatis autem quòd diſtentio minimùm dilatata, 1. de differ. pulſ. 12.

Internodia, vide *Phalanx*, & *Digiti*.

Interſepientes, vide *Hypezocotes*.

Interſeptum, ea eſt pars narium, quæ alas ſeu pinnulas narium nominatas, internamque illam cavitatem in duas partes diſcriminat, libr. Introd. capit. 10.

Interſtitium, eſt duodecim horarum ſpatium, in quo febris terminatur, 2. criſ. 9.

Inter

Intertrigines, vide *Hidroa.*

Intervallum, vide *Ictus*, *Ablatio.*

Inteſtinum; vide *Entera.*

Inteſtinum cæcum, τυφλόν, eſt inteſtinum à ventriculo, ordine quartum, quòd parvus quidam velut venter eſt, unde figura à reliquis differt; nec enim, ut reliqua, oblongum eſt, ſed in modum ventriculi rotundius; ex quâ figurâ efficitur, ut unâ tantùm parte pertuſum videatur, & uno foramine tanquam oculo præditum eſſe; pervium tamen eſt, quodque ad ipſum ex tenui inteſtino ileo deſcendit, facilè in Colon delabitur. Principium eſt craſſi inteſtini. Ubi enim tenue inteſtinum deſinit, illinc ad dextram quidem cæcum, ad ſiniſtram autem Colon emergit, dextra priùs ilia prætervectum. Cum avibus ferè omnibus cæcum inteſtinum duplex ſit, homini tamen unicum eſt. Et gibboſum cùm ſit, unum foramen habet à latere, cui junguntur duo foramina duorum proximorum inteſtinorum, quorum uni infrà, alteri ſuprà continuum eſt. Id propter magnitudinem aliquando abſolutè ἔντερον appellatur, ut ſcribit Galenus, comm. 4. in lib. 6. Epid. quamvis alii eo nomine abſolutè poſito, τυχῶλον intelligi velint. Cùm autem reliqua omnia inteſtina lactibus alligentur, ſolùm cæcum omni vinculo ſolutum eſt, ideòque deſcendit in Scrotum per Enterocelen.

Inteſtinorum difficultas, eſt velox exitus eorum, quæ comeduntur & bibuntur, quæ talia dejiciuntur, qualia fuerunt devorata, 4. aph. 12. Propriè, *lienteria* dicitur, 6. de loc aff. 2. quæ duabus potiſſimùm notis à *Cœliacâ diſpoſitione* diſcernitur, ſiquidem lientericis alimentis prorſus cruda, protinus ut ſumpta ſunt, infernè prodeunt, tantâ, tamque manifeſtâ cruditate, ut alimenti aſſumpti genus apertè dignoſcatur; verùm in Cœliacis jam adepta ſunt aliquam coctionem, & diutiùs in ventriculo morantur, neque tam citò per alvum deſcendunt. Cruda tamen ſunt, & aliquando fœtida,

non mordacia, sed quòd sæpiùs excreta, animi del quium inducant.

Intumescentias, quas οἰδήματα Græci vocant, Hippo crates omnes tumores præter naturam vocare consue vit, cùm cæteri posteriores, in inflammationes, & du rities, & intumescentias, eos distinguant, 3. de hi quæ in medic. 30.

Inviolata membrana, vide *Membrana dura.*

Inviscatio oculi, est quædam viscositas, palpebran cum pupillâ jungens, sive in ejus albedine, sive in eju nigredine; vel utrasque palpebras simul jungens, qua lis fit propter vulnera in oculis, lib. de ocul. cap. 9.

Involucrum cordis, vide *Membrana pericardios*, lib de ven. & art. diss. cap. 2.

Involutum intestinum, quod & *Ileon*, & *Tenue* dici tur, vide *Ileon*, & *Tenue.*

Inustio in ventre, oritur, propter acrem eorum, qua ingesta sunt, caliditatem, ob quam & febrire contin git: *Colliquatio* verò fit, febrili à caliditate absumpt pinguedine, colliquatâque molli carne. 4. acut. 112.

Ἴονθος Græcè, Latinè *Varus*, tumor parvus & du rus, in faciei cute ortus, à crasso videlicet succo nul lius serosæ tenuitatis participe, 5. de comp. med. loc cap. 3. eam ob rem pruriginosus non est, neque ad scal pendum invitat. Ex iis quæ scribuntur à Paulo, lib. 3 cap. 25. apparet, duplex esse *Vari* genus: unum, du riorem & veluti callosum; alterum verò, minùs du rum. Aëtius scribit ἴουλον, alio nomine ἄκνην vocari.

Iris oculi, quem alii *Stephanon*, alii *Coronam* vocant est medius ille oculi locus, quo committuntur inter s tunicæ universæ, 14. meth. 19. sive *Iris*, est oculi tuni ca mollissima, alba, desinens in circulo, ubi & aliæ om nes subjectæ sunt tunicæ, & album nigro conjungi tur, 10. de usu part. cap. 2. Inditum ei fuit nomen, al arcus cœlestis similitudine. Hujus partes quæ pupilla proximæ sunt nigræ, μελανωπὴ dicuntur: circulus ver

qu

qui candido proximus est, ἄλως. *Iris* herba etiam est, folia ferens gladioli, sed majora, latiora, pinguiora. Flores in summitate cujusque caulis æqualibus inter se spatiis distant, incurvi, varii, siquidem candidi, pallentes, lutei, purpurei aut cærulei conspiciuntur: quâ diversi coloris specie, quædam cœlestis arcus imago in cavo caliculi sinu repræsentatur. Radices subjacent geniculatæ, solidæ, odoratæ: quæ frustratim dissectæ in umbrâ secantur, & trajectæ lino reconduntur. Melior est Illyrica & Macedonica; atque est sativa & sylvestris. *Iris* nomen quoque est Pastilli, Croco, Myrrhâ, & Alumine constantis, ut refert Aëtius. Est etiam gemmæ nomen, quæ non est aliud quàm Crystallus candida, lympida, sexangula, quæ exposita Solis radiis, per rimam aut aliter subeuntibus, angulorum repercussu arcus cælestis speciem in proximis parietibus imprimit. Sed in ipsâ in se arcus illius imaginem habere videtur in uno aut altero sui angulo, si luci obversa conspiciatur.

Isatodes bilis, vide *Bilis pallida.*

Ischæmon, medicamentum est ad sanguinem fluentem continendum, 5. de compos. medic. loc. cap. 14. Græcè, ἰσχαιμον, paulò diversum ἀπὸ τῶν αἱμάτων; hoc enim non sanguinem modò supprimit, sed & inflammationem arcet; illud verò rationem habet tantùm sistendi sanguinem. Hujus, cùm aliquot formulæ descriptæ sint apud Galenum, omnes constare reperias crassitudinem inducentibus medicamentis.

Ischiadica vena est, quæ supernè descendens, ad partem cruris intimam tendit, & occultatur, quòusque ad *Malleolum* veniat exteriorem, libr. de anat. viv. quæ vena, *externa Malleoli* dicitur, & *Ischiadica*, quòd secta *Ischiadicis* conferat.

Ischias, & *Ischion*, vide *Coxa*, & *Arthritis*, 2. method. 2. & 15. de usu part. 8.

Ischuria, ἰσχυρία, est urinæ suppressio, & retentio

Dysuria, in quâ urina fertur cum difficultate; *Strangu-ria*, cùm guttatim destillat, quam & *urinæ stillicidium* appellant, de const. artic. 6. & 8. de placit. 6. Fit autem urinæ suppressio, vesicâ, vel excernere non valente, vel ejus collo occlusio; vocat autem vulgus Medicorum, non secus *Ischuriam*, (quanquam *Ischuria* non sit,) illud quoque symptoma, cùm urina in vesicam omninò non venit, perditâ scilicet renum actione, & permittendi profectò sunt ita nominare, cùm propriam appellationem non habent; Collum siquidem vesicæ clauditur, vel propter obstructionem sanguine concreto, tùm crasso pure, tùm calculo, tùm topho, tùm aliquo germine carneo ibidem enato, vel propter conniventiam, ab aliquo tumore præter naturam, aut cùm immodicè est repleta; 3. de symptom. caus. cap. 2.

Isis emplastrum, est *Cephalicum emplastrum*, 2. de comp. pos. medic. per gener. capit. 18. Ad cruenta vulnera efficax, præsertim capitis, ad glutinandum, carnem inducendum, purgandum, & reliqua multa, ut habetur apud Aëtium, libr. 15. quo loco descriptionem ejus habet, & dicit à quibusdam referri ad Hermonem Sacerdotem, & appellari *Hermonis viride*. Habetur etiam apud Scribonium Largum, capit. 206. (sed *Viride Glyconis* nominat) diversâ quidem ratione compositum, quam sit ab Aëtio & Paulo, sed magnâ ex parte iisdem medicamentis constans. Est & *Isis* alterum Emplastrum, quod Epigono inscribitur apud Aëtium eodem loco. Est igitur hujus nominis Emplastrum triplex; Ἶσις Γλύκωνος, Ἶσις Ἑρμωνος, Ἶσις Ἐπιγόνου.

Isthmus, est regio communis gulæ, & gutturi, in quâ utriusque osculum ascendit, angusta & longa; corpus verò hunc locum ambiens, *Pharynga*, id est *Fauces*, vocant, lib. de muscul. diss. cap. 15. *Isthmus* est pars corporis est, quæ os, & gulam interjacet, quæ p-

m

metaphoram quandam ita nominatur ab iis, qui propriè dicuntur *Isthmi*; sunt autem angusti quidam terræ processus, inter duo maria siti: Unde *Paristhmia*, id est, *Tonsillæ*, sunt inflammationes locorum, & partium, ad hunc *Isthmum* pertinentium, 2. aph. 26. quâ ratione ἰσθμὸς καὶ φάρυγξ, idem erunt, hoc est, quæ inter stomachum, & laryngem, id est, guttur, interjacet latitudo & capacitas.

Ithmoidea ossa, vide *Cavernosa*.

Iudicatoria signa, ab Hippocrate vocata sunt, sudores, rigores, sanguinis fluxus, multum alvi profluvium, multus vomitus, dolor capitis repentè invadens, vehemens spirandi difficultas præter rationem, cordis morsus, quædam in Hypochondriis citra dolorem tensio, vigiliæ vehementes, delirium, nox absque ratione molesta, accessio anticipans, lacrymæ involuntariæ, nihil patientibus oculis, neque ex tristitiâ provenientes, rubor faciei, labrum inferiùs agitatum, livida, vel obscura, & tenebrosa quædam ante oculos obversantia, hallucinationes quædam, genæ vel nares repentè rubescentes, parotides, aut denique abscessus alicujus in articulum decumbentis generatio, & similia, quæ secundum eorum substantiam Casus vel Symptomata nominata, quatenus subitam mutationem ostendunt, *Iudicatoria signa* appellantur; ita enim morbum judicant, ut cocto morbo futuram sanitatem; crudo autem, vel perniciem, vel morbi longitudinem decernant, 1. aphor. 12. vide *Decretorius*.

Iudicium, sive *Iudicatio*, vide *Crisis*.

Iugale os, vide *Zygoma*.

Iugulares venæ, Σφαγίτις φλέψ, sunt duo rami magni venæ cavæ à gibbis hepatis exortæ, qui postquam ad dextram Cordis aurem sanguinem tulerint, ab eo, tanquam ab initio progressi, ad collum recto tramite festinant: In quo fiunt duæ magnæ, & insignes venæ, quæ ob id *Iugulares* vocantur, 2. acut. 10. & libr.

de ven. & art. diſſ. cap. 7. Dicuntur etiam *Extern* *Superficiariæ*, *Apoplecticæ*, *Guidez*. *Manifeſtæ*, à quib quippè ſuperficiariæ ferè omnes colli, & capitis, pa tes nutriuntur, 2. acut. 10. Interna jugularis gracili ſecundum latus aſperæ arteriæ aſcendit ad fauces, inde in cranium, venulis exilibus obiter miſſis in aſp ram arteriam, & membranas vicinas, & nervos ſex quidem paris in collo, ſeptimi verò in faucibus. Ul autem cranium attigit, bipertita majore ramo per cr nii baſim reflexo, ubi ſurculum dedit muſculo colli i terni longo, per foramen paris ſexti cum minore caro tide arteriâ ſibi conjuge cranium ingreſſa coït in v commune. Minore autem ramo, ubi ramulum aud tus organo dimiſit per foramen transverſum ſibi com mune, & portioni nervi quintæ conjugationis crota phiten petenti, cranium intrat per foramen ſæpè ge minum, ſed exiguum propè latus externum foramin tertiæ & quartæ conjugationis, in craſſam meninge ramosè abſumitur. Externa verò jugularis ſæpè ſim plex, interdum etiam diviſa multipliciter, idque nun initio ſui, nunc in collo medio aſcendit ſub colli latus ſub cute & muſculo lato, ſurculis obiter in vicino muſculos, cutim, membranas dimiſſis. Eſt autem no tandum, externas jugulares nullas habere adjunctas ar terias, etiamſi quandoque motu aliquo pulſui cuidam non diſſimili agitari videantur, ut à ſe obſervatum eſſe Galenus prodidit.

Iugulum, vide *Claves*.

Iuleb, vide *Zulapium*.

Iuxtangina, id eſt, *Cynanche*, 1. aphor. 12.

Ixiæ, *Varices*, ſic dicuntur ab Ariſtotele, οἱ ἰξοὶ; ſunt tamen qui differre putent, vocantes ἰξοὺς venas omnes dilatatas, in quâcunque corporis parte; ἰξίας verò, eas modò, quæ in cruribus habentur: ſed diſcrimen nullum cenſendum eſt.

L.

LABOR, ab Hippocrate sæpiùs consuevit sumi pro *exercitatione*, interdum pro *dolore*, aut absolutè pro *quâlibet noxâ*, & *læsione*, com. 5. in 6. de morb. vulg. 10.

Labrum, sive *Labium*, χεῖλος, est oris extremitas musculosa, ipsum vicissim claudens, & aperiens; quòd in labiis prominet πρόχειλον dicitur, 11. de usu part.

Labyrinthus, vide *Cæcum foramen*.

Lactes, apud Hermolaum Barbarum, & Plinium, significant potissimum molliora intestina, & sunt in homine, & ove, per quæ cibus & chylus labitur; sed apud Aristotelem, Gazam, Budæum, & Galenum, 5. de loc. aff. cap. 7. *Lactes* sunt, & significant omentum reti aucupatio simile, seu pingue illud, quòd intestina superiora ambit; quòd nostrates in piscibus *lactantias*, & *lactumas* vocant.

Lacuna, vide *Choana*.

Læves arteriæ, *Arteriæ venosæ*, & *Venæ arteriosæ*, per pulmonum substantiam propagatæ, & dispersæ propagines sunt, quas omnes natura per anastomosin, ad unum principium applicuit, sinistro cordis ventriculo, in quo siquidem nativi caloris est principium, ut per eas refrigeratio continua cordi comparetur, 7. de usu part. cap. 9. vide *Arteria*.

Lævitas intestinorum, quæ λειντηρία dicitur, quasi λειότης τῶν ἐντέρων, est velox, & sine ullâ omninò transmutatione, ciborum dejectio, eveniens, aut propter exulcerationem in superficie ventriculi, & intestinorum, aut propter potentiæ retentricis eorundem imbecillitatem; quorum primum ex mordacibus substantiam tenuem habentibus humoribus fit, quæ in pueris etiam Græco vocabulo Ἄφθαι, id est, *oris ulcera*, nominantur; alterum verò, ex magnâ ventriculi, atque intestinorum provenit intemperie, 3. aphor. 22.

Ex quâcunque autem causâ lienteria orta sit, ægri cibum non sentiunt, & in cachexiam incidunt, cruda assiduè excernunt, colore subalbida, inæqualia, atque aquosissima, nullo prorsus sanguine aut bile perfusa. Ardor præterea tota præcordia occupat, cibique fastidium consequitur. vide *Intestinorum difficultas.*

Lagochilos, vide *Lagophthalmos.*

Lagonas, vide *Ile.*

Lagophthalmos, id est, *Leporinus oculus*, est, cùm superior gena adeò retrahitur, ut oculum, dum claditur, totum non contegat, estque affectus in partibus instrumentalibus, non magnitudine, sed defectu, non ut supervacaneum, sed veluti deficiens, cujusmodi mutila, & curta omnia, sicut in labris, sic & in oculis cernitur; sic etiam *Lagochilos* dicitur, qui leporina habet labia, libr. Introd. capit. 3. & libr. finit. Id vitii aliquando naturaliter provenit: aliquando à causâ præter naturam, ut ustione, cicatrice, futurâ latiore, & malefactâ: interdum etiam senectute. Idem si inferiori palpebræ contingat, ἐκτρόπιον appellatur.

Lambdoeides, futura capitis posterior est, & transversa, quâ occiput incipit, quæ à *Lambdæ* literæ Græcæ similitudine ita nominatur, lib. de ossib. c. 1. Sunt autem hujus futuræ extremæ partes, quæ propter occipitii humiliora non ampliùs exactam futuræ compagem exprimunt, & versus capitis basim protenduntur, sensimque sibi mutuò appropinquant. Cæterum, λαμβοειδῆ futuram Galenus deesse scribit, quibus eminentia occipitis nulla est. Λαμβοειδὴς etiam appellatur ab Actuario divisio venæ cavæ inferioris, quâ in duo crura abit paulò suprà initium ossis sacri, non dubium quin à formâ literæ Λ. Eandem divisionem Galenus lib. de anat. venarum elemento, comparat.

Lambdoeides os, vide *Hyoeides.*

Laminas, communi vocabulo Anatomici appellare consueverunt, instrumenta ad secanda corpora accommodata,

modata, cujusmodi etiam sunt Scalpella, Spathomelæ, Amphismelæ, Spicilla, Oricularia, Melotidæ, quæ & ex ligno densiori, & aliquando ex buxo, confici solent, 6. de anatom. adm. cap. 10.

Lana succida, id est, *non lota*, quæ & *Oesypum* dicitur, 14. method. cap. 7. Ὄισυπος, propriè dicuntur ovium sordes earum lanis adhærescentes: deindè verò pro ipsâ etiam lanâ adhuc sordida & illota dici cœpit. Sordes autem eæ, pecudum ex sudore fœminum & alarum colliguntur, adhærentque lanis, quæ quòd ὄισυπον habeant; ὀισυπηραὶ, ῥυπαραὶ; & ab Hippocrate πινόεσσαι & πιώδεις appellantur: Est enim πίος idem quod ῥύπος. Latini, *Sordidas* & *Succidas* vocant, quod tales sint, quales ubi primum succisæ detonsæque sunt. De *Oesypo* sic scripsit Ovidius:

Oesypa quid redolent, quamvis mittantur Athenis,
Demptus ab immundæ vellere succus ovis?

Dioscor. *Oesypum* appellavit succidarum lanarum pinguetudinem, ejusque extrahendi parandique rationem lib. 2. explicavit. Ex eo conficitur Pharmacum à Paulo descriptum, lib. 7. & ab Aëtio, lib. 15. quòd Græci aliàs ὄισυπον φάρμακον, aliàs, ὄισυπον κηρωτὴν, aliàs, ὄισυπον κηρωτοειδῆ, aliàs, ὄσυπον ὑγρὸν nuncupant, ejusdem prorsus cum ipso Oesypo facultatis, adeò ut promiscuus sit amborum usus, ut tradidit Galenus, l. 14. method. medic. Habet autem vim non simplicem, sed mistam ex contrariis qualitatibus ac viribus, adstringendi scilicet, & modicè calfaciendi. Ex quo constat, vim illi inesse leniendi, digerendi, & repellendi. Dicitur non tantùm ὄισυπος, gener. masc. sed etiam ὄισυπον, & ὀισύπη.

Laparon, Græcis, *molle & vacuum*; *Hypolaparon* autem *subvacuum* & *submolle* significat, 3. de diffi. respir. cap. 12. Sumitur & pro ventris dolore, com. 3. in 6. de morb. 32. vide *Ile*.

Lapideum os, vide *Lithoeides*.

Lapis in veficâ, propria paſſio eſt ferè puerorum, quì ob edacitatem non paucos crudos humores coacervant; ex quibus pars craſſior, unà cum urinis ad veſicam perveniens, fit lapidum generationis materia: acervatur verò hic crudus humor ſæpè ob edacitatem, & ingluviem, ut in pueris, ſæpè etiam ob potentiæ concoquentis imbecillitatem, ut in ſenibus, 3. aph. 26

Lapis ſpecularis, vide *Diaphanes*.

Larynx, ſive *Guttur*, eſt ſuperior bronchii terminus, ſeu bronchii caput, prima aſperæ arteriæ pars, primum vocis inſtrumentum, ſummo ori continua, lib. de vocal. inſtrum. diſſ. cap. 2. ex cartilaginibus, muſculis, nervis, & ſubſtrata membranâ conſtans, cap. 4. quæ Larynx in collo extare apparet, tangentibusque dura ſentitur, ſurſumque nobis transglutientibus fertur, 7. de uſu part. cap. 5. Ἀάρυγξ Græcè. Componitur ex tribus cartilaginibus: Una θυρεοειδὴς dicitur, quæ anterior veluti ſcutum quoddam aliis præpoſita eſt; alia ἀρυτανοειδὴς ori vaſis olearii adſimilis cartilagines tamen duas ſortita: tertia verò, innominata, infima os œnophori (quòd *Brochum* Galli vocant) referens: harum autem ἀρυτανοειδὴς καὶ θυρεοειδὴς, mobiles ſunt, ſola autem innominata immobilis eſt. Ob eam cauſam in eâ firmantur aliarum duarum muſculi. Nam cùm duodecim ſint muſculi Laryngis proprii, duo quidem prodeunt à Thyreoeide mediâ internâ in anteriorem Aritænoeidem quam claudunt: duoque ſimiliter ab Aritænoeidis poſteriore baſi in ejuſdem baſim anteriorem quam comprimunt: reliqui verò octo omnes ab innominatâ, partim anteriore, partim poſteriore parte, partim etiam lateribus. Cæterum horum muſculorum beneficio, totus Larynx præcipuum vocis organum eſt, quam tamen acutam vel gravem præcipuè facit Arytæoneides adjutâ cartilagine epiglottide, Aritænoeidem magis minusve claudente, laxatis

aut

aut contractis duobus musculis ipsam relevantibus, adjutâ quoque gargareone, vocem ipsam plectri ritu modulante.

Lassitudines, Κόπους, Græci homines vocant affectus, ex multo, vehementive motu corporibus vel totis, vel particulis, quæ ampliùs laborârunt, oboriri soliti; unde *Acopa medicamenta*, quæ talem latitudinem tollunt, appellantur, 7. de comp. med. per gen. cap. 11. Cujus *lassitudinis* species tres sunt; ἑλκώδης, τονώδης, φλεγμονώδης, *ulcerosa*, *tensiva*, *inflammatoria*; quæ notis & signis propriis distinguuntur: in *ulcerosa*, partes lassitudine, ulceris sensus, cùm moventur enim, se exhibet; in *tensivâ*, incendi, tendique sibi videntur, qui laborant; in *inflammatoriâ*, accensa, inflammata, contusaque apparent membra.

Lateralis morbus, vide *Pleuritis*.

Latum os, vide *Dorsum*.

Latus musculus, sive musculosa natura, vel substantia, μυώδες πλάτυσμα, apud Galenum, libr. de muscul. diff. cap. 1. est latus ille musculus, qui sub cute in collo habetur. Incipit in priori quidem parte ex labrorum, ac buccarum; in posteriori verò, ex spinæ regionibus toti cuti, quæ circa collum est, in orbem subtensus, & membranosus, ut interdum membrana potiùs, quàm musculus videatur.

Latus pulsus est, qui pulsu naturali, in latitudine major est; *longus*, qui in longitudine; *altus*, qui in profunditate; è contrà, *angustus*, *brevis*, *humilis*; de puls. ad Tyron. cap. 2.

Laxius intestinum, id est, *Colon*. 2. aphor. 40.

Lea, seu *Lenia medicamenta*, sunt, quæ partes asperas leniunt; de Dynam. in procœmio. Λεῖον, *læve*, id dicitur, quòd continuum est, nullâque ex parte divulsum, sed sibi undique cohærens æquabili superficie: Contrarium est τῷ τραχεῖ, hoc est, *aspero*. Λεῖον etiam apud Hippocratem; Galenus interpretatur ἄτειχον.

Lem-

Lemmata, sunt propositiones per se credibiles, quas vocare consuevit Aristoteles, *dignitates*, vel *proloquia*, vel *postulata*, 2. acut. 20.

Leno, sive *Linon*, Græcè Λήνός, est regio in summo vertice cerebri, ubi duæ venæ invicem congrediuntur, à torcularis similitudine propter tenuem membranam. Est & aliter *Leno*, id est, exilium in superficie venarum sibi incumbentium congressus, propter crassam membranam, similiter factus, 9. de anatom. adm. cap. 1. vide *Torcular*.

Lepidoeides suturæ, Λεπιδοειδῆς, vel *conglutinationes*, (quas Galenus *futuras juxta aures* vocat) sunt duæ lineæ à media sagittali quæ rectà in longitudinem fertur, æquè distantes, per capitis longitudinem à posteriore in priorem partem, super aures feruntur, quæ in ossibus ad squamæ similitudinem structis, habentur, quæ fiunt duobus inter se ossibus cohærentibus, non per suturam quidem, sicuti *Coronalis*, & *Lambdoeides*, sed paulatim sincipitis os, instar squamæ attenuatum descendit, atque in id os, quòd infrà ab auribus ascendit, subintrat, libr. de ossibus, capit. 1. quæ & *squamosæ agglutinationes* nuncupantur, 9. de usu part. capit. 18. *Mendosæ* adhuc, & *Temporales* dicuntur.

Leporinus, vide *Lagophthalmos*.

Lepra, Λέπρα, est cutis mutatio, in habitum qui præter naturam est, cum asperitate, & pruritibus, & doloribus, nonnunquam & squamis decidentibus, interdum secùs, pluresque corporis partes depascuntur, lib. finit. *Lepra*, & *Psora*, seu *Scabies*, affectus sunt valdè affines & congeneres, ita ut non aliud *Psora* sit, quàm mitior *Lepra*: est enim *Psora* ad *Lepram* quædam quasi via, ut *Lepra* ad *Elephantiasim*, si magis humor uratur, malignior evadat, & morbus diutiùs protrahatur. Uterque affectus pruritum habet inseparabilem, sed in *Leprâ* tantus est, ut æger etiam vehementissimè scal-

scalpendo nullo modo juvetur, sed omnis potiùs generis ulcera, & phlegmonas accersat, quòd cutem exasperet, & subjectam illi carnem, multò quàm in Psorâ profundiùs depascatur: Unde & squamulas procreat, quales in Psorâ non generantur, quæ furfuracea tantùm corpora ex se remittit, ut quæ à minori gignatur intemperie, & humore minùs crasso, terrestri assato, & maligno. Dicitur Λέπρα, ab his squamulis, quasi Λεπιεσσα, id est, *squamosa*. Ab Avicennâ dicitur *Albaras nigra*, & *Impetigo excorticativa*, quòd cutis in cortices quasi squamasque resolvatur. *Lepram* hanc Celsus vocat *Impetiginem*, non eam quidem quàm superiùs nos Λειχῆνα appellavimus, sed quam ipse declarat lib. 5. quæ in quatuor species distinguit, quæ à superiori *Impetigine* plurimùm distat. Ejus causa melancholicus humor est multus, viscosus, crassus, sed tamen acris & immotus sub cute, & subjectâ carne latens, sensumque cum doloris excitans, qui *Pruritus* dicitur.

Lethargus, Græcè Λήθαργος καὶ λησαργία, passio est Phrenitidi contraria, si quidem in eâ inexpugnabilis dormiendi necessitas adest, perindè ut perennes vigiliæ phreneticos infestant. Dicta autem *Lethargus*, quòd ea correptis omnium rerum oblivio accidat. *Somnus*, siquidem si in longius producatur, difficilemque habuerit expergefactionem, *Coma* dicetur: Si verò solo tempore naturæ modum convenientem excesserit, & non habuerit difficilem expergefactionem, *somnus longus* rectè nominatur; qui fit refrigerata primâ parte sensitivâ, hoc est, Cerebro ipso; quæ refrigeratio cùm fortis fuerit, mista quidem humiditati, facit *lethargicas passiones*; cum siccitate verò eas, quæ Græco vocabulo Καταλήψεις, id est, *Deprehensiones*, vocantur, 2. aph. 3. Lethargicorum alii unam continuamque habent Lethargi accessionem, alii per circuitus quosdam in somnum ruunt, & rursus revocantur, ut excitati audiant, moxque in somnum relabantur. Sunt autem,

tem, omnes oblivioſi, ſtupidi, mente capti, crebrò oſcitant & hiant, ac ſæpè hiante ore perſiſtunt, velut os claudere obliti. Urinam reddunt jumentorum lotio ſimilem, ac ſæpè in manus ſumptâ matulâ, eam ſe tenere non meminerunt.

Leuce, Λεύκη, id eſt, *Alba vitiligo*, 2. method. 2. ſeu corporis, & pilorum in album colorem mutatio præter naturam, libr. finit. & 1. de compoſ. med. loc. 1. Neque verò ad ſolam cutem, ſed ad ſubditam quoque ejus carnem, vitium hoc pertinet. Fit porrò cutis, & caro alba, & pituitoſa, qualem Polypodes, & locuſtæ, cæteraque cruſtacea, exangui, & albâ carne prædita obtinent. Idque malum videtur eſſe, quòd noſtrate *Lepram albam*, Avicenna, *Albaram albam* nuncupavit; Differt â *Leprâ*, & *Elephantiaſi*, quòd hæc ſint cum aſperitate cutis, roſione, pruritu, & ſquamulis: *Leuce* verò, cutem habeat lenem, ſine ullâ aſpredine & roſione. Fit errore facultatis nutritoriæ, ſanguinem pituitoſum, lentum, & viſcoſum gignentis. Nam cum tali ſanguine caro diutiùs alta regenerataque fuerit, facillimè albedo in altâ carne contrahitur, talemque habitum accipit, ut omnia facilè in album convertat, & non jam ſimpliciter caro, ſed alba caro ſit. Cùm enim diutiùs ea affectio perſeverârit, caro quidem adhuc manet, mutatur tamen ejus forma, & in alteram ſpeciem vertitur, mediam inter ſanguineam carnem, & exanguem, proque naturali habitu cachexia inducitur. Nomen habet λεύκη, vel ἀπὸ τῆ λευκότητος, vel à quâdam ſimilitudine cum populo arbore, quam itidem λεύκην appellant. Ut enim foliis & cortice candida eſt, ſic & cutis ejus, quem is morbus occupavit.

Leucoma, Λεύκωμα, id eſt, oculorum albugo, de remed. part. facult. eſt cicatrix oculorum altior, magisque profunda; ſicuti quæ ſuperficiaria eſt, νεφέλιον dicitur.

Leu-

Leucophlegmatia, id est, *Alba pituita*, quædam aquæ inter cutem, species est; sic dicta, quòd sui quidem ratione semper sit alba, sed propter mistionem quorundam aliorum humorum, verum mutet colorem; 7. aphor. 29. quam eandem dicit esse cum eâ Hydropis specie, quæ *Hyposarcidium*, sive *Anasarca* dicitur; Ὑδρωπικὸν φλεγματίας, libr. Introd. cap. 13.

Lichen, Affectio, λειχὴν, dicitur etiam callus in equorum genibus, & supra ungulas in flexu earum partium duratus, fertur Comitialibus prodesse. Est etiam herbæ species, quàm aliqui βρύον appellant: saxis enim adhæret, ut muscus. Sunt qui putent esse hepaticam in offic. dictam: Exterit, purgat, siccat, refrigerat vide *Impetigo*.

Lien, vide *Splen*.

Lienteria, vide *Intestinorum difficultas*.

Ligamentum, quòd Græci Σύνδεσμον vocant, est corpus nervosum, ex osse quidem omninò ortum habens, insertum in os, aut in musculum, cui nomen ab usu est inditum, 1. de motu musc. cap. 1. quòd & *Copula* dicitur, lib. Vigni, cap. 9.

Ligatio, dicitur de obstructis articulis, & difficilibus artuum motibus, quos Græci *Ancylas* vocant, 7. de comp. med. per gen. cap. 6. Est & affectus, qui interdum naturaliter accidit, membranis linguam continentibus durioribus, & brevioribus statim à primo ortu factis; Interdum ex acquisititio, ob cicatricem quampiam duriorem, ex ulcere contractam; quam Græci ἀγκυλόγλωσσον vocant. Qui hoc malo laborant, tardè sermonem explicare incipiunt; atque ob id, hoc vitii genus, Latinis, *ligatio linguæ* dici potest,

Lingula vide *Epiglottis*.

Linon, vide *Leno*, & *Torcular*.

Linospermon, id est, *semen lini*, 1. de alim. fac. 32?

Lipodermus, defectus est pelliculæ, tegentis glandem Colis, adeò, ut distrahi ampliùs non possit, libr.

finit.

finit. λεπόδερμοι dicuntur, quibus præputium ex morbo vel sectione deest, aut ita contractum est, ut glandem ampliùs tegere non possit. Romani, *Apellas* & *Recutitos* vocarunt.

Lipopsychia, id est, *animi deliquium*; idem quod *Lipothymia*, λειποψυχία, καὶ λειποθυμία, solo differunt gradu, quòd ex ipso nominis etymo liquet: *Lipothymia*, vitalis facultatis defectum, *Lipopsychia*, animalis facultatis exolutionem significat; attamen utriusque facultatis defectu, omnium virtutum exsolutio contingit, ut sensu, motuque destituantur ægri, non minùs quàm animo, quale advenit iis, qui nisi frequentiùs nutriantur, resolvuntur, 12. meth. capit. 5.

Lipothymia, vide *Lipopsychia*.

Lippitudo dura, vide *Sclerophthalmia*.

Lippitudo oculi est, cùm album rubescit, & palpebræ attolluntur, cum dolore connivent, & ægrè manus admotas ferunt; libr. Introd. cap. 15. vide *Ophthalmia*.

Lipyria febris, vide *Febris lipyria*.

Liquabilia medicamenta vocantur, tùm quæ ignis contactu colliquantur, tùm quæ ex humidis quibusdam, velut aquâ, aceto, vino, constant. Igne liquescit propolis, cera, resina, ladanum, sevum, galbanum; *Aceto* solo liquescunt citra ignem, Ammoniacum, Sagapenum, Opopanacum, 3. de comp. medic. per gen. capit. 5.

Liquida alvus, in quâ liquida dejiciuntur, com. 2. in 2. prorrhet. 3.

Lithiasis, id est, *calculi morbus*, renibus & vesicæ familiaris, in quibus utplurimum calculi generantur, libr. de renum aff. digno. cap. 2. Dicitur & λιθίασις oculi morbus, in exteriori parte palpebrarum, in quâ alba quædam & crassa, callis, aut lapillis similia apparent, oculum pungentia.

Lithoides os, λιθοειδὲς, id est, *lapideum*, *petrosum*,

9. de

9. de usu part. capit. 10. est, quòd utrimque ad aures positum, petræ speciem referens, lambdoeides suturæ finibus terminatur, in quo inest processus columnæ similis, ad acus, stylive similitudinem: unde *Styloeides*, *Belenoeides*, & *Graphioeides*, στιλοειδὴς, βελονοειδὴς, καὶ γραφιοειδὴς appellatur, sub quo auditorius meatus continetur, libr. de ossib. cap. 1.

Lividium, πελιδνὸν, dicitur color inter planè nigrum & rubrum, aut aliquem alium ex floridis colorem medius: fit autem vel ex ipsis floridis in nigrum abeuntibus, vel ex nigro in album cedente, ut apparet in suppurationibus, in quibus quòd nigrum erat, livescere incipit, & ex livido ad colorem ignis tendere, & paulatim candidius fieri, proximè accedit ad fuscum. Contrahitur in corporibus à sanguinis & caloris nativi defectu: frigus enim lividum & nigrum colorem inducit. Designat & humorem, veluti viridis, pravâ qualitate præditum, uti rubidus sanguinis copiam.

Lobi, id est, *Fibræ*, quibus tanquam digitis hepar, ventriculum, & pulmo cor ad unguem complectitur, 4. de usu part. c. 8. & lib. 7. c. 10. & 7. de anat. adm. cap. 11. Dicitur & *Lobus*, ima & carnosa aurium pars.

Localia medicamenta, quæ *Topica* dicuntur, medicamenta sunt, quæ extrinsecùs applicantur corporis particulis, quibus non priùs utendum, quàm totum corpus purgaveris, venamve incideris, si redundantia in toto corpore subest; alioquin, implebis potiùs corpus, quàm vacuabis, 13. meth. 22.

Lochia, λόχια, dicuntur omnia, quæ à puerperâ post excluſum fœtum & secundas exeunt, quæ Aristoteles vocat *purgamenta*; sunt autem revera τὰ καθαίρματα, à quibus etiam solâ ratione differunt, quòd hęc ante partum, illa post partum, sic appellentur, l. de atrâ bile, c. 8.

Locus, à recentioribus Medicis, corporis particula quælibet p. n. affecta appellatur, 1. de loc. aff. 1.

Longaon, sive *Longanon intestinum*, vide *Rectum*.

Longitudinalis ſutura eſt, quæ à medio poſterioris Calvariæ, per capitis longitudinem, ad mediam uſque anteriorem, extenditur, unde Græcis ὀϐελαία, id eſt, *recta*, vulgò *ſagittalis*, & *longitudinalis* appellatur, à Lambdoeide ad Coronalem finiens, libr. de oſſibus, cap. 1.

Longus pulſus, vide *Latus.*

Lopidoeides ſuturæ, quæ & *Lepidoeides* dicuntur, vide *Lepidoeides.*

Lordoſis, id eſt, Excavatio, facta per vertebrarum luxationem, ad internis corporis partes, 4. de loc aff. vide *Cyphoſis.* Λόρδωσις, *vitium ſpinæ*, cùm ejus vertebræ loco ſuo motæ ſunt, & in priorem ſive anteriorem partem converſæ. Vel inclinatio ſeu incurvatio in anteriorâ, cùm homo vitioſâ dorſi ſpinâ ſemper capite prono eſt, & cernuo.

Lotium eſt, cùm renes ſeroſum ſanguinis excrementum attraxerint, utilem, qui in eo eſt, ſanguinem retinent, & ex eo nutriuntur; excrementum verò ipſum ſeroſum à facultate ſegregatrice, ceu inutile expellitur per uretres in veſicam; ſed quamdiu in venis atque arteriis hoc cum ſanguine currit, *excrementum ſeroſum*, & *ſeroſitas* vocatur: ut, cùm ſegregatum eſt, *lotium*, & *urina* dicitur, libr. de ren. aff. dign. cap. 1.

Luctuoſa reſpiratio, eſt interrupta inſpiratio, & quaſi duplicata geminataque aëris revocatio, ſtante interim thorace, deinde rurſus id, quòd deeſt adjiciente, qualis infantibus accidit, quo tempore plorant, veluti ſuperinſpirantibus, 6. aphor. 54.

Lumbi, ὀσφύς, propriè pars eſt totius ſpinæ infra dorſum, ſive thoracem, quinque vertebris omnium craſſiſſimis, maximisque compacta, inter dorſum, & os ſacrum mediis. Breviùs alii ajunt, *Lumbi* ſunt dorſi ea pars, quâ cingimur. vide *Dorſum.*

Lumbrici, vide *Elminthes.*

Lupus, ſeu *Strangulator*, Græcè λυγμώδης, dicitur, affectus

affectus iis eveniens, qui sperma diu præter naturam retinuerint; quòd veneni naturam induens in venis & arteriis, dum nequivit ejici, anginosam generat passionem in faucibus, & quandam quasi suffocationem, lib. de spermat. fol. 36.

Luscioſus dicitur, qui eo affectu, qui *Nyctalops* dicitur, vexatur, 10. de simplic. Μύωψ is dicitur, qui à primo ortu, non nisi oculis propiùs admota videt, eademque propè oculis contingit, & limis semiclusisque oculis aspicit, etiam si parva sint; remota verò, quamvis magna, videre non potest. Vitium oculorum est congenitum ab imbecillitate visivæ virtutis animalis, & spiritus visivi, eamque ob causam incurabile; differt à *Nyctalope*, quippe qui non naturâ, sed ex morbo talis evasit. Μύωπας Græci vocant, Latini *Luscioſos*, & *Luscitioſos*, appellant, ipsa verò affectio μυωπία, & μυωπίασις appellatur.

Lutea bilis, id est, *Vitellina*, 8. de placit. 4. vide *Bilis pallida.*

Luxationes, quas ossium ex cavitatibus suis excidentias, *exarticulationes*, & *exarticulata* interdum vocat Hippocrates, sunt ossium à propriâ sede excessus, sine fractione eorundem facti, 1. de fract. 1.

Lycanthropia, Græcè Λυκανθρωπία, Λυκάνθρωπος, Κυνάνθρωπία, Κυνάνθρωπος, Λυκάων: Arabicè, *Catrab*, *Cutubut*; Latinè, *Lupina*, vel *Canina insania*, species est melancholiæ, ut testantur Aëtius & Paulus, quâ ægri imprimis mense Februario, quo præsertim humor melancholicus redundat, noctu domo egressi, urbem circumeunt, quadrupedum more incedentes, lupos imitantur ululantes, donec dies illucescat, defunctorum monumenta quæritant, adaperiunt, cadaverum frusta arripientes; secumque collo gestantes, fugiuntque die vivos homines, nocte insequentes mortuos. Sunt autem eorum notæ; facies pallida, oculi sicci & cavi, visus hebes, lingua siccissima, saliva in ore

nulla, sitis immodica, tibiæ perpetuò exulceratæ propter frequentes casus: atque ut canes mordent, ex quo arbitror morbum ipsum etiam κυνανθρωπίαν vocatum fuisse Veteribus.

Licoeides, vide *Lupus*.

Lytheria, id est, solutoria signa, quæ magni, & vehementis morbi solutionem firmam solent præcedere 3. de diebus decret. cap. 1.

M.

MADAROSIS, Μαδάρωσις ἢ Μαδαρότης, id est, *Glabrities*, *Calvitium*, capillorum defluvium est, à cacochymiâ, & vitiosis humoribus proveniens, quales affectus sunt *Ophiasis*, & *Alopecia*; quæ omnes passiones sanabiles sunt, vitiosis humoribus, qui ad radices capillorum hærebant, vel resolutis, vel aliò translatis & vacuatis, 6. aph. 34.

Madorem, & *Pladorem*, id est, superfluentes humiditates, appellare consuevit Hippocrates, sive tenues, sive crassiores, cujusmodi & pus est, 3. de fract. 19.

Magma, in specie, mirobalanorum fæcem vocant, 7. de comp. med. per gen. cap. 7. Aliqui verò omnem unguenti fæcem, quæ expressâ reliquâ liquidiori materiâ utili relinquitur, μάγμα vocant; extenditur quoque nomen hoc ad omne unguentum spissum, pauco liquore subactum.

Magna arteria, vide *Arteria aortæ*.

Magna febris, vide *Febris magna*.

Magnus morbus, vide *Affectus gravis*.

Magnus pulsus est, qui naturalem pulsum omnibus tribus dimensionibus superat: qui verò iisdem dimensionibus è naturali superatur, *parvus* dicitur, de puls. ad Tyron. cap. 2.

Malæ, carneæ partes sunt, quæ inter nasum, & aures jacent, quæ Priscis *Genæ* dicuntur, libr. Introd. cap. 10. sic dictæ, quod rubentes ad mali similitudi-

dem

nem sub oculis leniter rotundæ promineat, 1. de art. 3.

Malactica medicamenta sunt, quæ induratorum solvunt duritiem; quemadmodum *relaxantia*, quæ tensioni medentur, nuncupantur, 7. de compos. med. per gen. cap. 9. *Malacticum* autem *emolliens* dicitur eorum corporum, quæ induruêre, ac in quibus contentus est humor præter naturam, velut partes sunt scirrhosæ; quòd verò à siccitate induratum est, humectari postulat; quòd à congelatione, calefieri. Græcè μαλακτικὸν φάρμακον, 5. simpl. 5. Quæ verè emolliunt, calida esse oportet, secundo aut tertio ordine: Nam quæ minùs calida sunt, ea potiùs in genere pus moventium habentur: quæ verò sunt calidiora, potiùs digerendo vacuandoque indurant, quàm emolliunt: Itaque facultas quoque emplastica in iis inesse debet.

Malagmata, aliàs *Cataplasmata*, vocant omnia pharmaca, quæ forinsecùs imponuntur, sive adstringendo condensent, sive indurent, sive emolliant, 8. de comp. med. loc. 5. Propriè autem *Malagmata* vocantur, quæ partes præter naturam induratas emolliunt, moderatè sunt calida, non tamen exsiccantia, aut humectantia insigniter. Nam, cùm exactè mollientia, medium quodammodo ordinem inter humectantia, siccantiaque sortiantur, proin moderato suo calore indurescentium substantiæ, veluti fusionem quandam moliuntur; ubi verò diutiùs diffusa fuerint, digerentium medicamentorum loco esse possunt, 7. de comp. med. loc. cap. 1. unde quidam nullum discrimen constituunt inter Μαλάγματα, ἐπιπλάσματα, τροχίσκους. Porrò *Malagmata*, aut mediis corporis regionibus (quæ propriè ἐπιθέματα, Paulus appellat) ut ventriculo, jecinori, lieni, cordi imponuntur; aut extremis partibus, ut capiti, & articulis admoventur.

Maligna, vide *Cacoëthe*.

Malleoli, sunt imæ ab utroque latere tibiæ, suræ, partes gibbæ, ex parte exteriore, intrinsecùs cavæ, carne

carentes, extra alia prominentes, sub quibus utrimque talus continetur, lib. de ossib. cap. 22.

Malleoli vena duplex est, altera *interna*, ad interiorem tibiæ partem (*Cream* Latini vocant) procedens, ac inde ad *malleolum*, ad ipsum tibiæ extremum pervenit, quæ & *Saphena* corrupto vocabulo, pro *Saphea*, id est *manifesta*, dicitur; altera, *externa*, & *superficiaria*, per exteriorem alterius ossis tibiæ, quòd περόνη vocant Græci, producitur, ad pedis pertingens articulum, unde *externa malleoli*, & *Ischiadica vena* aliquibus dicitur.

Malthacode emplastrum, id est, *mollicinum*, quo genere Hippocrates omne medicamen vocat, quòd connatam humiditatem habet, qualis in pinguibus est singulisque oleosis medicamentis, & quidem in ipso oleo, aquâ, resinâ, & cerâ, 4. de compos. medic per gener. cap. 9. Μαλθακώδη φάρμακα. Μάλθη, *ceram* significat, eam præsertim quæ mollis est.

Malum Granatum, & *Malum Punicum*, vide *Cartilago ensiformis*.

Mamma (Μαζὸς ϗ τιτθὸς Græcè) est carnosa in pectore, ad utrumque latus eminentia glandulosa, semicircularis, in cujus medio papilla (Græcè θηλὴ) extuberat, quam ambit circulus quidam subniger, qui φῶς dicitur, gignendi lactis vim à naturâ habens, 1. de sanituend. Verùm glandulosa illa substantia admodum varia est. Viris namque (in quibus propriè μαζὸς dicitur, ut μαστὸς, sive μαθὸς in mulieribus) calidioribus scilicet & siccioribus penè nulla est, eademque arida, ut etiam admodum puellis. Juvenculis verò compactior est & duriuscula, vetulis verò flaccida. Eam autem multæ sed parvæ glandulæ constituunt, sibi mutuò incumbentes, & inter se commissæ, adipis & fibrarum interventu, quæ ex carneâ membranâ in cutem pertinent. Semicircularis illi est forma, non tam quò minùs pateret injuriis, quàm quo plus lactis contineret:

tineret: Est enim rotundum omnium capacissimum: Sic quidem condita mamma aptissimum fit gignendi continendique lactis organum, quòd quia è sanguine gignitur, idcirco natura venas & frequentes mammis largita est; aliàs quidem externas à ramo venæ cavæ axillam jam petentis, descendentes, aliàs verò internas à venâ cavâ patiter descendentes ex jugulo summoque sterno. Hæ partim absumuntur in mammas & musculos pectoris internos, partim verò ad Xiphoëidem cartilaginem, & musculos rectos delapsæ, inque eos & vicinas partes distributæ, paulò supra umbilicum, surculis aliquot suis occurrunt surculis totidem venarum epigastrii: indeque fit consensus ille mammarum cum utero. Habent & hæ venæ arterias aliquot comites, sed perpaucas & graciles.

Mammillaris, Μαστοειδὴς, est apophysis ossis temporalis, papillis mammarum, præsertim vaccinarum, similis; Extuberat, & cavus est, quo aër in amplâ, & anfractuosâ ejus cavitate conclusus, magis resonet auribus. Dicuntur & à quibusdam *uteri cornua*, Κέρατα dicta, μαστοειδῆς ἀπόφυσις propter similitudinem, quam habent cum mammis.

Mancum, & *Mancinitatem*, aliàs *Cyllon*, & *Cyllosin*, nonnulli, de omni longorum membrorum distortione intelligendum censent, generaleque ei attribuunt significatum; alii, eam tantummodò distortionem significare asserunt, in quâ ad interiorem partem membrum inclinatur; quod cùm accidit necesse est, ut summum ejus, E. G. pes intrò contortus, quasi mancus & mutilus appareat, 3. de artic. 87. vide *Cyllum*.

Mandibularii, *Manducatorii*, *Mansorii*, *Masseteres musculi*, Græcè μασητῆρες μῦες, alii sunt à temporalibus, quos *Crotaphitas* vocant; nam posteriores Anatomici, eos *temporales*, seu *temporinos* nominant, qui ex ossibus temporum capitis exoriuntur, quos, cùm intenduntur, committere, ac claudere os, manifestè con-

ſpicimus, alios verò, qui latis inferioris maxillæ partibus ſuperjecti ſunt, utrimque alter, propterea quòd in manducando, maxillam circumagunt, *Manducatorios* vocant, cùm illi, qui è ſuperiori parte deferuntur, efficere id minimè valeant; attrahunt enim ſurſum eam tantummodò, non traducere etiam hàc illàc queunt: Unde in committendo quoque ore, ipſorum auxilio indigemus, 2. de artic. 5. à mandendo ſic dicti, quos etiam *Mandibularios*, *Manſorios*, & *Maſticatorios* vocant, 4. de anat. adm. cap. 2. & cap. 4.

Mania, *Furor*, *Inſania*, Μανία, ſpecies delirii vehementioris, 2. de cauſ. ſumpt. ut enim τὸ παραφρονεῖν, ſeu delirii eſt citra febrem inſanire, & mente alienari, ita ſi huic inſaniæ adjungatur magnitudo, & vehementia ſymptomatum, (ut, cùm ægri calcitrant, mordicus impetunt vel ingredientes, vel quoſcunque obvios, ferarum more diſcerpunt) *Mania* dicetur, ex aſſatâ, vel atrâ, vel flavâ bile procedens, 3. de loc. affect. cap. 7. Quòd ſi à ſanguinis copiâ non putrente originem ducat, erit quidem *Mania*, ſed cum riſu, hilari vultu, & perpetuo cantu. Aliquandò Hippocrates *Maniæ* nomine pro melancholiâ morbo propriè dicto uſurpavit, ut teſtatur Galenus, 6. aphor. 21. Cerebro accidit vel per ſe, vel per conſenſum affecto. Nunquam pituitoſus humor eam parit, ſed eum acrem & mordacem eſſe oportet. Quod autem delirium parvum miteque eſt, Hippocrates λῆρον appellare conſuevit.

Manifeſta vena, ramus eſt venæ à corde ad furculas aſcendentis, quæ per faciem, oculos, caput, & nares dividitur, ut omnia membra nutriat, quæ inde *Manifeſta* vocatur, lib. de anat. viv.

Maniodes paraphroſynæ, ſunt vehementes inſaniæ, propter atræ bilis malignitatem, cùm flava bilis Cerebrum apprehenderit, febriſque vehementia aſſatum hunc ſuccum melancholicum reddiderit, comm. 1. in 1. prorrhet. 19.

Manna,

Manna, mel roridum, vel *aërium* dici potest; Mellis species est non ignota veteribus, Galeno, Plinio, Dioscoridi; sed mellis nomine, & titulo comprehensa, ne quis eam ab Arabibus primùm cognitam, proditamque putet; sic enim de eâ scriptum reliquit Galenus: *In foliis*, inquit, *stirpium adnascitur quippiam, quòd nec eorum succus, nec fructus, nec pars existimari possit, sed roridum quiddam, nec tamen continenter, neque copiosè prognasci soleat. Nec me præterit, per æstatem, in arborum, fruticum, herbarumque foliis plurimum fuisse inventum, sic ut à ludentibus rusticis, Iupiter diceretur mille pluisse; præcesserat tùm nox frigidior, pridiè calida, siccáque cœli constitutio diluxerat; quapropter inter rerum naturæ peritos conveniebat halitus, quos terra, vel aqua exspirasset extenuatos & excoctos, nocturni frigoris beneficio coaluisse. Id in regione nostrâ raritùs evenit, in Libano monte quotannis, adeò ut extensis pellibus arbores succutiant, receptoque quod profluit, ollas & fictilia compleant: privatoque nomine vocant* δροσόμελι, id est, *roscidum mel, & etiam* ἀερόμελι, id est, *mel aërium*. Hæc Galenus, 3. de alim. fac. cap. 39. de melle. Cuique igitur patere debet, notâm Galeno, *Mannam*, quæ gustu prorsùs mellea sentitur. Concrescit maximè Vergiliarum exortu, vel sydere Syrio splendente. Vim habet modicam ciendi alvum, & flavam bilem pellendi, tutoque pueris, & fœminis uterum gestantibus, exhiberi potest. Dicitur item & *Manna thuris*, (quæ & *Succussio*, & *Pollen* nuncupatur, 2. de art. 44.) id est, Thuris micæ concussu elisæ, corticis parùm participes, adstringendi vim totam, & qualitatem possidentes, 5. de comp. med. per gen. cap. 2. Videturque aliquibus *Mannam thuris* nihil à *Thure trito*, ac *lævigato* differre; *Mannam* enim propriè appellant id, quòd excussum est à Thure, circa magna onera confracto; auferuntur enim ab ipso fragmenta quædam parva corticis thuris, 4. de compos. med. loc. 4. & 13. method. cap. 5.

Manſorii muſculi, vide *Mandibularii*.

Manus (quas homo pro corporis nuditate, quòd armis nudum ſortitus eſt, armorum loco obtinuit, ſunt juxta Ariſtot. organum ante omnia organa; cùm nullum ſint eorum, quæ particularia organa ſunt, ſed quodlibet eorum poſſint recipere, 1. de uſu part. cap 4. *Manus* autem nunc *totum* artum ſuperiorem, brachium ſcilicet, cubitum & manum ſignificat; nunc *extremam manum* tantùm, 2. de uſu part. cap. 2.

Manûs dolor, Græcè χειάγρα, arthritidis ſpecies eſt, quæ manuum articulos occupavit, ut *Gonagra*, quæ genu, & *Podagra*, quæ pedes. Nec verò morbus ipſe ſic appellatur, cùm viget & dolorem facit, ſed ipſa etiam articulorum contortio, & imbecillitas poſt morbum relicta. Tophis enim articuli manent intercepti. Id enim ſignificat ἡ ἄγρα τ' χειρὸς, hoc eſt, *manus captura*; quamvis alii χειάγραν, quaſi χειάγαν, hoc eſt, *manus dolorem*, ἀπὸ τ ἀλγήματος derivari malint.

Maraſmus, ſive *Ex morbo ſenium*, eſt frigidum, & ſiccum corporis temperamentum, non naturâ, vel annorum multitudinis ratione comparatum, ſed febrili morbo: quòd non in animalibus modò, verùm etiam in ſtirpibus ſupra modum arefactis viſitur, 5. de ſanitate tuend. cap. 9. *Maraſmus* itaque idem eſt quòd *Tabes*, quæ non idem eſt, ac *febris maraſmodes*, ſive *tabida*; *Maraſmus* enim abſque febre in decrepitâ ætate ſolet accidere, extincto nativo calore, & ſuperveniente morte, quæ ſine ſenſu doloris, ac ſecundùm naturam ex ſiccitate contingit; ſicuti his, qui præter naturam tabeſcunt; *altera* advenit *ſpecies*, quæ *ex ægritudine ſenectus* vocatur, in quam non ſolùm ſenes, ſed etiam pueros vidimus incidiſſe quamplurimos. *Tabida* verò *febris*, non tantùm ſicca, ſed calida eſt, 1. de diff. febr. cap. 8. Facilè hic morbus innoteſcit, oculorum ingenti cavitate veluti in foveis quibuſdam reconditorum, & univerſi corporis ſqualore, caloris vitalis flore

flore destituti, cutis circa frontem siccitate & tensione, palpebris instantibus & tanquam somno gravatis ab impotentiâ quâdam vigilandi : sunt & tempora collapsa atque cava. Breviter, totus homo non aliud est, quàm ossa atque cutis. In ventre nulla intestina, nulla viscera inesse credas : adeò contracta sunt præcordia, & consumpti ventris musculi, ut nihil ex iis præter fibras & cutem supersit. Hæc autem symptomata aut adhuc fieri intelliguntur, aut jam planè facta absolutaque esse. Inde duplex marasmi differentia exsistit, unius quidem nondum perfecti, sed adhuc ad majorem consumptionem tendentis : alterius verò jam planè consummati. Hic prorsus immedicabilis est, illi remedia quædam possunt adhiberi. Verus autem marasmus est, per quem omnes corporis solidæ partes similiter marcescunt, initio ab ipso corde facto ; non verus autem, qui in certâ quâdam parte consistit, ut in ventriculo & jecinore, in quibus Galenus magnâ ex parte hecticas marasmodesque febres se contemplatum esse scribit. Superveniunt aliquando & pulmoni, sed rarius, tum propter ejus humiditatem, tum quòd spirando refrigeretur. Incidunt & pectori & mesaræo, & jejuno, & colo, interim verò & utero & renibus. In septo autem transverso marasmum, se nunquam vidisse Galen. scripto testatus est, sed hecticam sanè febrem vidisse, & hanc semel quidem plane absolutam, sæpè verò citiùs interimentem quam planè esset completa, quòd eam & spirandi difficultas & delirium excipiat.

Marcor, Marcor frigidus, torridus, vide *Febris marcida*, &, *Ex ægritudine senectus*.

Mariscæ, venulæ sedis sunt, quæ aliquando foris extuberant, ore hiantes, & ilato tempore sanguinem melancholicum excernentes, aliàs, *hæmorrhoides* dicuntur, quibus plus justo fluentibus, aqua inter cutem subsequitur ; interdum superiùs diliteſcunt, & cæcæ ἀιμορῤῥοΐδες appellantur. vide *Sicosis*.

Mar-

Marmarygæ, id est, *oculorum hallucinationes*, 3. crisi. 11. & cap. 7. Μαρμαρυγαὶ apud Hippocratem splendores crebri, & velut fulgura frequentia, subita & ardentia. Sunt autem nihil aliud quàm splendores oculis obversantes.

Masseteres, vide *Mandibularii*.

Mater dura, & pia, vide *Membrana dura*.

Matrix, Μήτρα, id est, *Vulva*, foris nervosa, intùs carnosior, vas fœtûs gestandi, quæ à Græcis Ὑστέρα quoque appellatur, quòd omnium partium sit postrema, libr. finit.

Maxillæ, sunt illæ faciei partes, quæ genis subjectæ, ad mentum usque descendunt, & hâc in mucronem desinunt, libr. Introd.

Maxillares dentes, vide *Dentes, Tomi, Incisorii*.

Meatum, sive *Porum*, simpliciter Herophilus appellat, Nervum opticum, qui à cerebro ad oculum pertinet, sensibilis spiritûs via, quòd ejus solius foramen clarè cernitur, 1. de sympt. caus. cap. 2.

Meatus auditorius est, qui in osse lapidoso est, satis involutus & anfractuosus, ne quid eorum, quæ extrinsecùs incidunt, ipsi noceret, ipsasque aures facilè offenderet, proin in medio situs, extrinsecùs quidem convexarum, intrinsecùs autem cavarum, 11. de usu part. capit. 12. Constituitur autem in medio nervi quintæ conjugationis, qui unà cum durâ cerebri membranâ, involucro velut suo, in auditûs foramen incidit. Dicitur autem & hic meatus *cœcum foramen*, propterea quòd anfractum illum, per quem nervus foràs post aures excidit, haud possunt dissectores perfectè perforare, lib. de nerv. diss. cap. 6. vide *Cœcum foramen*.

Meatus genitalis est, qui genituram à testibus haustam, ad Colis radicem defert, qui meatus juxta radicem vesicæ varicosior conspicitur; unde ei nomen inditum est, *Varicosus assistens*, 1. de sem. cap. 15.

Meatus varicosus, vide *Meatus genitalis*.

Meco-

Meconium, excrementum est, ex toto fœtûs nutrimento, in utero, in urinaculo congeri solitum, toto uteri gestationis tempore, lib. quòd animal sit id, c. 5. Est quoque Μηκώνιον, papaveris succus concretus, qui & ὄπιον appellatur, 3. simplic. 20. Sunt tamen qui ea distinguant, Plinium secuti, qui libr. 20. cap. 18. scriptum reliquit, cùm capita ipsa & folia papaveris decoquuntur, succum meconium vocari, multò Opio ignaviorem.

Media, seu *Mediana cubiti vena*, est, quæ communis est ei, quæ *humeralis* nominatur, & ei, quæ per axillam fertur, 3. loc. affect. cap. 7. quæ & *purpurea*, & *nigra* vocatur, libr. de anat. viv. vide *Communis vena*.

Medianum, seu *Mediastinum*, sunt duæ membranæ, utrâque parte singulæ totum thoracem Διαφράττοντες, id est, *Interseptentes*, quæ posteriore parte spinæ, vertebris, anteriore verò, ossi medio pectoris infiguntur, sursumque ad claves, & deorsum ad ensiformen cartilaginem porriguntur, in duas partes totum thoracem dividentes; unde vulgò *Mediastinum*, sive *Medianum* vocant; his enim medius thorax dirimitur, 6. de usu part. & 5. de anat. admod. quæ membranæ non aliter differunt, nisi quòd in costis, ὑπεζώγοις, id est, *Succingentes*, appellantur; ubi verò rectæ ad claves feruntur, Διαφράττοντες, id est, *Interseptentes*, 5. de anat. admod. vide *Diaphragmatis*.

Medicamentum, omne id dicimus, quòd nostram naturam alterare potest, 1. simpl. cap. 1.

Medicari, generaliter loquendo, idem est, quòd *mederi*; propriè est idem quòd *purgare*: neque de omnis medicamenti exhibitione intelligit Hippocrates, sed de eorum tantùm quæ purgant, 2. de fract. 29.

Medulla spinalis, (quæ & *Dorsi medulla*, ῥαχίτις μυελὸς, & vulgò *Nucha* nominatur) est, quæ omnibus, & singulis vertebris inest, 8. de usu part. capit. 4. estque Cerebro, velut principio suo, continua, ejusdem

dem cum eo generis & naturæ, nisi quòd ipso multo est durior & compactior, potissimùm in infernis spinæ finibus; eam tamen perperam *medullam* appellarunt cùm *medulla* ipsa, non modò spinali hâc, verùm etiam Cerebro ipso sit humidior, mollior, & pinguior quòd verò in spinæ ossibus contineatur, coloremque habeat *medullæ* assimilem, ob id ipsam *medullam* nominant; quo modo etiam quidam ipsum Cerebrum vocitârunt, 3. de alim. facult. cap. 10. Communiter eam *spinalem* vocant *medullam*, additâ scilicet *medullæ* appellatione; interdum verò sine additione simpliciter *spinam* nuncupant, 3. loc. affect. 10. vide *Myelos*. Oritur ex cerebri totius basi, eique corporis substantiâ similis est, & ejusdem cum eo generis, nervosque ut & cerebrum producit, donec velut effæta desinat in finem brevem, acutum simplicem cum coccyce. Nervi autem hi subjectas cerebro partes movent, & sentientes efficiunt. Ut planè constet *spinalem medullam* partibus capiti subjectis tanquam cerebrum esse, & multa cum cerebro habere communia, substantiæ similitudinem, principium nervorum, sentiendi vim propè parem, & præterea meningas duas, unam tenuem à tenui meninge cerebri ortam, quæ vasa ipsam nutritura colligat, & substantiam ejus admodum mollem, cerebro tamen non paulò duriorem constringit; alteram crassam, à crassâ similiter cerebri meninge prodeuntem, quæ tenuem ambit & munit contra spondylorum duritiem. Nec tamen propterea medullam hanc cum cerebro eandem esse, censendum est: habet enim utrumque quædam propria & discrepantia. Nam cùm cerebrum pulset atque moveatur, quanquam osse immobili contineatur, medulla tamen non movetur, tametsi à spondylis mobilibus continetur, nullumque habet medium intervallum, ut cerebrum, sed præter meningas duas, tertiam, quâ cerebrum caret, tunicam nervosam, validam, crassam, aspe-

ram,

ram, humore circumfusam viscoso. Hæc non modo duas illas meningas, sed etiam spondylos & totam rachitidem vestit, & contra motus violentos & injurias alias omnes, tum internas, tum externas, tutò communit. Nascitur autem ab osse occipitis, quo loco spondylis committitur, & ad imam usque spinam, sicut & ipsæ meninges, excurrit.

Megalosphlanchnos, vocat Hippocrates non eos duntaxat, quibus magna ex naturâ ipsâ sunt viscera, sed quibus ea, ex affectu aliquo, intumuerunt, sive Scirrhum, siue Phlegmonem, sive Oedema, nacta sint, 3. acut. 9. Μεγαλόσπλαγχνος dicitur etiam ὁ οἶνος, hoc est, Vinum, apud Hippocrat. quod Galenus interpretatur viscera in molem attollens, seu magna viscera faciens: Id quòd ipse inprimis tribuit vino dulci.

Melancholia morbus, est delirii species, ab humore melancholico, (à quo etiam nomen sortitus est) in ipso Cerebri corpore p. n. contento proveniens, qui ipse humor si affetur, maniam facit, & furorem, 3. loc. aff. 7.

Melancholia flatuosa, sive *hypochondriaca affectio*, morbus est, ex tertiâ melancholiæ specie, indicante nomine humorem, qui ipsius causa est. Cùm circa ventriculum prima incæperint accidentia, ipsisque auctis melancholica sequetur affectio, deinde alvi dejectione, vomitu, probâ coctione, ructibusque levatur is, qui laborat, Hypochondriacum, flatuosumque morbum ipsum nominabimus, 3. loc. affect. 7. Μελαγχολία est desipientia sine febre, timorem & mæstitiam sine causâ inducens: Species est τῆς παραφροσύνης. Habet enim depravatam facultatis imaginatricis & ratiocinatricis, motionem, multa vana animo volvens quæ metuat, magnumque inde mœrorem concipiens. Sunt enim timor & mæstitia duo perpetua communiaque omnium, melancholicâ laborantium symptomata, ut ait Hippoc. aphor. 23. libr. 6. Humor autem melancholicus

licus gignitur, & abundat vel in cerebro solo, vel in solis hypochondriis, sed maximè sinistro, unde humor atque vapor cerebrum petunt, vel in universo corpore. Hypochondriaca autem omnium mitissima esse solet, secundùm eam, quæ totius corporis vitio provenit: Pessima verò, & ferè incurabilis, quæ ex privato cerebri affectu oritur. Cùm verò duæ sint potissimum humoris melancholici differentiæ, unus frigidus & siccus, vinorum fæci respondens, alter calidior, acrior, & ustione redditus ferocior, qui μέλαινα χόλη propriè appellatur, ille, morbum de quo agimus, parit, ideoque febrem non habet: qui verò ab illo fit, non simpliciter μελαγχολία, sed μελαγχολικὸ ἔκστασις, hoc est, σφοδρὰ καὶ φρενώδης nuncupatur, febremque habet adjunctam, tanquam phrenitidis & inflammationis cujusdam particeps.

Melancholicam ecstasim vocat Hippocrat. motionem mentis, aberrationemque vehementem & ferinam, quæ, irrigante Cerebrum assatâ flavâ bile, oritur, quæ in nigram permutari solet, 1. prorrhet. 14.

Melancholicus humor, duplex; alter est, qui propriè melancholicus succus, sive melancholicus sanguis à Galeno dicitur, estque veluti fæx sanguinis, satis crassus, fæcibus vini non absimilis, qui in terram effusus, non inducit fermentationem, nisi fortè in ardenti febre assetur, neque ullius acidæ qualitatis est particeps; qui in meatibus Cerebri contentus, Comitialem morbum, in corpore Cerebri melancholiam morbum generat; vide *Nigra bilis*. Alter est tenuior, gustu acidus, qui terram radit, attollit, fermentat, ampullasque excitat, qui *atra bilis* appellari potest, quâ præassatâ nascuntur ferina deliramenta, modò cum febre, modò sine febre, 3. loc. aff. cap. 7. & 2. de differ. febr. 9.

Meliceris, Μελικηρὶς, humorem melli similem, membranâ conclusum habens, species est apostematis, ut & ἀθήρωμα, & πάτωμα, quorum hoc ab adipe, illud à pulti-

pulticulâ intra membranam conclusâ, nomen habet. Meliceride dissectâ, inibi contentus humor non aliter, quàm mel è favis diffluit. Sed dicitur eodem etiam nomine aliud ulceris genus, quòd propriè κηρίον appellatum est, ut testatur Aëtius, libr. 6. cap. 68. vide *Atheromata*.

Melicratum, sive *Aqua mulsa*, aut *Hydromel*, est mellis & aquæ compositio, vel ex æquâ utriusque portione (ut viam urinæ paret, & ad distributionem agat) vel alterâ alteram superante factâ, 3. acut. 13. licet quidam velint, μελίκρατον, ἀπὸ τοῦ ὑδρομέλιτος vetustate differre; quod *Melicratum* sit aqua mulsa subita & recens, hoc est, ex tempore comparata; *Hydromel* autem, inveterata, & recondita. Quoniam aqua melle mista, non admodum utilis ex iis, qui amaram bilem coacervant, & facilè in iis vertitur in bilem, nisi prius per intestina aut vesicam transeat, ejusmodi naturis dilutior dari debet, ut nec sitim adferat, nec bilem gignat. Similiter iis, quibus viscera scirrho aut phlegmone, aut œdemate tentantur, aut aliquo morbo acuto laborant. Nam cùm mel in iis, tum propter moram, quàm in obstructis viscеribus trahit, tum propter eorum ardorem protinus in bilem vertatur, eamque ob causam noceat, aqua autem tardè penetret, & nimis diu moretur in hypochondriis, ex utrisque mistum Melicratum idoneum redditur ita temperatum melle & aqua, ut & facilè distribuatur in corpus, & bilem non gignat, nec sitim. Meracius verò exhibere convenit, si alvi dejectionem molimur. Paratur autem utrumque duobus modis: unum crudum est, alterum decoquitur. Crudo utimur, cùm alvum dejicere, aut vomitionem incitare volumus: Probè autem coctum, valentiùs alit. Coquitur autem ad hunc modum: Primùm multum aquæ melli indimus (Paulus, libr. 1. in octo partes aquæ, unam mellis miscet) deinde tantisper coquimus, quoad spumare desinat:

Spumam autem, cùm primùm emergit, tollere ab eo oportet. Convenit microsphyctis, tussientibus, peri pneumonicis, & iis, qui immodico sudore digeruntur.

Melon, est tertius modus egressionis uveæ oculi cùm tantum egreditur, ut palpebræ minùs prævaleant & pili palpebrarum pungentes, clausis oculis dolorem inferant, libr. de ocul. part. 4. cap. 11. Sic dicta ea est procidentia, quòd ita protuberet oculus, ut malum exertum appareat. Μῆλον enim etiam id est, quòd Galli Pomum vocant, cujus flores, folia, & germina adstringunt; dicitur etiam μῆλον, *mala*, gena, pars faciei, inter nasum & aurem sub oculo leviter eminens. Ea pilis nuda est, non modò propter os subjectum, sed etiam ad ornatum & decorem vultus, quodque natura voluerit eam esse sedem pudoris, ibique maximè ostendi ruborem. Sic dicta est à Mali similitudine, sive rubeum Mali colorem spectemus, sive rotunditatem, quam illi natura donavit, ut sic oculum ab externis injuriis infra tutaretur. Pollux etiam Author est, μῆλα vocari tonsillas duas penitiores, in intimo ore positas ad radicem linguæ.

Membrana, quam Græci nunc ὑμὴν, nunc χιτῶνα, nunc μηνίγξ vocant, est pars simplex, alba, nervosa, lata, plana, valida, tenuis, facileque dilatabilis. Cùm partem aliquam vestit, χιτὼν: cùm cerebrum foris integit, μηνίγξ; aliàs, ὑμὴν dicitur; vide *Tunicarum*.

Membrana Adelos, ἄδηλος, quasi minùs apparens, est quarta oculi tunica, à nonnullis invecta, quam Amphiblestroeides tunica, quasi in summo excipit, membrana minima simul, & tenuissima, quam Hippocrates non cognovit, libr. Introd. cap. 11.

Membrana dura, *inviolata*, *crassa*, *cuticularis*, (idem enim significant) est, quæ primùm calvariæ ossibus exemptis, aut saltem apertis. Cerebrum in orbem contegens apparet, (quæ vulgò *Dura mater* appellatur,)

cui

cui altera *tenuis*, *molliique* subnectitur, quæ *Pia mater* nominatur, 9. de anat. adm. cap. 1. Utramque *meningem* vocant, solis Cerebri membranis nuncupatione hac reservatâ; cùm Veteres non has solùm *Membranas*, sed omnes etiam, *Meningas* vocarent; ibid. cap. 2. quas etiam *Vaginas* vocant, 3. de artic. 33.

Membrana Pericardios, quæ & *Tunica*, & *Domicilium*, *Theca*, item & *Vagina*, & *securum vallum cordi circumjectum* dicitur, est Membrana, in cujus medio Cor est suspensum, quæ ex capite seu basi ipsius ampla valdè exorta, pòst autem paulatim coarctat sese, eo planè modo, quo Cor ipsum, in quandam Coni acutiem desinit, ossi pectoris annexa, 16. de usu part. cap. 16. quæ *Capsula cordis*, & *Cordis involucrum* vulgò appellatur.

Membrana Periostios, est involucrum tenue, & fibrosum, velut indumentum ossium, à naturâ condita, libr. finit. per quam ossa sentiunt, (si modò quid sentiunt,) generaleque quidem nomen est, habetque pro varietate partium, specialia quædam nomina; in Cranio enim περικράνιον, in Costis, ὑπεζωκώς dicitur. vide *Periostios*.

Membrana pinguis, id est, *Mesaræon*, & *Mesenterium*, 19. method. 8.

Membrana secundi formæ, vide *Choroeides*.

Membranæ Sigmoeides, sunt tres illæ membranæ in venâ arteriosâ, à quâ Pulmo alitur, intùs ortæ foràs spectantes, quas à figurâ literæ Sigma, *Sigmoeides* appellârunt, 6. de usu part. cap. 14. Dicitur etiam σιγμοειδὴς ἀπόφυσις, processus unus Omoplatæ, quòd instar antiquæ Græcorum literæ C cavus sit. Idem ἀγκυροειδὴς & κορακοειδὴς appellatur. Dicitur & hoc nomine, Sinus, seu Cavitas semicircularis in cubito, inter duas cubiti apophyses comprehensa, in quam brachii extremum, Trochleæ simile inseritur. Refert etiam figuram C, unde ζιγμοειδὴς, vel ζιγματοειδὴς appellatur. Dicuntur & χόνδροι σιγμοειδεῖς, cartilagines quibus

aſpera artêria contexitur, quòd ſemicirculares ſint inſtar C.

Membranæ ſubcingentes, vide *Hypezocotes*, *Cingentes*, *Diaphragmontes*, & *Medianum*.

Membranæ Triglochinæ, ſunt membranæ arteriæ venoſæ, (quæ in pulmonem diſtribuitur) foris intrò pertinentes, quas *Triglochinas* appellârunt, non à figurâ aliquâ, ſed à mutuâ inter ſe ipſarum compoſitione, quæ cuſpidum telorum eminentiis, atque angulis, quos *glochinas* vocant, penitùs eſt ſimilis, 6. de uſu part. cap. 14.

Membra ſpiritalia ſunt, Pulmo, Cor, Thorax, & duplex arteriarum genus, læve & aſperum, 7. de anatom. adm. cap. 1.

Membrum ſimplex eſt, cujus quamcunque partem ſenſibilem aſſumpſeris, erit illa toti communicans in nomine, eſſentiâ & definitione, ut caro, & os, oppoſitum illi eſt *membrum compoſitum*, lib. de anat. viv.

Mendoſæ coſtæ, vide *Illegitimæ*.

Mendoſæ ſuturæ, vide *Lepidoeides*.

Meningophylax, id eſt, *membranæ cuſtos*, lamina ænea eſt, firma, paulùm reſima, ab exteriori parte lævis, quâ Chirurgi in vulneribus capitis utuntur, quoties excidendum, & attollendum eſt os, metusque imminet, ne in ipſo opere Cerebri membrana, negligentiùs & ultrà quàm res expoſtulat, premendo, lædatur, & contundatur, ex quo ſopores, & graves inflammationes cum mortis periculo oriuntur; propterea quòd membranam à curationis injuriis & graviori oblæſione tueatur, μηνιγξοφύλαξ appellata eſt, 4. loc. affect. 2. Huic autem ſimile, quoddam ferramentum habent Chirurgi noſtri, inquit Gorr. quòd *Vectem* dicunt, cum eo attollant os, quòd ferme totum exciſum eſt, & jam labat, non ſecus quàm grandiores lapides vectibus impelluntur, quanquam eodem ferramento cerebri membranam cuſtodiant. Eſt enim lamina ferrea anguſtior

ab

ab eâ parte quâ os tangit aſpera, ab alterâ lævis, non recta, ſed media duobus locis recurvata.

Meninx, Græcè μῆνιγξ, vide *Membrana dura.*

Menſes, id eſt, menſtruæ mulierum purgationes, quæ per uterum ſingulis menſibus fiunt, libr. de atrâ bile, cap. 8. quæ & *muliebris fluxus*, & *uteri rheuma* appellatur, 3. de cauſ. ſympt. cap. 4. Unde *menſes* moventia medicamenta ſunt, quæ in peſſis, aut formentis, aut quovis alio modo vulvæ admota, non habent vim familiarium ſuccorum attractricem, ſed hoc ſolo nomine bibuntur, ut ſanguinem extenuent, & meatus uteri, obſtructione liberent, 5. ſimpl. 20.

Mentagra, vide *Impetigo.*

Menti eruptiones, ſunt affectiones ulceroſæ & aſperæ, in *Mento* ſuâ ſponte naſcentes, quæ & *Menti papulæ*, & *Mentagræ* appellantur, 5. de com. med. loc. cap. 6. & 7.

Mentum, quòd Græci γένειον dicunt, id omne eſt, quòd làbro inferiori, longâ & orbiculari figurâ ſubjacet, libr. Introd. cap. 10.

Meri, Arabibus, *Gula*, Latinis, Græcis propriè οἰσοφάγος dicitur, communiter Στόμαχος; omni enim ventri, collum præpoſitum, inſtar Iſthmi cujuſdam anguſtum, nominatur Stomachus. *Meri* autem communis quædam via eſt, quæ ab ore cibos & potum fert ad ventriculum, inter hunc, & fauces media, 4. de uſu part. & 13. method. capit. 4.

Meſaraicæ venæ, vide *Meſenterium.*

Meſenterium (quòd & *Meſaræon* dicitur) utroque nomine ab accidentibus ipſi indito; *Meſenterio* quidem à ſitu, *Meſaræo* autem à peculiari ſubſtantiâ; nam corpus membranoſum medium inter inteſtina ſitum eſt, & omnes venas ex jecore in ipſum deſcendentes, (quæ ob id *Meſaraicæ* dicuntur) unà cum vicinis arteriis & nervis in orbem complectitur, quemadmodum etiam in inteſtina ſingula, 6. de anatom. admod.

cap. 6. Est autem illi gemina tunica, quarum utraque à Peritonæo juxta lumbos exoritur & connascitur, nisi qua venas & arterias continent, aut qua adeps multus interceſſit, aut qua ipsa inteſtina convestiunt. Nam Ecphysis à Peritonæo, Colon, quâ fundum ventriculi supervehitur, ab Epiploo posteriore vestitur. Illis autem in partibus intercedentia vasa, adeps & inteſtina, tunicas mesaraei connasci prohibent. Cæterum, per eas venæ dispersæ sunt propè infinitæ, quibus tanquam manibus jecur succum ad se trahit, quem in sanguinem vertat, easque tunicæ illæ fulciunt, ne dum homo salit aut cadit, vehementiùs feritur, contundantur, aut disrumpantur. Nec verò *Mesenterium* venas modò continet, sed & arterias à magnæ trunco, quæ secundum lumbos fertur: eas enim omnes simul amplectitur, convestit, & tuetur. Nec tamen eo contenta natura, ad majorem eorum vasorum munitionem adipem multum *mesenterio* indidit, præterque adipem glanduloſum corpus, quòd παγχρείας vocant, machinata est, eoque medias eorum vasorum scissuras communivit, ne propter infirmitatem motionibus violentis læderentur.

Mesenterii appendiculum nominant, illud unum principium, in quo Mesenterii venæ, ac arteriæ, (quæ veluti radices in arboribus, in concavam anfractuum partem, inseruntur) invicem coëunt, & (in quo totum *Mesenterium* cum inteſtinis continetur) ligamentis naturâ præditum, sursum tendens, adjacentes sibi habens venas, ad jecoris portas; arterias autem, ad eam spinæ partem, quæ in septum transversum, & renes versùm tendit, 6. de anat. adm. cap. 6.

Mesopleuria, id est, *Intercostalia loca*, lib. de musc. diss. cap. 23. vide *Intercostales musculi*.

Metacarpium, vide *Brachiale*.

Metalepticus, id est, *transumptivus*, vel *translativus motus*, quem natura musculis quibusdam conciliavit,

7. de

7. de usu part. cap. 14. vide *Transumptivum*, & *Euthyporos*.

Metaphrenum, id est, *Dorsum*, media est scapularum pars, cui stomachus intùs subjacet, lib. Introd. cap. 10. cui Thorax configitur, tanquam ad carinam navis, libr. tegni, cap. 29. Verisimile est ex ipso etymo, eam Dorsi partem significare, quæ ad septum transversum sita est, quasi τὸ μετὰ τὰς φρένας. Sic enim Veteres, Septum transversum appellarunt. Rufus vocat partem inter Dorsum & Lumbos mediam, quâ Renes adjacent. Nec tamen inter partes spinæ numeratur, quam Veteres totam divisérunt in Cervicem, Dorsum, Lumbos, & Os sacrum. vide *Spina*, & *Dorsum*.

Metaporopœesis, est exiguorum meatuum flatusque morbidi mutatio, ad naturalem statum; nomen est, idem planè potestate significans, quòd μεταυγκρισις, à quo μεταπορεποίησις, nihil differt, 14. method. cap. 4. Unde *Metasyncriticum medicamentum*, quod à dolore tollendo, etiam *Anodynon* sæpè nominatur; Confirmatorium est, & persanat, libr. de Dynam, in procem. & 7. de comp. med. per gen. cap. 11. ex alto quin & humores evocat ac transfert, 1. de comp. loc. cap. 8.

Metaptosis, transitus est, sive transmutatio alicujus morbi, vel febris in aliam speciem, ut, si ex acuto fiat non acutus, tunc morbus acutus ἐκ τῆς μεταπτώσεως fieri dicitur.

Metastasis morbi propriè appellatur, cùm ex parte unâ, in alteram, malum (morbus videlicet, causaque morbida) migrat: per abusionem autem *ipsius* etiam *morbi solutio*, ita nominatur; 5. aphor. 7.

Metasyncrisis, vide *Metaporopœesis*.

Metopon, μέτωπον, pars faciei supra oculos sita, & ad tempora usque protensa, ex substantiâ musculosâ, & osse subjecto constans. Aliis, *frons* tantùm dicitur, quantum inter supercilia, & capillos patet, pilis nudum. Alii, totum id spatium, quòd ab oculis, ad co-

ronalem usque futuram extenditur, *frontem*, & *frontis os* appellant.

Metrenchitæ, i.e. uteri clysteres, instrumenta sunt per quæ in uterum medicamenta idonea immittimus; perindè ut *otenchitæ*, i.e. *auriculares clysteres*, per quos in aures, & *recti syphones*, (quos *Catheteras* vocant) instrumenta sunt, quibus in vesicam aliquid infunditur, 5. met. 11.

Methodica medicina est, quæ communitatibus, & similium speculationi unicè intenta, omnes particulares affectus, ad generales duos reducit, adstrictum, & fluentem, quos *communitates* vocant, lib. Intr. c. 3. Μεθοδικοὶ, Medici methodicæ sectæ addicti, quam illi definiebant esse cognitionem apparentium communitatum ad sanitatis finem spectantium. Statuebant autem ad curationis indicationem nihil conferre cognitionem loci, affecti, causæ, ætatis, regionis, anni temporis, considerationem virium ægrotantis, aut naturæ, aut habitudinis ipsius, neque consuetudinem, sed à solo morbo, convenientis remedii indicationem sumendam censebant, neque ab eo secundum speciem, sed ab ejus communi & universali notione, quam quidem appellabant κοινότητα, hoc est, *Communitatem*, ut quæ in singulis particularibus spectaretur. Constituebant autem in universum tres κοινότητας: *adstrictam, fluentem, & mixtam ex utrâque.* Atque in *adstrictâ* quidem relaxandi; in *fluente* verò, comprimendi indicationem sumebant; in *mixtâ* verò, quòd magis urgeret: Præter hæc tria nihil Medico considerandum judicabant, quòd ad remedii inventionem pertinere videretur. Ecquid enim, ajunt, juvat, refrigerationes, æstus, ebrietates, cruditates, plenitudines, defectus, lassitudines, otia, ciborum qualitates, consuetudinum mutationes tam anxiè rimari? Eáne, contemptis iis, qui in corpore sunt affectibus, sananda suscipimus, quorum nullum prorsus supereſt: Nam illa quidem abeunt, quòd autem ab illis excitatum est, in corpore manet; id ipsum curare oportet,

tet. Hoc enim morbus est. Considerandum est igitur qualisnam ille sit: Si namque adstrictus est, laxari: si fluidus est, reprimere oportet quâcunque tandem ex causâ uterque originem duxerit. Quid ergo jam causa valet, cùm nec quòd fluidum est, laxari, nec quòd adstrictũ est, adstringi unquam debeat? Atque ut reliqua similiter expendamus, proponatur phlegmone, in quâ cùm adstrictionis vitium sit, non si æstate acciderit, relaxantia remedia postulat: hyeme autem alia, sed utroque anni tempore iisdem percuratur: nec puerili ætate relaxantibus, senili verò reprimentibus: nec in Ægypto quidem laxatoriis, Athenis autẽ comprimentibus. Similiter si phlegmonę contraria fluida affectio statuatur, ea nunquam relaxantibus, sed perpetuò adstrictoriis remediis medicanda est, hyeme, vere, æstate, autumno, pueris ætate florentibus, senibus, sive Thraciam, sive Scythiam, sive Æthiopiam incolant. Itaque si nihil horum ad curationẽ conducit, frustra in his omnibus studium ponitur. Quid verò corporis partes? nonne & hæ supervacaneæ sunt ad indicationem curationis? vel audeat aliquis dicere phlegmonẽ in parte quidem nervosâ relaxandam, sed in arteriosâ, aut venosâ, aut adiposâ, aut carnosâ adstringendam esse? vel si aliqua sit in corporis quâdã parte adstricta affectio, audeat dicere eam non esse comprimendam, vel quòd fluidum dissolutumque est, constringendum non esse; quamobrem si partis natura non immutat curationis modum, sed auxiliorum inventio ex ipso affectionis genere dependet, in vanum partis ipsius ratio habetur. Ab eâ methodo nimiũ compendiaria μεθοδικοὶ dicti fuêre: quorum Princeps proditur Themison Laodic. Syrus, qui ab Asclep. *rationali* institutus, ad Methodicæ sectæ inventionẽ se contulit. Hinc est, quòd illum Gal. multis in locis *communitatum repertorem* nominat. Eam postea Thessalus Trall. absolvit, contra quem Gal. tam acriter sæpè debacchatur.

Milphosis, Μιλφωσὶς ἢ μίλφωσις, idem est, ac *Madarosis*

pilorum defluvium est ex palpebris, ab acri fluxione vide *Madάρωσις*,

Μᾶ, sive *Mina Attica*, & *Ægyptia*, habet uncias sexdecim, hoc est, drachmas 128, *Romana*, uncias viginti, libr. de ponder. & mens. cap. 3. Dicitur etiam *Mina*. Cordis capsula, & glandula, libr. de anat. viv. Plinius autem lib. 21. cap. ult. *Mna*, inquit, quam nostri *Minam* vocant, pendet drachmas Atticas centum. Quin etiam Fannius: *Mnam* vocitant, nostrique *Minam* dixêre priores, centum hæ sunt drachmæ.

Mochlia, traductio est ossium ad naturalem locum, ab eo, qui præter naturam, lib. finit.

Modus morbi, vide *Morbi mos*,

Mola, *Μύλη*, est os latum & rotundum, toti genu suprapositum, ob figuræ similitudinem sic dictum. Siquidem ut *Mola* pistrinensis & rotundum est, & ab anteriore parte lateribusque asperum, à quibusdam *patella*, *rotula*, & *ἐπιγονὰς* dicitur. Est adhæc *Mola*, caro informis, & inutilis, in muliebri utero concepta; quem conceptum inutilem in utero concretum, si subdurus fit, *μύλον*, sive *μύλλω* Græci appellitant, id est, *Scirrhum*. Ea interdum rudimentum cujusdam formæ obtinet, sed inchoatum duntaxat. Cute vel membranis obducitur, intus venis abundat compluribus, sine ossibus, sine intestinis, sine visceribus. Fit à semine imperfecto atque infœcundo, ut cui calor desit, quantum adesse expedit ad fœtus conformationem, non tamen planè frigido, humidoque: siquidem ex eo nihil omnino effici potest. Quo fit, ut mulier sola citra viri congressum *Molam* non gignat, quoniam ejus semen frigidius atque humidius sit, sed semen viri præterea accedere oportet, naturali tamen frigidius, atque ob id infœcundum, nec eo usque progredi valens, ut hominis formam effigiet: id enim vegeti caloris nativi spiritusque opus est. Sed non sic gallinæ: solæ namque sine coïtu ova *ὑπηνέμια*, id est, subvertanea concipiunt,

quæ

quæ planè muliebri molæ respondent. In causâ est siccior volucrum temperatura humoris frigidi redundantiam in semine absumens: Attamen *Mola* quamvis prorsus inutilis concepti fœtus speciem per initia exhibet, menses sistit, nauseas & vomitiones excitat, uterum attollit: Postea verò naturam proritat ad sui excretionem: Id quòd sæpè quadragesimo die, interdum autem tertio mense contingit, vel multo etiam serius, adeò ut pleræque novem decemve menses, aliæ toto etiam vitæ spatio eam in utero gestaverint. Alimentum namque per venas uteri non aliter quàm fœtus attrahit, eoque nutritur & augetur, vitâ perinde atque planta prædita. Ab excretione verò puerperia citantur, quæ λόχια vocant, lac in mammis colligitur, cæteraque contingunt ut in legitimo partu.

Molares dentes, vide *Dentes*, & *Tomi*.

Mollicinum emplastrum, vide *Malthacode*.

Mollis pulsus est, in quo arteria quasi carnosior diutius contrectata apparet: *durus*, ubi siccior, rigidiorque in modum Corii, de puls. ad Tyron. cap. 3. *mollitudo* autem & *durities*, sunt tunicæ arteriarum qualitates. ibid.

Mollities oculorum (quæ & *Paralysis oculorum* dicitur) morbus est, cùm illorum voluntarius motus omnino aufertur; quemadmodum cùm minuitur, *tremor*, & *titillatio* dicitur: cùm verò depravatur, ipsiusque lacerti contorquentur, & non ut decet, moventur, *Spasmus* nuncupatur, libr. de ocul. part. 4. cap. 7. vide *Paralysis*.

Monoculum, vide *Cœcum intestinum*.

Monohemera collyria sunt, quæ unius diei operâ, lippitudines apta sunt curare, 4. de compos. medic. loc. cap. 2. Μονήμερα dicta, quòd intra diem unum curationem absolvant, sunt collyria, quæ cum ovi candido, aut muliebri lacte, aliquando verò etiam aquâ simplici illita, oculis inflammatione laborantibus eam statim

tim mitigant. Constant magnâ ex parte iis, quæ mediocriter adstringunt, concoquunt, & discutiunt; cujusmodi sunt acacia (quam quidem quæ habent collyria τρυγώδη, hoc est, fæculenta, appellantur) æris squama, æs ustum, Crocus, Myrrha, Lycium Indicum, Castorium, Thus. Verùm in quibus astringentia prædominantur, plurimo ovi candido diluenda sunt, præsertim si quid ex metallicis complectantur. In quibus autem Crocus, Myrrha, Castorium, Thus, Lycium prævalent, in his parciùs ovi candidum commiscendum. Cæterum vitari oportet usum τῶ μεγεθείων χολικῶν, in plenitudine totius corporis: Nam quia facultate frigida sunt, obstruunt, densantque meatus, ac si copia humoris in oculis fuerit, in causâ sunt plerumque ut tunica κερατοειδὴς rumpatur.

Moram, id est, *Trivon*, sive *Attritionem*, Hippocrates appellat, callo obduratam sedem, quæ ex diuturnâ capitis brachii immoratione efficitur, in eâ carnis circumiectæ parte, in quam id primâ prolapsione incubuerat, 1. de artic. 21.

Morbidus rigor, corporis concussio est, sanis eveniens, à nullâ exteriori causâ violentâ, sed ex ipsâ dispositione corporis intrinsecâ; at cùm aquâ frigidâ corpori affusâ, rigor excitatur, non est morbidus rigor, uti cùm ex ipsâ corporis dispositione suscitatur. libr. de trem. conv. cap. 6.

Morbi mos, quem etiam *modum* vocant, ut si morbus benignus, vel malignus sit, tùm ex propriâ suâ specie, tùm ex supervenientibus ei symptomatibus spectatur, 2. de crisi. cap. 3.

Morbosum (νοσώδες) dicitur, ut *corpus*, ut *causa*, ut *signum*; nam *corpora*, quæ morbos continent; *causæ*, quæ hos efficiunt; & *signa*, quæ ipsos indicant, νοσώδη Græcis, nobis *morbosa* dicuntur. Gal. init. artis parvæ.

Morbus, νόσος, est dispositio præter naturam lædens operationes, 2. crisi. cap. 2. primò per se, & non per accidens,

cidens, libr. de sympt. diff. cap. 1. *Præter naturam, & contra naturam*, idem sunt; utrumque enim uno verbo παρὰ φύσιν Græci dicunt; nam & fædus Ictericorum color, & lentigo, & alius quivis etiam leviſſimus affectus, contra naturam est, nec tamen morbus dicitur, si propter sui exiguitatem & obscuritatem, summam actionem non lædat.

Morbus Herculeus, vide *Comitialis*.

Morbus magnus, vide *Comitialis*,

Morbus puerilis, sive *Comitialis affectus*, à Cerebri intemperiè provenit iis, quibus humidum naturâ est Cerebrum, teste Hippoc. lib. de aëre, aquâ, & locis, ubi dicit, pueris accidere convulsiones & suspiria, quæ putant puerulum efficere, & sacrum morbum esse: ubi per *puerulum*, intelligit affectum comitialem, com. 1. in 6. de morb. vulg. 5. vide *Comitialis*.

Morbus Regius, qui *Arquatus*, *Aurigo*, & *Ictheros* dicitur, est bilis flavæ refusio in cutem, & corporis superficiem, quæ proinde etiam hic tingitur, luteaque fit: albæ quoque ventris dejectiones fiunt eo morbo affectis; lib. finit. vide *Ictheros*.

Morbus sacer, vide *Comitialis*.

Moria, & *Morosis*, est imminuta functio ratiocinatricis facultatis, quæ etiam *fatuitas* dicitur, Græcè μωρία, μώρωσις, de sympt. differ. cap. 3. vide *Fatuitas*.

Mortifera facies est, de quâ in Prognostico dixit, nasus acutus, oculi concavi, collapsa tempora, 3. acut. 54. vide *Facies Hippocratica*.

Motòs, Μοτὸς, Linamentum, seu Linteum carptum, quòd vulneribus, ulceribus, apertionibus corporis seu siccum, seu medicamentis, (quæ ob id ἔμμοτα vocantur) oblitum, inditur; vel ad sistendum sanguinem, vel ad detergendum, siccandum, exedendum: Prætereà *Motòs*, Linamenta vocant, & Medicamenta, quibus foris impositis, vel eschara ulceribus inducitur, vel meatus obstruuntur, vel carnosæ partes, quæ

circa

circa ulcus sunt, exceduntur, & consumuntur; 5. method. 3. Sunt τῶν μοτῶν quinque differentiæ: Tortile, Rasile, Concerptum, Ellychnio pudendoque simile. Indita sunt his differentiis nomina partim à formis aut figuris quibus effinguntur, partim à materiâ ex qua constant. στρεπτὸν, hoc est, Tortile, à formâ nomen habet: ξυστὸν καὶ πλατὺ, hoc est, Rasile, Concerptumque ab ipsâ linteolorum materiâ; hoc quidem concerptum illud verò derasa: quare etiam aliquando simpliciter ξύσμα ἢ τίλμα ὀθονίων, hoc est, rasura aut vulsura linteolorum, appellantur: ἐλλυχνιῶδες verò dictum est, non quòd ad lychni seu funiculi lucernarum similitudinem contorqueretur, sed quòd ex ellychnio fieret; id quòd ex Galeno apparet, lib. 13. meth. ubi ait: extrinsecus autem convenit linamentum vel siccum, vel ex vino, præsertim autem quòd ex molli ellychnio est, cujusmodi sunt tarsica. Subdit autem ejusmodi linamenta etiam vim quandam habere ad superexcrescentem ulcerum carnem consumendam. Περιστικωτὸν autem vocatum fuit à pudendi humani similitudine. Verùm præter hæc quinque alia etiam apud Veteres leguntur, ut apud Celsum, λημνίσκος, quòd ille in longitudinem implicitum linamentum interpretatur, & aliquando linamentum involutum & oblongum: & apud Aëtium σφηνίσκος, quòd linamentum significat ad cunei parvi similitudinem intortum, vel quòd cunei modo ea quæ conjunguntur & adhærescunt, separet. vide *Emmota*.

Motus naturalis, vel *secundùm naturam*, est, qui voluntatis imperium sequitur, sicuti qui *involuntariè in corpore fiunt*, præter naturam sunt; ad Thrasib. c. 26. *Motus* enim *sensibiles*, in animantium corporibus, cùm sana sunt, duplices genere apparent; alii quidem ex arbitrio sanè, ac voluntate, & impetu fientes, qui nervorum, musculorumque ministerio fiunt; atque has Medici *voluntarias actiones* appellare solent; alii verò, *motus in animantium corporibus* existunt, qui arteriarum, & cor-

& cordis officio obeuntur, quos *vitales* nuncupant. Ac aliud quoddam tertium motuum genus, in venis habetur, quòd & *naturale* dicitur, & sensibus non percipitur, libr. de trem. palp. cap. 2. unde *motus naturalis*, & genus, & species motûs est.

Mox apparentia symptomata, vide *Assidentia*, vel *Assistentia*.

Mucor, vide *Coxendix*.

Mucosum humorem, eum consuevit appellare Hippocrates, qui lentore quodam, & albedine præditus, ad exangues partes, hoc est, ossa, & cartilagines cogi consuevit, cùm imbecilla ita natura est, ut benè conficere alimentum in ipsis nequeat, sed quasi semicoctum quid relinquat: Non secus atque in oculis membranæ relinquunt, & promunt de sese mucorem quendam, cùm lippitudine laborant. Evadit autem natura imbecillior, aut ex propriâ intemperaturâ, aut ex multitudine humoris, qui ad partes confluxit, ut in præternaturalibus tumoribus. 3. de artic. 65.

Mucro, est inferna cordis pars, quæ tantum protenditur, quantum cordis magnitudo occupat spatii, 2. de placit. 4. vide *Basis cordis*.

Mucronata cartilago, vide *Cartilago ensiformis*.

Mucus, sive *Mucor*, est excrementum pituitosum, quòd à capite distillat, in gravedine, coryzâ, & aliis catharris, 2. natur. fac. 9. *Mucus*, sive *Blena*, est crassior pituita, 2. de sem. cap. 6. Erasistratus, *Mucum* vocat *Phlegma frigidum & humidum albi coloris*, 2. de natur. fac. 9. Hippoc. 4. de artic. 42. vide *Coryza*, *Blena*, & *Phlegma*.

Muliebris fluxus, est humorum vitiosorum ex toto corpore vacuatio, & delatio per uterum, ad multum tempus perdurans, quam ejus facit excretio, lib. finit. Unde *muliebria* sæpè notant menstruarum purgationum vacuationem, quæ per circuitum repetitur, 3. prorrhet 50. 5. aphor. 28. vide *Menses*.

Mulsa,

Mulſa, vide *Melicratum*.

Multitudinis (quæ & *Plenitudo* dicitur) *notæ* ſunt, vaſorum diſtentio, gravitas univerſi corporis, pigritia ad motiones, & diſtentiones membrorum, ulceroſa, & laſſitudinaria ſenſio, tradu&ta in otio prior vita, non ſine ciborum, ac potuum largiore ingeſtione, & ſolitarum excretionum ſuppreſſione, lib. de mult. cap. 1. & lib. de cur. rat. per ſan. cap. 4. Eſt autem *multitudo*, omnium humorum æquabilis redundantia, vel ſolius ſanguinis, non qui ſincerus ſit, & aliis humoribus impermixtus, ſed cum iis naturæ modo confuſus; qui, cùm in hominum corporibus exuperat, ejus exceſſus πλησμονὴ vocatur; Ea autem duplex eſt; una, κατὰ ἀγγεῖα, vel, ut alii vocant, κατὰ τὸ ἔγχυμα, hoc eſt, *quoad vaſa*, quoniam humoribus per vaſa infuſis, conſiſtit, quæ & *vaſorum plenitudo* dicitur, cùm venæ tunicæ in tumorem impletæ ſupra naturalem cuique modum ſe attollunt, iisdemque tenſio accidit, de multit. cap. 10. Altera, κατὰ τὴν δύναμιν, id eſt, *quoad vires*, cùm ægri, qui conſueta etiamnum munia obeunt, ſentire ſeſe graves, pigros, ſegnes, atque ægrè mobiles, referunt, lib. de cur. rat. per ſan. cap. 4. illa propriè *Plethora* dicitur, qualis athletarum eſt.

Muſculus lacertus, Μῦς, nervoſum corpus eſt, permiſtâ huic carne, ad partium corporis motum voluntarium procreatus, lib. finit. eſtque proprium Inſtrumentum motûs voluntarii in animalibus, 16. de uſu part. cap. 2. cujus ſubſtantia duobus conſtat, carne, & fibris, poſitû ſimplicibus, & ſecundùm longitudinem ut plurimùm exporrectis: cujus tres ſunt partes; *caput*, quòd & *principium* appellant, in quod nervus, & ligamentum inſeri ſolent; *venter*, carnoſus magis, & muſculum præcipuè circumſcribens; & *finis*, ex quo *Tendo*, & *Aponeuroſis* oritur, atque in partes movendas inſeritur, 1. de motu muſc. & 12. de uſu part. Quæ ad muſculos vaſa perveniunt, velut rivi quidam ſunt, qui non

non eorum ſubſtantiam complent, ſed iis alimentum ſubminiſtrant, ut nutriantur & vivant. Muſculo propè omni adverſus alter muſculus, contrariæ actionis author attributus eſt, ut flexori tenſor, adductori abductor, levatori depreſſor, clauſori apertor. Pauci enim omnino ſunt, qui Antagoniſta careant, ut Sphincteres, & Diaphragma. Nec tamen numero, aut magnitudine, aut robore pares ſemper ſunt *Muſculi* actionum contrariarum effectores, pro partis movendæ pondere, aut actionis vehementia. Sunt autem *Muſculorum* differentiæ plures: aliquæ ab ipſorum ſubſtantiâ carnoſa, nervoſa, magis membranoſa: aliæ, à magnitudine, magnus, longus, latus: aliæ, à numero partium, biceps, triceps, ſive gemelli, & trigemini: aliæ, à figurâ, deltoeides, rhomboeides, ſcalenus: aliæ, à partibus corporis, crotaphitæ, rhachitæ: aliæ, à ſitu, anteriores, poſteriores, interni, externi, recti, transverſi, obliqui: aliæ verò, ab actione, ut ſphincter, & maſſeter. Cæterum, dictus eſt *Muſculus* vel quod excoriatum murem formâ imitetur, vel quod piſci, (quod mihi videtur probabilius) quem *Muſculum* appellant, ſimilis ſit. Dicitur alio nomine *Lacertus*, à quo lacertoſus muſculoſum ſignificat.

Muſculi carnoſi, ſunt muſculi recti, quibus nulla caro ſubeſt; unde ambientibus muſculis candidiores ſunt, 5. de anat. admod. cap. 7.

Muſculi cremaſteres, id eſt, *ſuſpenſores*, ſunt duo graciles muſculi, in utrumque teſtem pervenientes, quorum alter à pubis, alter ab ilium oſſe, per membranoſum ligamentum tenue exoritur, atque illinc per meatum, qui ad teſtem devenit, perferuntur, qui teſtem ſurſum attollunt, libr. de muſc. diſſ. cap. 27.

Muſculi maſticorii, vide *Mandibularii*.

Muſculi rhachytæ, id eſt, *ſpinales*, lib. de muſc. diſſ. cap. 24.

Muſculi temporales, vide *Crotaphitæ*, & *Mandibularii*.

Musculus cuticulosus, vel *carnosa cutis*, quæ extremis cutis sedis partibus, admiscetur, lib. de musc. diss. c. 30.

Musculus latus, Μυῶδες πλάτυσμα, vide *Latus musculus*.

Musculus maximus, qui *Psoa* dicitur, est, qui ab imis regionibus exortum habens, ad humeri dearticulationem ascendit, lib. de musc. diss. cap. 1. vide *Psoa*.

Mydesis, commune nomen est partium, quæ ex putrefactione corrumpuntur, ἀπὸ τοῦ μυδᾶν, quòd Grammaticis & σήπεσθαι, & διϋγραίνεσθαι interpretantur: Adeo ut τὸ μυδήσεως nomen iis competat, quæ putrefacta liquescunt, & stillant. Ac quanquam omnibus, sicut ἐν τῇ εἰσαγωγῇ habetur, partibus communis sit, ἡ μύδησις, in oculis tamen ante omnia usurpatur, eorumque præsertim palpebris, quæ adipe tumentes humorem assiduè remittunt, lib. Introd. cap. 15.

Mydriasis dicitur, cùm pupilla quidem, nihil colore variat; dilatatur autem magis, quàm natura poscat, ut Iridis circulo fiat proxima, & visioni noceat; & proindè est pupillæ nimia dilatatio, 3. meth. 2. & lib. Introd. c. 15. Eo malo visus, quandoque in totum adimitur, nonnunquam impeditur, ut omnia minora quam sint, esse videantur, diffuso scilicet eo spiritu per quem videtur. Causa hujus est humorum influxus, sive paulatim factus, sive repente coacervatus, à quibus tunica ἡ ῥαγοειδὴς distenditur, & pupilla effunditur, atque dilatatur, aciesque ejus hebescit. Non multum à pupillæ resolutione morbus hic distat, & non nisi difficillimè eliditur. Cùm enim tunica ἡ ῥαγοειδὴς membranosa sit, ubi semel distenta fuerit, induratur, neque facilè postea contrahi potest. Accidit præsertim pueris propter tunicarum mollitiem & imbecillitatem. Sed & qui naturâ nigros oculos habent, magnis sunt pupillis, ideoque in hanc affectionem promptè incidunt: Eadem verò etiam πλατυκορία, hoc est, *pupillæ dilatatio*, appellatur. Cæterum, μυδρίασις dicta est, vel ἀπὸ τοῦ ἀμυδρᾶς ὁρᾶν, è visu obscuriore, quasi ἀμυδρίασις: vel

ἀπὸ

ὑπὸ τῆς μυδᾶν, τουτέστι ὑγραίνεσθαι, quòd pupilla superfluo redundet humore.

Myelos, quasi *Medulla*, μύελος, familiare ossis nutrimentum est, 2. de usu part. 16. substantia simplex est, humida, pinguis, alba, sensûs expers, in cavis ossium contenta, exanguis quidem, sed ex sanguine in ipsas cavitates per venas illabente, ortum habens. Evadit autem candida, & veluti spermatica, quòd ab ossibus ejusmodi mutationem accipiat. Sic mammæ lac generant candidum, & adenes humorem dealbant, quem intra se continent, testesque similiter, quæ substantia in cerebro consistens, dicitur μύελος ἐγκεφαλίτης, id est, *medulla cerebralis*, & *spinalis*, vel νωτιαῖος, vel ἀμφιχύτος, vel ψοΐτης, ad alterius differentiam.

Myle, vide *Patella*.

Mylphæ, appellantur defluvia palpebrarum, 4. de compos. medic. loc. 5. Sunt quoque pharmaca arida, quæ scabris palpebris conveniunt, & ad palpebrarum defluvia conducunt, & obtusè cernentibus, sive per ætatem, sive ob crassitudinem, aut frigiditatem humorum in oculis, aut denique propter flatus caliginosi redundantiam id accidat, ibid.

Myocephalon, id est, *muscæ caput*, est exigua uveæ tunicæ porrectio, in nigro oculi, muscæ capitis similis, per ulcerationem facta, lib. finit. species est τοῦ προπίπτοντος, id est, *procidentiæ oculi*. Cùm ulcera, quæ erosâ vel ruptâ corneâ tunicâ accidunt, profunda evaserint, portio uveæ excidit, quodque prolapsum est, nigrum aut cæruleum apparet; in circuitu verò circa fundum ejus partis quæ procidit, labra erosæ ruptæve corneæ candida apparent, eoque magis si quod prolapsum est, induruerit, & corneæ tunicæ labra callum contraxerint. Cæterùm, prolabente uveâ, pupilla omnino divellitur, adeò ut vel nullo modo appareat, vel alio prorsus situ & figura. Et his quidem notis τὸ μυοκέφαλον ἀπὸ τοῦ φλυκταίνης distinguitur.

Myodes platysma, vide *Latus musculus*.

Myopiasis, est dispositio ab ortu contracta, quâ propinqua & propè oculis admota, limis semiclusisque oculis cernimus, remota vel parùm, vel omnino nihil; libr. finit. Μυωπία, affectio; μύωψ, qui afficitur; differt à *Nyctalope*, qui non naturâ, sed morbo talis evasit; vide *Luscioſus*.

Myracopa medicamenta sunt, quæ lassitudines tollunt, cum quâdam odoris suavitate, 6. de compos. medic. per gen. cap. 11. μυρόκηπα Græcè. Id sicut acopo liquidius, ita unguento crassius est: recipit enim aut ceram, aut resinam. aut aliquid ejusmodi, quorum nullum in unguenta admittitur.

Myrmecia, Μυρμηκία ἢ ἀκροχόρδων, utrumque malum, cutis exigua est excrescentia callosa, & magnâ ex parte rotunda. Sed *Myrmecia* latiore basi & sessilis est, ac in scalpendo & attritu mordentis formicæ sensum efficit, ideoque Latinis *formica* appellatur. *Acrochordon* autem basim angustiorem obtinet, ut chordæ nexu suspensa esse videatur, Latini *Verrucam* vocant simpliciter, aut cum adjectione *Pensilem*, 2. meth. 2. quas Clavos, Callos, & Τύλους vocant, quas aceto acri, macerantes corticem salicis combustum, tollunt, 6. simplic. vide *Formica*.

Mysis, id est, *meatuum conniventia*, vide *Stegnosis*.

Mystax, Μύστακ, pars est faciei, quæ supra labra est, & infra nares: Sed & barba ibi exoriens, eodem nomine dicitur.

Myurus pulsus, sive *Soricis cauda*, est, qui soricis, murisve caudam imitatur, quæ in acutum terminatur ut, cùm secundus ictus primo est paulò minor, tertius secundo, quartus tertio, 1. de diff. puls. c. 11. A figuris nomen, quæ in acutum terminant, mutuant hoc Medici, ibid. Adhuc *Myuri pulsus* dicuntur, qui ex majori adaucto, fiunt minores, ex frequenti rariores, ex celeri tardiores, libr. finit. Μυούρους σφυγμούς Græce. *Pulsus* Μυόυρος, hoc est, decrescentis, duplex est differentia.

Nam

Nam vel non cessat decrescere atque minui, donec omnino aboleatur, & desinat prorsus moveri, qui ἐκλείπων μύσος appellatur: vel cessat decrescere & minui, qui etiam duas habet differentias: alius enim in quâ desiit parvitate, hanc perpetuò servat; alius verò rursus augescit, quem μύσος παλινδρομῶν vocant, & redit ad aliquam magnitudinem, eamque vel priori parem, vel majorem, vel etiam minorem: ac nonnulli quidem quâ ante proportione sunt imminuti, eâdem rursus augentur, alii verò, majoribus vel minoribus accessionibus utuntur. Pulsus omnis μύσος, provenit ab imbecillitate facultatis pulsificæ, quæ tanta est, ut ei oneri sint admoti arteriæ digiti. Verùm ea imbecillitas in eo qui μύσος ἐκλείπων dicitur, maxima est, neque enim se recipit & recolligit, postea in eo qui in quâ desiit parvitate hanc servat; minor verò, ubi magnitudinem recuperat.

Myxa, Græcè Μύξα, est humor pituitosus ex naribus fluens; Latinis, *mucus*, & *pituita narium* dicitur. Is humor pituitosus, lentus & albus in partibus exanguibus, ossibus & cartilaginibus colligi consuevit, cùm ad eam imbecillitatem pervenerint, ut alimentum suum nequeant concoquere: sic enim veluti semi-coctum quid relinquitur, non secus atque in oculis membranæ laborantes, sordem eam reponunt, quam λήμην appellant. Nec tamen is humor qui μύξα dicitur, perpetuò contra naturam est. Siquidem in omnibus articulis mucosum quendam humorem videre licet, ut inde & motio promptior, & articulus injuriis minùs esset obnoxius, quod quæ sicca sunt, abrumpi in motionibus facilè soleant; eamque ob causam vertebrarum vincula, μυξώδη Hipp. l. de art. appellavit. Sed contra naturam in junctûris plerumque ille succrescit, de quo scriptum est aph. penult. sect. 6. atque etiam in utero, unde abortus sequitur, ut aph. 45. sect. 5. scriptum est. Μυξωτῆρες idem quod μυκτῆρες, à *muco* arbitror, qui per narés exit. Et *nares*, Sophocles etiam μύξας appellavit.

M.

NARCOTICA, quæ & *Hypnotica*, *Stupefacientia*, *Somnifera*, Græcè, Ναρκωτικὰ φάρμακα (*Colica* etiam, 5. de comp. medic. loc. cap. 9. & lib. 7. cap. 5.) nuncupantur, hoc est, somnum conciliantia medicamenta, quæ temperiem sortiuntur, summè adversam iis, quæ revera sunt *anodyna*; refrigerant siquidem omnia corpus, & sensum eò usque obstupefaciunt, ut, si paulò liberaliùs ebibantur, mortem afferant, 5. simplic. 19. vide *Anodyna*, *Colica*, *Hypnotica*.

Nares, μυκτῆρες, propriè dicuntur concavæ nasi partes utrinque positæ, quæ meatum præbent spiritui & odoribus; verumtamen quandoque totum etiam id membrum μυκτὴρ à Medicis appellatur, qui Latinè *Nasus* dicitur, odoratus instrumentum; quippe si occlusis naribus, spiritum ore adducimus, odorem nullum sentimus; sin autem spiritum apertis naribus attrahimus, odor sensum protinus movet, in medio oculorum prominens, libr. de instrum. odor. cap. 1. Nasus verò in se septum quoddam cartilagineum per media loca diductum habet, duoque foramina satis conspicua; hæc, inquam, quæ cernuntur, & in singulis naribus singula sunt, *Nares* dicuntur, ibid. cap. 2.

Narium alæ, vide *Alæ narium*.

Nasus, vide *Nares*.

Nates, quas πυγὰς, & γλουτοὺς Græci vocant, sunt inferiores corporis partes posticæ, ad animalis factæ quietem & sessionem, quamobrem Natibus carnosa corpora substrata sunt, quarum gibbæ partes, quòd orbiculares sint, *sphæromata*, ceu modo orbium factæ, Græcis appellantur, lib. Introd. cap. 10.

Nates cerebri, vide *Glutia*.

Nativus calor, (quem & *Calidum innatum* vocant, cujus vi omnia animantia vivunt & vigent) apud Galenum

lenum est aut anima, aut primum & præcipuum animæ instrumentum, quo omnia quæ sunt ad vitam necessaria, administrantur. Insiti caloris præsentia, *vita* est, ut absentia, *mors*; inæqualiter in singulis corporis partibus dispersus; In corde flagrantissimus; in ventriculo & præcordiis moderatior; in capite & cerebro, adhuc minor; in ossibus perexiguus; prout natura unicuique particulæ expedire & convenire adjudicavit. Hic *fixus*, *insitus*que dicitur, hoc est, à naturâ, in primâ conformatione singulis partibus certâ mensurâ & debitâ proportione inditus; cui *calor fluens*, & *adventitius* opponitur, quem natura in corde tanquam in quodam penu collocavit, undè per arterias cum spiritu & sanguine, suis velut vehiculis & pabulis continenter depromitur, ferturque in singulas partes, ut earum calorem nativum, fixum, insitumque foveat, atque instauret. Idem ille calor influens, in mœrore, metu, verecundiæ initio, frigore, accessionum principiis, & somno, intrò cum sanguine & spiritu ad cor recurrit, & ob id per eos affectus, & cutis, & subditæ illi partes frigent, & pallent; contrà in gaudio, verecundiâ jam vigente, statu accessionum, ac vigiliâ, calor ad cutim copiosior effunditur, cum spiritu & sanguine, & pronus calor, rubor, tumor & nitor, hic partibus inducitur.

Naturæ nomine, *temperamentum* intellexisse Hippocratem, atque id esse præcipuum, & maximè proprium *Naturæ* significatum, ab ipsa naturæ substantia desumptum, cùm sæpissimè, tùm libro toto de Naturâ humanâ, Galenus testatur, 3. aphoris. 2. ubi naturarum has dicit, æstate, has hyeme, malè benéve se habere.

Naturales facultates, φυσικὰ δυνάμεις, à Galeno in arte parvâ distinguuntur; in primas, seu principes, & in secundarias, sive ministras: *Primæ* statuuntur tres; *generatrix, auctrix, nutrix.* His omnibus singulis, aliæ

quatuor inſerviunt, *attractrix*, *retentrix*, *concoctrix*, *expultrix*, quæ non in jecinore modò, ſed in omnibus vel minimis corporis partibus, à primò ſtatim ortu inſunt.

Naturalis motus, vide *Motus naturalis*.

Naviforme os, vide *Scaphoeides*.

Nauſea, vide *Vomitus*.

Nauſeationes in venis, id eſt, ναυσιώδεις, appellat Hippocrates, quas priùs vocaverat *exucceationes*, hoc eſt, *ſugillationes*, cùm venæ (more eorum, qui nauſeam patiuntur, & evomunt,) ſanguinem expuunt, ac quaſi evomunt, tùm ex propriâ imbecillitate virtutis retentricis, quam ex inflammatione contraxerunt, tùm ex ipſius ſanguinis copiâ, & pravitate, 2. de fract. 24.

Nebulæ, Græcè νεφέλιαι, ſunt utriusque oculi membranæ ex aliquo ulcere tenues, & ſuperficiariæ albedines quaſi & caligines; nam ſi craſſiores ſint, & profundum petant, λευκώματα, & *albugines* dicuntur, lib. de remed. part. fac. cap. 12.

Nephritis dicitur renum affectus, ſive is ſimilaris ſit, ut *intemperies*; ſive inſtrumentalis, ut *calculus*; ſive communis, ut *ulcus inflammatum*; propriè tamen *Lithiaſis*, id eſt, calculi morbus, *Nephritis* appellatur, lib. de ren. affect. dign. cap. 2. Omnes verò homines, qui ſubinde difficulter mejunt, aut etiam ſuppreſſam urinam omninò habent, ubi circa lumbos dolent, ac arenoſa mejunt, *Nephriticos* dicunt, quo calculo emicto, eorum protinùs dolor, & urinæ ſuppreſſio deſinit, 1. de placit. cap. 13. unde *nephriticæ*, *antidotes*, & *compoſitiones* appellant, quas renibus affectis accommodant, ut ex ipsâ appellatione manifeſtum eſt; *nephriticæ* enim nihil aliud, quàm renales ſonant, 10. de compoſ. med. loc. cap. 1. Eſt autem duplex earum differentia generaliſſima: quædam enim calculoſos renes juvant; quædam verò inflammatos & ulceratos, quæ etiam ad veſicam ſimiliter affectam conveniunt. Habent autem contrarias inter ſe facultates: quæ enim inflammationibus,

nibus, & ulceribus conveniunt, mitigatiora esse oportet, conjuncta tamen diureticis: quæ verò calculosis medentur, unicam facultatem sortiuntur; quæ secare & extergere potest cum manifestâ caliditate: sunt autem talia omnia ferè amara.

Nervum, quidam appellant omnia similarium corporum genera in animalibus, quæ & exsanguia sunt, & sensu carent, ut, quæ ex ossibus oborta, ab Hippocrate *copula*, & *ligamenta* vocantur. Insuper, quæ ex cerebro & dorsali medulla prodeuntia, ab eodem propriè *Nervi*, & *Toni* dicuntur. Denique ex musculis qui proveniunt, *Tendones* quoque sic vocitant. Quidam igitur omnia hæc *Nervos* appellantes, primum, ipsorum genus *colligatorium* esse ajunt; secundum autem, *sensibile*, atque *electorium*; tertium, *aponeurosim*, hoc est, *nervorum propaginem*, cognominant, com. 1. in 6. de morb. vulgar. νεῦρον autem ἀπὸ τοῦ νεύειν, Græcis dictum est, quod *nutare*, & *flectere* significat, ut docet Galenus, initio libri de motu muscul. vide *Tonos*.

Nervum colligantem, Medici vocant νεῦρον συνδετικόν, quem Hippocrates vocat *ligamentum*, seu σύνδεσμον, *copulam*; ex ossibus ortum ducit. vide *Nervum*.

Nervi duri, & *molles*, ejusdem quidem substantiæ, at non unius modi sunt usus: *molles* enim ad sensum; *duri*, ad motum sunt destinati; non quidem quòd duri non sentiant, sed à duris hebetior & obtusior sit sensus, quàm à mollibus: mollium principium est *cerebrum*; durorum, *spinalis medulla*; ab hoc principio, singuli in suas sedes, à naturâ mittuntur; *molles* quidem, in organa sensuum; *duri*, in musculos: dicuntur autem *molles*, vel *duri*, sibi invicem simul, & ad cerebrum, collati.

Nervi optici, seu *visivi*, vide *Nervos sensificos*.

Nervi recurrentes, Νεῦρα παλινδρομοῦντα, sunt rami duo nervorum sextæ conjugationis à Cerebro prodeuntium, quorum dexter circum arteriam, quæ axillam adit; sinister verò, circum magnum arteriæ descendentis

truncum obvolutus, sursum revertitur, & recurrit quasi in laryngem, ad vocem efformandam; quare Galenus, 4. loc. aff. φωνητικὰς, maluit appellare. id est, *vocales*; ita enim sunt necessarii ad vocem, ut secti, vel intercepti, vocem prorsus aboleant; refrigerati verò tantisper vocem impediant, donec calefacti, naturalem temperiem recuperaverint, 1. loc. aff. 6.

Nervi vocales, sunt nervi gutturis, qui ad instrumenta vocem concinnantia propriè pertinent, quos Galenus & invenit, & eo nomine donavit,) quibus vel incisis, vel laqueo interceptis, vox perit; non differunt à nervis apud arterias existentibus, quos *recurrentes* nominant: ipsorum enim essentiæ pars sunt, & utrique vocem efformant, 1. loc. aff. 6.

Nervi voluntarii dicuntur, qui ex cerebro, dorsique medullâ ortum ducunt: sicuti *Nervi*, qui ex musculis *tendones*; & qui ex ossibus proveniunt, *ligamenta* appellantur, lib. de ossib. in procœmio.

Nervorum conjugatio dicitur, quoniam nervus non unus, simplex, aut ἀζυγὴς, à suo principio proficiscitur; sed omnes conjugati feruntur, ideoque ab Anatomicis *nervorum paria* appellantur, ac septem quidem paria à cerebro, triginta verò à spinali medullâ proficiscuntur.

Nervos sensificos in genere vocant, qui ad sensuum instrumenta mittuntur, aliis quidem, qui movent membrum, molliores, 7. de plac. 5. Propriè autem *sensificos* vocant *Nervos*, sive *Poros*, nervos à cerebro ad oculos descendentes, qui soli sunt conspicuæ, & sensibiles viæ spiritus, 10. de usu part. 12. & proin eosdem *Opticos* vocant, 16. usu part. cap. 3. atque etiam *Visivos*, ab actione nomen imponentes, lib. de nerv. diss. cap. 2.

Nervosæ discriminationes, sunt fines membranarum, quæ orificiis cordis adjacent, 1. de placit. 10.

Nervosum, νευρῶδες, corpus spermaticum, & exangue, ad nervi naturam & similitudinem accedens; licèt

licèt enim Galenus tria nervorum genera dicat initio, lib. 15. de usu part. & com. 1. in 6. τῆ ἐπιδημιῶν; præter illa tamen tria genera, sedes, uterus, vesica, & pudendum virile, *nervosa* dicuntur, cùm tamen nullo prædictorum generum contineantur, aut componantur, sed quòd nervosorum corporum similitudinem gerant; contrahi enim in angustum, & extendi in latum possunt, quæ corpori carnoso & pingui non conveniunt: unde quidam Penis colem, *nervum cavernosum* appellant, ab eoque Penem & ipsum, totum *cavernosum* vocant, quòd arrigi, flaccescere, item contrahi, extendique possit, com. 1. in 6. de morb. vulg. 2.

Nervus cavernosus, vide *Nervosum*.

Nestis, νῆστις, *Intestinum*, vide *Entera*, & *Iejunum*.

Neurotonus dicitur is, qui in nervis vel tendonibus, sine discrimine, vulneratus est, 3. de compos. med. per gener. 2.

Neutrum corpus est, vel quòd neutrius extremæ dispositionis est particeps, vel quòd utriusque, vel quòd nunc hujus, nunc illius particeps, salubre nunc, nunc insalubre est, libr. regn. cap. 6.

Nigra bilis, est humor melancholicus, qui dum animal naturaliter se habet, quotidiè gignitur, & proindè omnino alia est ab eâ, quæ ex ustione, ac velut assatione conflatur, 14. method. cap. 9.

Nigra vena, vide *Communis*, & *Media*.

Nigritia, & *Nigror*, vide *Contusio*, & *Effusa*.

Nodi, sunt extrema pars postbrachialis, à quibus digiti incipiunt, quos *Condylos* Græci vocant, libr. Introd. cap. 10.

Nomas appellare Medicis mos est, putrescentia ulcera, ἀπὸ τοῦ νέμειν, id est, à *pascendo*, quòd putredo depascatur membra, & ad vicinas partes serpat, adeòque unà cum parte primùm vitiatâ, & ipsas finitimas sedes corrumpat, 9. simpl. Putredinem autem acquirit vel diuturnitate temporis, quo omnia, quanquam initio

ἕλκη sint, tandem κακοήθη redduntur, vel statim principio, ut quod à venenatis animalibus factum est. Progressu quidem temporis, & Aphthæ, & Dysenteriæ, in Nomas transeunt, teste Galeno. Sunt autem omnia ejusmodi ulcera ægrè sanabilia, & vehementissimis prorsus medicamentis opus habent, adeò ut citra ustionem sanari non possunt. vide *Phagedænas.*

Nothæ costæ, vide *Illegitimæ.*

Nothon, vide *Tergum.*

Notyæos myelos, vide *Myelos.*

Nubes nomen, solent Medici, ab aëre, ad urinas transferre, pro aliquâ eorum, quæ in urinarum superficie pendent specie, vel evaporatione. Ut ergò in aëre interim tempestas fit, ubi nubibus condensatus, aer & nubilosus dicitur, videnturque nubes quædam per eum disjectæ; quo quidem tempore nubium cernimus colorem, non exquisitè atrum, nec lucidum, sed inter hos medium: haud aliter, *nubes in urinâ* (quam vocat etiam Hippocrates *nebulosam suspensionem*) alia alba, alia nigra, alia media, oritur ex evaporationibus, ad urinæ summam partem delatis, com. 1. in 3. de morb. vulg. 4. quæ etiam dicitur, *Nebula*, *Nubecula*, *Sublimamentum*, ἀναώρημα ὑπερνέφελον. Cæterum, id omne crudum esse, & à flatuoso spiritu in altum efferri, Galenus docuit; quod verò perfectè concoctum, secretum, æquale, similareque est, id certè quoniam nihil flatûs habet, in fundum vasis urinarii descendit, ac vocatur *Hypostasis.*

Nucha, vulgò appellatur *spinalis medullæ initium*. Græcè νωτιαῖον μυελόν, vide *Medulla spinalis.*

Nutrimentum est, quicquid substantiam nostri corporis conservare, & augere, & in eandem converti aptum est, 1. simpl. cap. 1.

Nutritio, est continuò effluentis substantiæ redintegratio; unumquodque verò, eâ ipsâ substantiâ, quâ primùm

primùm genitum est, ali etiam perpetuò consuevit; 1. de sem, cap. 16. vide *Prosthesis*. Vocatur autem omnis illa alteratio, quæ alimenti in substantiam partis, quæ nutritur, transmutationem præcedit, *concoctio*; ubi verò jam parti apponitur *nutritio*, 8. de compos med. loc. cap. 6.

Nyctalops, νυκτάλωψ, *Luscioſus*, is est, qui die videt obtusiùs, Sole occiduo acriùs, nocte magis adhuc; vel contrà, die parùm, vesperi aut nocte prorsus nihil, unde *nocturna oculorum cœcitas* appellatur, 2. method. 2. 4. de compos. medic. loc. 8. & libr. Introd. Accidit propter capitis imbecillitatem, & maximè spiritus visivi crassitudinem, itemque reliquorum oculi humorum ac tunicarum. Cæterum, νυκτάλωψ dicitur non ille modò qui ita laborat, sed ipsius etiam affectionis nomen est. Sic autem dicitur quasi ὁ τὴν νυκτὸς ἀλαὸς, hoc est, *noctu cœcus*: λάειν enim *videre* significat. vide *Luscioſus*.

Nympha, vide *Colliculum*.

O.

OBAUDITUS, sive *Obauditio*, est vitiata actio auditricis facultatis, proportione respondens vitioso visui, veluti cùm oculis, colore, figurâ, magnitudine, vel situ mutata videntur, differens à *Baricoïa*, quæ est audiendi difficultas, gravis auditus, seu diminuta audiendi actio; ut surditas, est ablata audiendi actio. Auferetur autem, minuitur, vel depravatur auditus, aut læsâ aliquâ aurium particulâ, aut nervo, qui in has à cerebro pertingit, aut cerebri eâ parte, quâ is nervus exoritur, 1. de sympt. caus. cap. 3, 4, 5. vide *Baricoïa*.

Obelæa suturæ, est cranii commissura recta, quæ à mediâ sincipitis futurâ ad mediam futuram occipitis secundum longitudinem extenditur; Græcè dicitur ὀβελαία, ἢ ῥαβδοειδὴς ῥαφή. Utrumque nomen inditum est,

est, quòd veru, aut sagittæ, aut virgæ instar rectà ino dit. Latini proindè *rectam*, & *sagittalem* vocant, 9. usu part. cap. 17. & lib. de ossibus in procœmio.

Obliquatus pulsus est, qui oritur non constitutâ in r ctum arteriâ: seu, qui editur, cùm arteriæ situs obl quus est, lib. finit. med.

Oblongum & *depressum* dicunt ossis caput, ad cerv eem & sinum, cui inseritur, id ipsum referentes, lib. ossibus in procœmio.

Observatio, Τήρησις. Empiricorum vox est, qui qui quid observâssent fieri in morbis, τήρησιν vocaban quorum, cùm magnam haberent copiam, eam omne ἄπροισμα nuncupabant: & ab observatione quidem me moriam, à memoriâ verò, experientiam manare d cebant, & ab eâ proximè artem constitui, dum mem nimus quid cum quo, quid ante quod, quid post quo observavimus, atque id quidem vel semper, vel ple rumque, vel utrovis modo: semper, ut vulnerato cor de mortem sequi: plerumque, ut scammoniâ ventre purgari: utrovis modo, ut percussâ superiori mem branâ cerebri mortem sequi: rarò, ut vulneratâ cere bri substantiâ salutem contingere.

Obstipitas, est distortio spinæ, ad lateralem corpori partem, 3. art. 2. quam *Scoliosin* Græci vocant; vid *Cyphosis*.

Obstructio, vide *Compressio*.

Obstruentia corpora (quæ Græcè *Stegnotica*, quæqu generaliori nomine *contrahentia*, *occludentia*, & *constrin gentia* dicuntur) sunt, quæ ora vasorum occludunt, & sensibiles excretiones cohibent, *Corpus* enim *stegnoti cum*, quòd claudit, & continet in se, nec quicquam quòd sensu queat percipi, ex sese emittit, Græcè στυγνὸν nuncupatur. Differunt à *condensantibus*, quòd hæc po ros & meatus corporis contrahant; *obstruentia* autem & *oppilantia*, vasorum corpora claudant, 5. simpl. 14. illa στυγνωλικὰ, hæc πυκνωλικὰ Græci vocant.

Obstu-

Obstupescentia est, cùm æger jacens, neque aliquid dicit, neque agit, sed apertis oculis quietus manet, similis iis, qui ex timore sunt attoniti, 7. aph. 14.

Occiput, ἰνιὸν, ea est capitis pars, quæ à vertice tanquam à centro circuli, unde capillorum proventus incipit, ad posteriorem capitis partem, usque ad Tendones & Nucham descendit, libr. Introd. cap. 10.

Ochema, τροφῆς, id est, *vehiculum nutrimenti*, simul cum appellatione, usum ostendens, quòd Hippocrates vocat *serosum recrementum*, est aquosa & tenuis sanguinis humiditas, ad crassam substantiam Chymi, per arctas venas, in totum corpus ferendam, à naturâ comparata, 4. de usu part. cap. 5.

Ochthode, ὀχθώδη *ulcera*, id est, *verrucosa*, quæ non maligna, & contumacia sunt, sed solùm labra callosa, & dura habent, 4. de comp. med. per gen. cap. 5. vide *Dura ulcera*, ὄχθοι, tumores verrucosi, tuberosique, quales in Elephanticis apparent.

Ocrea, vide *Tibia*.

Odaxismus, ὀδαξισμὸς, est pruritus is, qui conceptis jam intra gingivas dentibus, & erumpere festinantibus, sentitur, quo solent infantes relatis ad os digitis, identidem eos mordere, & ipsi gingivas suas confricare. Aliud autem est ὀδαξισμὸς, quàm ὀδοντίασις: hæc enim est dentis jam concreti eruptio extra gingivam, (alio nomine ὀδοντοφυΐα) ille verò dentis ipsius concretio & conformatio intra gingivam, seu dolor ex ejusmodi concretione exoriens. Hermolaus Barb. apud Dioscoridem gingivarum commersionem vertit. Reperitur & ὀδαξητμὸς, ab ὀδαξέω.

Odontalgia, id est, *Dentium dolor*, 2. meth. 2.

Odontoides, vide *Dentem*.

Odontophyia, puerorum est dentitio, ubi scilicet è gingivis prorumpunt dentes.

Odoratum, nominent non solùm odoris sensum, sed etiam vim ipsam, cujus odorandi officium est, lior. de

In-

Instrum. odor. capit: 1. ὄσφρησις Græcè. Sic & γεύσ
non modò saporis sensum, sed ipsam etiam facultate
significat, per quam gustamus. Hujus autem tum ser
sus, tum facultatis instrumentum intra calvariam co
ditum est, sive id sint ventriculi cerebri anteriores, se
potiùs continuæ cum iis propagines, similiter cava
prope ossium ethmoideῶν initium desinentes. De e
namque dubitare Galenus videtur, modò hoc, mod
illud asserens.

Oedema, οἴδημα, videtur Hippocrat. omnes præte
naturam tumores, nominare, sive dolore careant, dur
que sint, quos *scirrhos* Græci appellant, sive dolore
inferant, quos *phlegmonas*, id est, *inflammationes*, pro
priè vocant; sive absque dolore laxi, atque molle
sint; quos solos in specie οἰδήματος, Græci nominan
com. 1. in 6. de morb. vulg. 2. Et proin *Oedema* e
tumor præter naturam, qui dolore caret, & digitis ce
dit: aliquando tamen apud Hippocratem significa
durum, & *dolentem tumorem*, 1. prognost. 29.

Oenodes vinum, id est, *vinum vinosum*, quod multa
sustinet aquæ mistionem, & imbecilles vires ferit
quod & *Polyphorum* & *Multiferum* appellatur, quod u
benè temperetur, multam exigit aquam: Contrari
autem modo, *Oligophoron*, sive *Pauciferum*, quod ut b
batur, minimâ eget aquæ mistione, 3. acut. 20. &
7. method. 6. vide *Hydatodes*.

Oesophagum, Veteres nominabant eam partem, qu
inter fauces, & os ventriculi superius, inter media est
Aristoteles; & qui post ejus seculum scripserunt, *Sto
machum*, nos *Gulam* appellamus: via est eorum, qua
tùm devorantur, tùm vomitione dejiciuntur, 5. loc
aff. 5. *Gula*, Arabibus, *Meri* dicitur. Οἰσοφάγος di
ctus est, quod ea ferat quæ eduntur; est enim via cibi
Habet duas proprias tunicas, quarum interna oris tu
nicæ continua est, & ibi crassior atque durior, ubiqu
autem nervosa; externa verò carnosa. Utraque fibri
con

contexta est: interna rectis, externa transversis, sed utrisque quidem deglutitionem accelerantibus, & vomitum, dum illi trahunt, hi expellunt. Incumbit septem spondylis colli, & quatuor metaphreni, nonnihil in dextrum latus, à quorum interim spondylorum ligamentis ortam habet tertiam tunicam, quâ illo obligatus fertur in ventriculum, nonnihil in dextrum latus abscedens, ut cedat aortæ descendenti. Ad nonum denique spondylum ligamentis valentibus ab eo natis in altum levatus arteriamque prætervectus, jam sinister, pertuso diaphragmate cum duobus nervis insignibus à sexto pari demissis ventriculo unitur. Ὀισοφάγῳ etiam ab Hippocrate dici os ventriculi, Galenus in linguarum interpretatione explicavit.

Oesypus. id est, *Lana succida*, sive *non lota*, 14. method. 7. vide *Lana succida*.

Olecranos, quartus est musculus, qui per profunda adit cubitum, in medio gibberi interioris, inferiorisque brachii, 3. de anat. adm. cap. 4. à quo & *Cubitus*, & *Cubiti os*, *Olecranos* appellantur, vide *Ancon*.

Oligophoron, vide *Oenodes*.

Oligotrophia, id est, *parcior nutritio*, 3. sanit. tuend. cap. 8.

Omentum, ἐπίπλοον, ἢ ἐπίπλεον, est corpus membranosum ex duplici peritonæo, ceu plexû & adiposâ substantiâ compositum, medium inter vasa, quæ in ipso continentur, quibusdam aut multò infrà quàm umbilicus consistens, quibusdam ad pubis ossa descendens, cùm in pronum, ceu ad umbilicum, parvæ magnorum vasorum soboles, ex alto deferuntur, 6. de anat. adm. 5. ex duabus tunicis densis, & subtilibus sibi incumbentibus, quàm plurimis arteriis, & venis, & pinguedine non paucâ conflatum, gratiâ calefaciendi, & ventriculum roborandi factum, 4. de usu part. 9. quod *Epiploon*, sive *Epiplun*, Arabibus *Zirbus*, Antiquis *Rete*, quòd ita adipe instructum Omentum, reti non sit absi-

mile, indeque χαλαμὼν, & σαγήνη, à plerisque dictum fuit, libr. de nerv. & art. diss. cap. 1. Id secto peritonæo primùm in conspectum venit: Dorso ad undecimam thoracis vertebram, & jocinoris cavo, & ventriculi fundo, & duodeno intestino, & lieni, & colo ligamentis adhæret, reliquis autem intestinis prætenditur, & quodammodo ἐπιπλέει, hoc est, *innatat*, unde & nomen habet. Usus ejus maximus est, ut ventriculum cujus fundo incumbit, foveat, innatumque calorem etiam per inediam tueatur; deinde verò, ut venæ portæ ramos quoquo versus protensos, sibique implexos fulciat, & arterias pariter nervosque proximis ipsi partibus inserendos tutò deducat.

Omiæa vena, ὠμιαία, id est, *humeralis*, ramus est venæ cavæ claviculas supergressæ, per Omoplatam in brachium descendens, quam Galenus interdum *externam* vocat, ad differentiam axillaris, quam *internam* nominat: Vulgus nunc Cephalicam appellat, quòd ad capitis mo bos magnâ utilitate soleat secari. vide *Humeraria*.

Omotribes, sive *Omphacinum oleum*, id est, *crudum oleum*, ex Olivis immaturis expressum, 8. method. 3. ὠμοτριβὲς ἔλαιον etiam ὀμφάκινον vocatur, hoc est, acerbum; refrigerat & astringit.

Omoplatæ (quæ & *Homoplatæ* dicuntur, & *Scoptulæ*, 8. method. 8.) id est, *Scapulæ*, quæ humeri articulum constituunt; est enim in extremo scapularum insculpta capacitas, tantâ magnitudine, quanta capiti ipsius brachii dearticulando, cui inseritur, esset aptissima, 13. de usu part. cap. 10. Sunt ossa duo (utrimque videlicet singula) post thoracem in dorso sita, clavibus & brachio inarticulata. Sunt autem hæc ossa, ut scribit Galenus, admodum inæqualia, & omnibus suis partibus dissimilia. Foris enim gibba, intus sima existunt: item ima basi tenuia ac longa, superno fine crassa & parva. Utraque autem *Homoplata* duobus ossibus inarti-

articulatur, summâ quidem suâ spinâ acromio clavi per Synarthosim, cavitate autem suæ cervicis ipsi brachio per Diarthrosim.

Omos, humerus, propriè dicitur id totum, quòd in articulatione brachii, cum Omoplatâ apparet, adeoque revera ipse articulus brachii, cum Omoplatâ sic vocitatur. Rufus κεφαλὴν τοῦ βραχίονος, hoc est, *caput brachii* appellavit. Apud Aristotelem ferè pro *humeri articulo* accipitur, quem Celsus *Scapulam* vocat.

Oncos, apud Hippocratem idem est ac *tumor*, significatque omne id, quòd est supra naturalem constitutionem, incrementum, lib. de tumoribus, cap. 1. *Oncos* verò & *Poros*, quidam nostri, *corporis meatus* vocant, 1. simplic. cap. 1.

Onyx, idem quòd πύωσις, lib. finit. est puris collectio in nigro oculi, cum phlegmone, juxta Iridem ungui similis, Græcè ὄνυξ, *unguis*; qui propriè dicitur pars digitorum extima, lata duraque quâ ipsi firmantur. Sunt autem qui ungues partis nomine non dignentur, ut nec pilos, quòd nulla sit eorum propria actio, ut qui facultate omni carere dicantur, à quâ omnis actio primario proficiscitur. Nullam enim, inquit Galenus, gubernationem habent, sed ortum tantummodo. Usum tamen aliquem atque utilitatem afferunt, quòd iis extremi digiti firmiores sint, & meliùs apprehendant. Ex recrementis autem orti sunt ungues ad eundem modum quo & pili increscunt, alio atque alio subinde excremento ad unguium radices expulso, & imæ eorum parti adhærente, eamque ut clavus clavum trudit, pellente. Sunt autem duri, quod ex solidis corporibus solida quoque duraque excrementa prodeant. Est etiam ὄνυξ lapis, qui & ὀνυχίτης dicitur, quod illi candor sit unguis humani.

Ophiasis, est affectus capitis, quo capilli primùm extenuantur; deinde decidunt in certis spatiis & capitis sedibus, in Serpentis similitudinem; Idem revera

cum *Alopeciâ* malum eſt, ſolâque figura ab eo differt vide *Calvities*, & *Madaroſis*.

Ophthalmia, hoc eſt, *Lippitudo*, frequentiſſima oculorum affectio, eſt inflammatio tunicæ, ſeu pelliculæ os capitis, & Calvariam ambientis, quam & *membranam agnatam, adnatam, conjunctivam*, vocant, propter ea quòd aliis, quæ oculum ipſum conſtituunt, tunicis forinſecùs adnata ſit; ligamentum inſuper totius oculi ad circumſita oſſa, & ob id omnia, quæ circumcirc oculos ſita ſunt, uſque ad malas, quandoque in vehementi lippitudine attollens & colligans, 4. de comp med. loc. cap. 2.

Opium, eſt papaveris lacryma & ſuccus, 2. de antidot. 7. Ejus parandi rationem hanc Dioſcorides prodidit: *Cùm ros in papavere exaruerit, cultro decuſſatum in ſtellas, ne penitùs adigatur, ex obliquo in rectum ſummam cutem incidere oportet, lacrymam exeuntem digito in concham abſtergere, nec multò poſt redire, ut concreta inveniatur. Etenim quæ tum, aut poſtero die etiam offenditur, in veteri pilâ teri debet, & in paſtillos cogi*, Id *Opium* dici, teſtatur Scribonius Largus, in deſcriptione Collyrii, quod Diaglaucion vocat: *Opium*, inquit, *quod ex lacte ipſo ſylvatici papaveris capitum fit, non ex ſucco foliorum ejus, ut pigmentarii inſtitores ejus rei compendii causâ faciunt. Illud enim cum magno labore exiguum conficitur, hoc ſine moleſtiâ & abundanter teritur.* Dioſcorides ab aliquibus capita ipſa & folia tundi, & prælo exprimi, terique in mortario, & digeri in paſtillos, ſcribit: vocari autem μηκώνιον, multum *Opio* ignavius. Galen. *Opium* interdum Hiſpanicum, interdum Libycum, & album commendat. Aëtius aliquando Aſianum, aliquoties Achaicum, Officinæ noſtræ uno ore Thebaicum prædicant, emuntque à Mercatoribus alicunde comparatum; ſed ubi & quomodo paratum ſit, prorſus ignorant. Optimum habetur, inquit Dioſcorides, grave, & denſum, guſtu amarum, odoratu ſopo-

soporiferum, quod facilè aquâ diluitur, læve, candidum, neque asperum, neque grumosum, quod inter colandum non ut cera coëat, & in Sole diffundatur, dein admotum lucernis non atra luceat flamma, exstinctum denique odoris vim conservet. Adulteratur autem multis modis, ut glaucio gummi aut sylvestris lactucæ succo: Unde *opiata medicamenta* somnifera sunt, quibus *Opium* admiscetur, quæ Arabes vocant *Alsabiar*.

Opisthotonos, vide *Distentio*.

Opopanacem vocant Panacis guttam, & liquorem, 3. de compos. med. per gen. cap. 5. Excipitur lachryma caule vel radice incisâ, cùm recens eruperit caulis: Ea redditur candida ubi adaruerit: Croci exteriùs præfert colorem. Probatur amarissimus, internè candidus & subrufus, extra lenis, pinguis, friabilis, tener, facilè tabescens, odore gravi. Damnatur niger ac mollis. Excalfacit ordine tertio, tenuat, emollit; siccat secundo.

Oppilatio, vide *Compressio*, & *Obstruentia*.

Optici nervi, sunt primum nervorum par, quod cum utroque Cerebri panniculo, ad oculos descendit, secum visibilem spiritum ducens, libr. de ocul. part. 2. cap. 3. vide *Nervos sensificos*.

Ordinans pulsus est, quando ictus pari semper numero, paribus partibus, & statis procedunt circuitibus, de puls. ad Tyron. cap. 6.

Orexis, ὄρεξις, *appetitus*, sive *appetentia*, est concupiscentia cibi & potus, quam Hippocrates λιμὸν, hoc est, *famem*, appellavit, eo aphorismo, quo scripsit, *famem meri potione solvi*, ut in Commento Galenus annotavit: Ea autem à jecinore principium habet. Est enim totum hoc opus naturalis facultatis, quam non φυσικὴν modò, sed & ἐπιθυμητικὴν & ὀρεκτικὴν Veteres appellarunt. Sed advertendum est appetentiæ nomen ambiguum esse. Unâ enim significatione dicitur naturalis

quædam inclinatio, quâ ſingulæ corporis partes alimentum deſiderant, quòd in vacuatæ ſubſtantiæ locum ſuccedat: & hæc quidem naturalis appetentia eſt. Alterâ verò ſignificatione appetentia dicitur deſiderium cibi & potus, quo ventriculus exugi ſe ſentiens tenetur: Et hæc quidem animalis appetentia eſt: ſi quidem natura animalibus non item ſtirpibus vacuationis & penuriæ ſenſum dedit, quo ſcilicet ad cibum potionemque proritata ſeſe impleri appetant. Fit autem is penuriæ ſenſus, cùm venæ ex ipſo ventriculo veluti emulgentes, ſugentesque aliud trahunt: non ferens enim eum ſuctum ventriculus, ſed veluti divulſus offenſæ ejus medelam cibum deſiderat.

Oricularia, vide *Laminas*.

Oroboeides urina, quæ habet hypoſtaſin ſimilem *Oroboi*, eaque fit à colliquatione, & diſſolutione carnis. lib. de Urinis, cap. 26.

Oros dicitur à quibuſdam τὸ πίδιον, hoc eſt, pars tota pedis ſuperior, quam alii πολυόστεον appellant, id eſt, multorum oſſium. *Orros* verò, tum *ſerum lactis* ſignificat, tum *Perinæeon*, tum etiam *ſacri oſſis extremum*, ad caudam uſque protenſum.

Orthocolon, ὀρθόκωλον, quaſi *rectus articulus*, eſt articuli vitium, quando ob durum aliquem tumorem, muſculi partem aliquam inflectentes, non ſequuntur, ſed perpetuò articulus tenditur, nec inflecti poteſt. 3. de artic.

Orthopnœa, ὀρθόπνοια, quaſi rectam ſpirationem dixeris, eſt magna ſpirandi difficultas, ut non aliter ea fieri poſſit, quàm rectâ cervice, & thorace elato; quòd etiam iis accidit, qui velociter cucurrerunt: qui ſic affecti, dicuntur ὀρθοπνοϊκοὶ. Cùm aſpera arteria, ut ſcribit Galenus, principium à gutture habens, in pulmonem dividatur; quoties quidem thoracem cum collo rectè extendimus, arteriam ipſam dilatari contingit, atque etiam quæ ex eâ in pulmones diſtribuuntur propagi-

pagines omnes, atque interim regionem augeri eis internam : hæc quidem causa est, cur recti spirare affectent. Idem malum ab alio symptomate, *Asthma* nuncupatur ; à viscosis & crassis humoribus, circa asperas in pulmone arterias, sine febre congregatis, de difficr. respir. cap. 11. & com. 4. in 6. de morb. vulg. 4. vide *Anhelosi*.

Os, Στόμα, duobus modis dicitur ; primùm, quantum diducta labra parent ; secundò & propriè, totum id spacium, quòd dictis labris, ad imas usque fauces interjacet, in quo dentes, palatum, lingua, gurgulio, & tonsillæ duæ continentur quarum omnium partium una tunica est, etiam naribus communis, à peritonæo prognata, 3. de usu part. cap. 3.

Os ballistæ, vide *Astrogalus*.

Os cartilagineum est, quòd ad caput cordis invenitur, ad quod omnium ipsius ligamentorum principia adaptantur, quòd alii *Cartilaginem osseam* nominant, 7. de anat. admod.

Os cubiforme, vide *Os cyboeides*.

Os cyboeides, id est, *cubiforme*, est, quod ab externis Tarsi partibus est locatum, firmumque in terrâ constituitur, 3. de usu part. cap. 7. & dearticulatur cavitati calcanei, ad finem adjacenti, ibid. cap. 8. *Os cubicum*, est unum ex quatuor tarsi ossibus, solum nomine donatum, cùm reliqua tria careant nominibus. Id calci articulatur, ipsamque excipit, cùm reliqua tria tarsi ossa scaphoeidi conjuncta sint. Sic dictum est, quòd Cubo simile sit : Verùm lateribus omnibus est admodum inæqualibus, & ferè asperis, ut vix quicquam aliud quod latera sex habeat cum Cubo communia : Sed & internum ejus latus geminum apparet.

Os frontis, quod vulgus *Coronale* vocat, vide *Coronale os*.

Os humeri, quod Arabes *Os adjutorii* vocant, vide *Adjutorii os*.

Os jugale, vide *Zygoma*.

Os latum, vide *Spina*.

Os magnum, vide *Spina*.

Os naviforme, vide *Os scaphoides*.

Os palati, vide *Sphenoïs os*.

Os petrosum, Λιθοειδὲς ὀστοῦν, ossis nomen, sic dicitu pars ossis temporalis, protensis futuræ lambdoeide finibus terminata; sic dicta, quòd petræ, vel rupi v deatur similis, duritie & soliditate. In eo osse apophy sis est πυλοειδὴς, quam Galenus βελονοειδῆ, & ῥαφιοειδ appellat; & alia præterea quæ meatum auditoriu concernunt.

Os sacrum, ὀστοῦν ἱερὸν, duobus modis à Galeno sumi tur: primùm, latiùs, ut Coccygem etiam comprehen dat; ut 12. de usu part. scribit, Os sacrum constare o sibus quatuor, tribus scilicet propriis, & Coccyge hæc enim ossa sibi unita per symphysim, efficiun unum os, quod parte supernâ vocatur sacrum, infern Coccyx. Sicut ipse humerus quâ parte à nobis specta tur, ἐπωμὶς, parte spinæ suæ summa ἀκρώμιον, parte lat ὠμοπλάτη vocatur, atque similiter Os sacri ipsius ossi lateribus annexum, Os ilium, ad cotylen Ischion, an ticâ verò parte Os pubis. Deindè, sumitur pro eâ tan tùm parte, quæ reverâ sacra est, id est, magna, & lata quâ parte hoc os, cum osse ilio per synarthrosin jungi tur. Hâc enim solâ parte revera ἱερὸν est, id est, mag num & latum, tuncque ejus reliquum gracilescen semper ac tenuatum, in tres cartilagines acutissima desinit, quas Coccygem vocant, libr. dè ossib. cap. 12 & 3. de artic. 104.

Os scaphoides, vide *Scaphoides os*.

Ossa, ὀστᾶ, partes humani corporis durissimæ, siccis simæ, maximéque terrestres & frigidæ sunt, quæ s mutuò, & alias partes omnes, tanquam fundament sustinent, & firmant, atque ad universam corporis sub stantiam sustentandam & gestandam factæ, quibus

pro-

proin omnia adnascuntur, & stabiliuntur, lib. de ossibus in procœmio. Eorum differentiæ sunt permultæ ab apophysibus, epiphysibus, cartilaginibus, cervicibus, capitibus, soliditate, cavitatibus, harum quorundam superciliis, medullâ, & aliis quibusdam ipsorum particulis, & à consistentiâ, magnitudine, numero, figurâ, situ, & aliis, substantiam necessariò consequentibus, in sceletis visu tactuque observandæ. Ὀστάριον, Instrumentum chirurgicum, quo ossa vel attolluntur, vel deprimuntur, vel omnino loco moventur.

Ossa alata, vide *Pterigoeidea*.

Ossa cavernosa, vide *Ossa Ithmoeidea*.

Ossa colatoria, sive *Colo similia*, vide *Ossa Ithmoeidea*.

Ossa foraminulenta, vide *Ossa Ithmoeidea*.

Ossa Ithmoeidea, sunt ossa quædam foraminulenta, & cavernosa, ad radicem & principium narium in meatu olfactorio posita, quæ natura variè pertusa, velut spongiam & cribrum formavit, ne aliud corpus durum extrinsecùs insuper incidat; in illâ ne viribus integris aër frigidus inspirantibus nobis, rectà in cerebri ventriculos sese insinuet, quin &, ut vapor odorem secum ferens, per ea foramina à cerebro recipiatur; simul, ut cerebrum vacuaret repentè, si quando usus inciderit, excrementorum copiam; quæ quoniam ad cribri & Spongiæ similitudinem perforata sunt, *Ithmoeidea*, & *Spongoeidea* dicuntur, 8. de usu part. capit. 6. & 7. quæ ossa Galenus, 3. loc. affect. 10. *Colatoria*, vel *Colo similia* vocat, quòd per illa crassum cerebri excrementum purgetur, & percoletur; quod Aristoteles vocat *Perittoma*, tenuiora autem excrementa, & quæ vapori similia sunt, in sublime lata per calvariæ futuras excernuntur; crassiora autem prona feruntur, quorum altera pars in eas vias, quæ ad os pertinent, influit, & per screatum ejicitur; altera, quæ *mucus* dicitur, in nares, & per efflatum vehementem, excernitur, lib. de inst. odor. cap. 2.

Ossa spongoeidea, vide *Ossa isthmoeidea*.

Oscitatio, & *Pandiculatio*, sunt mediocres motus v tutis expultricis celebri, 2. de sympt. caus. cap. 6. quæ contenta in musculis (per quos quoque volunt rii fiunt motus) humida, flatulenta, vel spiritus flatu expurgantur, 7. aphor. 56. Per *oscitationem* tale qu solis maxillæ inferioris musculis accidit, quale in *pa diculatione* in omnibus musculis symptoma est; utr que enim evacuandorum in musculis halituosoru excrementorum causâ fit, com. 1. in 6. de morb. v gar. 4. & 7. aphoris. 56. χάσμη illa; hæc, σκοῤῥίνημ vel σκοῤῥινισμὸς Græcè.

Osculorum apertio, quæ, tùm in arteriis & venis per resudantiam, & dicitur *Anastonosis*, sive *Exanast mosis*, tùm in ulceribus & vulneribus, quæ sinuo sunt, fistulosa, & angusti orificii, cùm scilicet hæc d hiscunt, 6. de comp. med. loc. cap. 2.

Ostocopi, id est, *ossium dolores*, nominantur, cùm mem branarum, quæ ossibus adjacent, dolores, & profun sunt (id est, in intimo corpore sensum excitantes,) ossium ipsorum veluti dolentium inducunt imaginem qui magnâ ex parte ab exercitationibus evenire solen interdum etiam à frigore, & plenitudine, quin & a humorum cacoëthia in lue venereâ, 2. loc. aff. 8. q sic laborant, ne minimum quidem motum sustinen sed omnem formidant. Sentiunt autem manifestu calorum unà cum demorsu & tensione, vitioso humo re in totam corporis molem largè effuso.

Ostracoderma, animal omne est, cui pro cute test est, libr. 1. de aliment. fac. 1.

Otalgia, ὠταλγία, aurium dolor, est is cumprimis, qu ad profundum auditorii meatum pertinet, 2. meth. 2.

Otenchitæ, instrumenta sunt chirurgica, quibus ali quid in aures infunditur. *Aurifusoria specilla* ab aliqui bus, à Celso *Strigiles*, aliter, *Auriculares clysteres* ap pellantur.

Oxe

Oxelæum, ὀξέλαιον, id est, compositio ex aceto, & oleo, 1. de compos. med. per gen. cap. 7.

Oxycratum, id est, compositio ex aquâ, & aceto, 1. simplic. 29. Ὀξύκρατον, *Posca*, vel *Pusca* dicitur. Miscendi autem ratio nunquam certa fuit: variè namque temperari potest. Sed, ut author est Aëtius, si simplici ratione construatur, refrigerat, & humectat: sin condiatur, & calorem, & siccitatem adsciscit. Inter Veteres, ut idem inquit, omnes ferè convenit, noxium parere succum, nervis officere, flatuosos spiritus creare, capitis dolores concitare, contra sacrum morbum prodesse, vini crapulam mitigare, sanguinis acrimoniam lenire. Consuluntque eâ potione abstinendum, quòd facilè putrilaginem concipiat, qui ex eo contrahitur humor, item propter noxam, quam nervis infert. Græcorum juniores imitatione Latinorum, etiam φόσκαν id genus potionis appellarunt.

Oxydercica facultas est, quæ oculos, (ubi nullum insit illis sensibile pathema) malè tamen munere suo fungentes, corrigit, & in integrum restituit, ac nimirum & in auribus & in naribus, aliisque sensoriis cunctis id ipsum præstat, & proin in auribus, E. gr. *Oxycoos* dicitur, 5. simpl. 23.

Oxygala, id est, *acidum lac*, 3. alim. 16. Lac quòd acuit, seu coacuit, fit certâ quâdam lactis præparatione, per quam sola caseosa substantia relinquitur, eaque ipsa non ejusdem omnino naturæ cujus ab initio fuit, verùm multo frigidior, ut ægerrimè, nec nisi à ventriculo valdè calido concoquatur. Neque enim calidam & acrem seri qualitatem retinet, neque pinguem & calidam, butyri, sed solâ crassiore substantiâ constat, quæ in caseum abit, ὀξυγαλάκτινον appellatum: Id genus hodiè Galli videntur *Iunceam* appellare: Est autem vehementer frigidum, crassum, & concoctu difficilè.

Oxymel, non ex aceti, mellisque mistione tantùm compositio est, verùm ex mulsâ, paulùm aceti accipiente

piente, 3. acut. 24. & 4. ſanit. tuend. cap. 6. Acetu
mulſum, vel Mulſum acetoſum, ὀξύμελι, potio vet
ſtiſſima certa, ut quæ etiam ante Hippocratis ſeculu
in ſanitatis uſum venerit. Hujus duæ ſunt ſummæ di
ferentiæ: alia ſimplex eſt, alia compoſita. Nec ver
etiam ſimplicis ratio una eſt: quidam enim ita præp
rant; Melli optimo ſuper carbones deſpumato add
tur aceti tantum, unde guſtanti nec acidum nimis, ne
dulce videatur: ac denuo ſuper prunas coquitur, do
nec planè unitæ amborum qualitates ſint, nec app
reat guſtanti acetum adhuc crudum: hinc ab igni d
ponitur; cùmque eo utendum eſt, aqua miſta ita tem
peratur ut vinum, nimirum ex ſumentis guſtu. Id enim
ut jucundiſſimum eſt, ita etiam utile: & contrà, u
injucundum, ita adverſiſſimum. Alii verò, tum me
lis, tum aceti modum definiunt, vini aceti parti melli
à quo detracta ſpuma ſit, duplum miſcentes, deind
ambo leni igni coquentes, donec eorum qualitates i
unum coierint. Alii autem cum aquâ ſtatim ipſum fa
ciunt, melli quadruplum optimæ aquæ miſcentes, de
inde coquentes modico igni, quoad ſpumare deſinat
poſt verò dimidio aceti adjecto, rurſus coquentes, do
nec qualitatum omnino ſit unitas, nec acetum crudum
etiam appareat. Oxymeli omne exterget viſcoſos hu
mores, & craſſos attenuat, quapropter viſcerum om
nium obſtructiones diſſolvit, ſive in febribus, ſive ci
tra febrem detur; verùm aquæ multæ miſtione vire
ejus exſolvuntur. Tuſſim autem movere, quæ non eſt
& inteſtina radere oxymeli, Hippocrates & Galenu
ſcripſere, non in corporibus quidem craſſis & glutino
ſo humore redundantibus, ſed puris ab excrementis
aut iis quæ tenui & acri fluxione vexantur, quæqu
nervoſas partes valdè ſenſu exquiſitiſſimo prædítas ha
bent. Oxymeli compoſitum eſt σκιλλιτικὸν & ἀπλυτικὸν
item καθαρτικὸν, &c.

Oxyregmia, id eſt, *acidus ructus*, qui ſine aliquâ pi
tuitâ

tuitâ, quandoque in ventriculo frigidiore, & in quibusdam lævitatibus inteſtinorum, quæ ex frigiditate ortum habent, fiunt, 6. aphoriſ. 1. non ubi nulla prorſus facta eſt ciborum alteratio, acidi ructus excitantur, uti nec ubi optimè concocti fuerint, ſed tantùm, ubi modicam à ventriculi calore alterationem perpeſſi fuerint, nec perfectam adipiſci potuerint. Fiunt etiam propter frigidam pituitam in ventriculo acervatam, & frigidam fluxionem in ipſum decumbentem, adhæc ciborum tum frigiditatem, tum copiam: his enim omnibus cauſis commune eſt, calorem ventriculi ingenitum vinci à cibis, non eos vincere.

Oxyrrhodinum, quod & *Rhodinum* dicunt, eſt frontis linimentum, ex aceto, oleo, & roſaceâ placentâ capiti phreniticorum, aut quâcunque intemperie calidâ laborantium permixtum, 13. meth. 21. Sed cùm varius poſſit eſſe utriusque modus, qui temperatiſſimus, recipit olei roſacei partes quatuor, aceti unam, ut ait Gal. ſic enim mediocriter refrigerat: Quod verò plus aceti habet, vehementiùs refrigerat, ut contrà minùs, quod minùs habet aceti: Habet etiam vim repellendi. Itaque in morborum principiis magnâ utilitate illinitur, præſertim ſi calidus morbus eſt. Sed & in œdematis atque ipſis etiam lethargicis, Galenus in libr. method. med. admovet, quo humor quiſquis fuerit is, à parte affectâ repellatur. Tanta adeò vis eſt Oxyrrhodini, in frigidis etiam morbis, ſive per ſe, ſive cum ſale, aut thymo, aut alio exhibiti, ne frigiditate nocere poſſit.

Oxys, id eſt, *acutus*, à quo ὀξεῖς πυρετὸς, *acuti febres*, ὀξεῖαν νόσον, & ὀξὺ νόσημα dicunt. Conſiſtunt autem acuti morbi eſſentia, non in celeri tantùm motu, ſed cumprimis in magnitudine, & periculo, 2. aphor. 23.

Ozæna, eſt ulceratio in naribus profunda, tetri odoris halitus emittens, lib. finit. & 3. de comp. med. loc. cap. 3. unde ex ulcerum genere eſt, eoque à Polypo differt, quippe qui in tumorum tantùm genere eſt,

non

non ulcerum ; naſcitur ex influxu humorum acriu & putreſcibilium, à cerebro in nares facto, unde, v earum alæ, vel interſtitium, vel aliæ ipſarum part exulcerantur ; Et humoris quidem acrimonia diffic lem admodum ejus curationem reddit, putrilago ver graveolentiam & fætorem inducit ; unde morbo n men Veteres indidere. Quando, inquit Celſus, ulce circa nares ſunt, pluresque cruſtas & odorem fœdu habent, id genus Græci ὄζαιναν appellant. Id mali g nus nobis multò frequentiùs eſt, quàm Antiquis fu rit, ut quòd luem veneream ſæpiſſimè conſequatur.

P.

PÆDOTROPICA, eſt medicinæ pars, de pu rorum ſanitate, & regimine, libr. de part. an med. capit. 5.

Palatum, partem illam in ore altioris ſedis cava vocant, quæ ſuper foramina è naribus in ipſum pe tinentia, ſublimis eſt, com. 1. in 6. de morb. vulg. 3.

Palimbolus, παλίμβολος, homo doloſus eſt, qui alit loquitur, aliud ſentit, & qui facilè ſententiam muta ejuſmodi quoque morbus appellatur, qui ſpeciem qu dem & ſpem facit levationis, ſed tamen intùs malig nus eſt, com. 1. in 6. de morb. vulg. 6.

Pallidabilis, vide *Bilis pallida*, & *amara*.

Palma, eſt ea pars manûs, quæ *Metacarpium*, & *Po brachiale* dicitur, 1. de muſc. cap. 21.

Palmos, vide *Palpitatio*.

Palpitatio, quæ & *Subſultio*, & Παλμὸς Græcè dic tur, ſimiliter atque *Tremor*, motus eſt, quo partes pa pitantes, citra voluntatem noſtram, nobisque invit attolluntur, & deorſum aguntur, à craſſo & vapor ſpiritu, quærente exitum ; differunt verò *palpitatio tremore*, quòd nemo, qui artus movere non inſtitueri tremat ; palpitantes autem particulæ, etiamſi in quie fuerint, nullusque illis motus ſit indultus, palpitent

Eteni

Etenim supercilium, palpebræ, & oculus subindè citra omnem voluntatem attolluntur; tremor autem totius & integri membri motus est, ut totius manûs, brachii, capitis; palpitat verò pars membri, ut vel sola cutis, vel sola arteria, ut censebat Praxagoras, vel solus musculus, ut Herophilus. Adhæc quæ tremunt, totum mutant locum; quæ autem palpitant partes, eundem obtinent, sed modò ampliorem, modò minorem; in seipsas enim concidunt partes palpitantes, dum contrahuntur; aliò autem moventur, quæ tremunt; libr. de trem. palp. cap. 4. & 5. Adhæc, *Palpitatio* est contractio quædam præter naturam, in illis corporis partibus, in quibus ob substantiæ earum mollitiem, distentio, dilatatio, & contractio accidere potest, 2. de sympt. caus. cap. 2. non enim os, vel cartilago palpitant, quòd dilatari non possint. Denique *palpitatio* motus est toto genere præter naturam; *tremor* autem, mistus, ex motu secundùm naturam, membrum movente, & motu præter naturam, virtutem ad violenter movendum proritante & cogente, 2. de sympt. caus. cap. 2.

Palpebræ, sunt externæ oculi partes, superciliis subjacentes, supernè, infernéque interiores oculi tunicas contegentes, *hæc* inferior, *illa* superior dicitur, lib. Introd. cap. 10.

Pancœnus, vide *Endemus*.

Pancratium, vide *Pancreas*.

Pancreas, & *Pancreon*, *Calicreas*, & *Calicreon*, corpus glanduloſum, vel caro glanduloſa est, in medio meſenterio sita, quam natura quatuor vasis, venæ, arteriæ, nervo, & vesicæ bilis, in orbem substravit, divisionesque inter se mutuas replevit, ne ullum ipsorum facilè scindatur, propter vehementem motum, sed molli cedente corpore, conquiescat, 5. de usu part. capit. 2. quòd corpus vocatur etiam *Pancratium*, 2. de motu musc. 6. Cùm infiniti propè rami venæ portæ per meſen-

ſenterium diſperſi ſint, chylum ab inteſtinis præſertim tenuibus exugentes, & in jecur deferentes, ſciens natura eos propter exiguitatem infirmos eſſe, & injuriis obnoxios, ventre præſertim ſæpè laborante ſaltu, ictu, compreſſu, vociferatione, ſpiritus contentione, & rerum gravium impulſu, glandibus ſingulas vaſorum ſciſſuras munivit, ſecurasque reddidit. Qui uſus eſt non hujus modo glanduloſi corporis, ſed aliarum quoque glandularum, ἀδένας vocant, quæ pluribus aliis corporis partibus inditæ ſunt à naturâ.

Pandemus, vide *Endemus*.

Pandiculatio, vide *Oſcitatio*.

Panus, id eſt, *Tuberculum immaturum*, quod aliquando & magnum, & durum, & diuturnum exoritur, 3. de artic. 2. eſt tumor non altus, ſed latus, in quoddam puſtulæ ſimile eſt, panis ſimilitudinem habens: hinc Latini *Panum* etiam appellant. vide *Phygethlon*.

Papilla mammæ, id eſt, extremum mammæ muliebris, quod ori infantis inditur, 15. de uſu part. cap. 7.

Papula, nomen eſt iis, quæ ſpontè extuberant in cute, ex anthematibus conveniens, quæ ſuperfluis conſtant humoribus, atque qualitatem illorum etiam non injuriâ ſubſequuntur; cùm tenues humores ſunt, exulcerationem potiùs, quàm tumores creant; at craſſi, tumorem cutim attollunt, com. 3. in 3. de morb. vulgar. 51.

Paracenteſis, id eſt, *punctio*, quæ Hydropicis, & Hernioſis adhibetur, ad aquam evocandam, 14. meth. 1 & 6. aphor. 27. Paulus non omnibus aquæ intercutis generibus, ſed aſciti tantum convenire ſcripſit: ejusque tres in univerſum differentias ſtatuit; unam ſectione factâ directè ſub umbilico, tribus digitis interpoſitis ſitis ab inteſtinis orta fuerit: aliam eâdem factâ à ſinſteriore umbilici parte, ſi primario jecoris affectui mlum feratur aeceptum; tertiam autem à dextrâ ej

de

dem parte, si à liene vitium traxerit originem. Scalpello ejusmodi sectio fieri debet, aut aculeo intra peritonæum adacto; deinde in foramen immissâ æneâ fistula, per eam humor sensim effundendus pro cujusque virium ratione, cavendo ubique subitam cumulatamque vacuationem.

Paracmastica, vide *Continua*. Παρακμαστικὴ ἡλικία, ætas jam vergens & inclinata. Ætas declinans, media est inter juventutem & senectutem. Incipit secundum Galenum, à tricesimo quinto anno, duratque ad annum quadragesimum nonum, quo scilicet senectus incipit.

Paracynanche, vide *Cynanche*.

Paralysis, (quæ & *Paresis* à Medicis recentioribus dicitur) est nervorum resolutio, cùm nervi & corporis partes, omninò sensûs, & motûs expertes sunt, 1. de sympt. caus. cap. 5. fit, cùm humorum multitudo indissolubiliter in aliquâ corporis parte, non principe, impacta fuerit, ut & *Epilepsia*, & *Apoplexia*, partis dici possit, 4. acut. 27. *Exquisita* autem *Paralysis* est, in quâ nervi & membra sentientia omninò sensum & motum perdiderunt; *imperfecta*, in quâ motus quidem perit, servato sensu; *imperfectior*, in quâ incolumi motu, sensus aboletur: est enim *Paralysis*, motûs potiùs, quàm sensûs affectio; quæ si fiat in universo corpore, *Apoplexia* potiùs dicenda est, quam vera *Paralysis*. Accidit insuper *Paralysis* oculis, ubi & *mollities* dicitur, cùm oculus, vel motu, vel visu, vel utroque privatur, læso vel cerebro, vel nervo concavo, vel spiritu visibili, lib. de ocul. part. 4. cap. 13. Est *Paralysis* etiam imaginatricis facultatis affectio, qualis & *Caros*, & *Catalepsis* nominatur, de sympt. differ. cap. 3. vide *Resolutio*.

Parameſus digitus, id est, *Digitus annularis*, libr. de musc. diss. cap. 22. Παραμέσος δάκτυλος, digitus minimo proximus, *Medicus* à Latinis dictus, quod Medicinæ dicatus tradatur.

Parophimosis, vitium est *Phimosi* contrarium, cùm videlicet ea, quæ naturales meatus concludunt, opercula & tegumenta ita diducta sunt, ut reduci nequeant; propriè tamen dicitur de præputio retrorsum adducto, ut glandem tegere nequeat; quod malum ex nervi contractione maximè contingit; fit & ex immodicâ præputii siccitate; ei contrarium vitium *Phimosis* appellatur, lib. finit.

Paraphrosyne, parvus erransque motus virtutis imaginatricis cerebri est, qui & *delirium* dicitur, de sympt. differ. cap. 3. Differt verò ab *anœâ*, & *amentiâ*, quòd *illa* sit imaginatricis, aut ratiocinatricis depravatus, vel diminutus motus; *hæc* verò, earundem facultatum paralysis existat, & resolutio.

Paraplegia, παραπληγία, sive ἡμιπληγία, est plerarumque alterutro in latere corporis partium immobilitas sensusque privatio, quam etiam *Apoplexiam* vocat Hippocrates, com. 2. in 1. prorrhet. 50. quod utraque à frigidis, & pituitosis fiat humoribus. *Paraplegia*, affectio unius partis corporis talis est, qualis *Paraplexia* totius, com. 3. in 1. prorrhet. 26. Interdum facta absque convulsione *Apoplexia*, in partis alicujus resolutionem finiens, *Paraplexia* appellatur, 4. acut. 27. & com. 2. in 1. de morb. vulg. 59. *Apoplexia*, à *Paraplexiâ*, ut à toto, pars, differt: Apoplectici namque prorsus & Paraplectici sunt; Paraplectici verò, non omnino & Apoplectici. Adde, sanos mente, Paraplecticos, resolutos parte unâ corporis, dextrâ, vel sinistrâ, Apoplecticos & mente, & toto corpore resolutos esse constat, lib. finit.

Pararhythmus pulsus est, παρρύθμος σφυγμὸς, qui (cùm quæque ætas proprium pulsum agnoscat) non convenit illi ætati, in quo est ille pulsus, sed alterius proximioris; quemadmodum *Heterorhythmum pulsum* vocamus, qui alterius ætatis habet *rhythmum*, lib. finit.

Pararosis, est depravata visûs actio, cùm oculis co-

lore

fore, figurâ, magnitudine, vel ſitu, mutata videntur, veluti *Amblyopia* eſt diminuta actio visûs, & cæcitas, viſioque ablata, 1. de ſympt. cauſ. cap. 5.

Paraſtatæ, qui & *ſeminarii meatus* dicuntur, & Latinè *Aſtites* nominantur, ſunt, qui ex venâ & arteriâ conſtant, in unam naturam conſertis, ſemen confoventes, & perficientes, lib. finit. Ἀπὸ τῆς παραστάδος adſtare. Id enim quadrat utrique corpori, quod Veteres παραστάτην appellarunt. Duo enim eodem nomine appellantur; unum, παραστάτης κιρσοειδὴς; alterum, παραστάτης ἀδενοειδὴς. Dicitur autem παραστάτης κιρσοειδὴς, hoc eſt, *Varicoſus*, corpus id, quod utrique teſti anteſtat in modum pyramidis efformatum, incipiens paulò ſuprà teſtem, quâ venæ & arteriæ ſpermaticæ coëunt & commiſcentur, deinde poſt multos gyros & circumvolutiones varicum in modum parùm lateſcens, & in ſuperiorem teſtis partem inſertum: Itaque vaſis ſpermaticis coaleſcentibus gignitur, primùmque ſeminis materiam, ſeu ſemen rude & imperfectum excipit, quod poſtea teſticulus abſolvit: Ergo, ut facultate cum teſticulo conſpirat, ſic quadamtenus etiam figurâ convenit; habet enim parvi cujuſdam teſtis effigiem. Verùm παραστάτης ἀδενοειδὴς, id eſt, *glanduloſus*, dicitur corpus ſeu glandula meatui urinario ſuprapoſita, vaſorum ſemen deferentium inſertionem excipiens. In eam enim deferentia ſemen vaſa poſtquam coire, inſeruntur ad ſecuritatem. Eſt autem ad humillimam veſicæ partem ſita, media quodammodo inter veſicæ corpus, & ejus cervicem. Verùm hanc aliqui non παραστάτην, ſed προστάτην appellant, quo vitent ambiguitatem. Sunt etiam qui προστάτην vocant *Os ὑοειδὲς*, quod ſitum eſt ad radicem linguæ. vide *Glanduloſi aſſiſtentes*.

Paraſynanche, vide *Cynanche*.

Paregorica, id eſt, *mitigatoria medicamenta*, quæ non ſanant, ſed mitigant, ne malum creſcat, lib. de Dyna-

mid. in procœmio, παρηγορικὸν idem prorsus, quod τὸ πόδυνον. hoc est, dolorem sedans. Dicitur & πραϋντικὸν, hoc est, mitigatorium.

Paromptosis, (quam & *Periptosim*, hoc est, *Incidentiam*, & *Casum* vocat, lib. 3. κατὰ χρόνον) est intercidentia, sive coincidentia; cùm E. gr. ea plenitudo, quæ ex ingestione eorum, quæ comeduntur, & bibuntur, in venis gignitur, à venis in arterias delabitur, libr. de caus. procatarct. cap. 3. Atque universim *paremptosis* est, quando aliundè in aliud vas humor fluit, 7. de anatom. adm. cap. 16. speciatim, transumptio spirituum, ex arteriis in venas, *paremptosis* dicitur, libr. de venæ sect. contra Erasistratum, cap. 2. vide *Coincidentia*.

Parencephalis, quod & *Cerebellum*, & *Encranion* dicitur, est posterius Cerebrum, quod à priori (anterius enim propter sui magnitudinem, nomen totius sibi vendicaverat,) crassæ meningis duplicatione est diremptum, 8. de usu part. cap. 1. vide *Cerebrum*.

Parenchymata, Græci vocant carneam illam substantiam, quæ inter vasorum intercapedines recipitur, 7. de anat. adm. cap. 5. ut quæ in visceribus, in jecinore, renibus, liene, & pulmone visitur: quam substantiam Galenus non vult vocari carnem; ea enim solùm caro dicitur, quæ in musculo est; reliquarum nullam homines carnem vocant, præterquam admodum pauci; sed quæ in visceribus, ceu jecinore, renibus, liene, & pulmone visuntur, eas *Parenchymata*, (quasi *affusiones* dixeris) Græci vocant; quæ verò in intestinis ventriculo, stomacho. & utero sunt, sine nomine relinquunt, 10. method. 11. παρέγχυμα ergo dictum est ab Erasistrato, quod existimaret viscerum eorum molem ex sanguine è venis effuso concrescere, ut scribit Galenus, lib. 2. simpl. medic. Qui tamen neglectâ Erasistrati opinione, eorum viscerum propriam substantiam non παρέγχυμα, sed *carnem* sæpè appellat.

Parosis, idem quasi *Paralysis*, id est, *resolutio*, vide

Para-

Paralysis; propriè contractio artuum, in quam passio colica terminatur.

Parietalia, vide *Bregma*.

Paristhmia, quæ & *Tonsillas*, & *Amygdalas* vocant, sunt locorum ad Isthmum (id est, eam oris regionem, quæ os & gulam interjacet) attinentium inflammationes, 3. aph. 26. *Paristhmia*, *Tonsillæ*, & *Uvæ*, nihil aliud sunt, quàm inflammationes; *Uvæ* quidem Gargareonis; *Tonsillæ* verò, adenum, qui in principio faucium inter se oppositi sunt; *Paristhmia*, corporum eorum, quæ in faucibus continentur, lib. de tumo. c. 17. quo nomine non solùm inflammationem, sed etiam faucium partem illam nominant. Sic autem eam appellaverunt Græci, quòd locus ille, cui adjacent, veluti Isthmus quispiam angustus est, quum inflammatione tumet, & multò quàm anteà angustior fiat. Latini, *Tonsillas*, diminutivâ voce à *tollendo*, hoc est, *tumore faucium*, appellant. Alio nomine etiam ἀντιάδας vocant. vide *Isthmus*.

Parochoteusis, id est, *derivatio*, est, cùm sanguis avertitur, atque ad alia membra proximiora conversus derivatur; si verò sanguis ad contraria revellitur, *Antispasin* Græci vocant, Latini, *revulsionem*, 5. method. cap. 2. Est autem παροχέτευσις curationis genus ad humores pertinens, ut scribit Galenus, cùm id quod per palatum vacuatur, per nares trahitur, nobis irritantibus, aut per acria medicamenta provocantibus; cùm quòd fluit ad oculos, aut aures, tum in nares, tum in os trahitur, collutionibus & gargarismatis acribus atque aliis ejusdem generis remediis: cùm quòd defluit per asperam arteriam, in pulmonem ad stomachum convertimus, id enim potiùs optandum: cùm sanguinem per sedem profluentem in muliere, per vulvam derivamus: similiter cùm mulieri sanguinem vomenti ex Hippocratis consilio, menses ducimus. Sed hoc exemplum revulsionis potiùs fuerit, quàm derivationis. Revulsio enim fit per loca plurimùm distantia, eoque solo

à derivatione differt. Fit derivatio à dextris ad sinistra, ab anterioribus ad posteriora, & contrà, sed brevissimâ viâ: alioqui ad revulsionis naturam magis accedit; estque humoris tum fluentis, tum jam impacti & in ægrâ parte consistentis; in quo etiam videtur à revulsione differre, quæ fluenti tantum humori adhibetur.

Paronychia, Abscessus, est, qui ad latera unguium enascitur, 8. de compos. med. loc. cap. 2. alii malunt Inflammationem vocare. Non leve prorsus malum est ut quod dolores & febres aliquando moveat: & tamen Latini reduviam curare, pro occupari in re minimâ, proverbii loco, usurpant. Ex quo arbitror, reduviæ nomine non tantum παρωνυχίαν designari, sed eum etiam affectum, in quo ad unguium latera caruncula aut cutis portio resolvitur nullo fermè dolore. Inde Latini *reduviam*, vel *rediviam*, malum hoc nuncuparunt; *redivire* enim *resolvere* est, ut scribit Festus; quanquam Hermol. Barbar. *reluvium* etiam vocet à *reluendo*, hoc est, *resolvendo*: Arabes *Panaritium* vocant.

Parotides, vide *Eparmata*.

Paroxysmus, vide *Accessio*.

Partes inanes corporis sunt, quæcunque inter extremam thoracis costam, & femoris ossa continentur, 2. prognost. 1.

Partus, τόκος, actio est partim uteri ipsius, adaucti fœtûs gravitate, & excrementorum redundantiâ onerati & distenti, vi propriâ expultrice, fœtum ejicientis; partim ejusdem fœtûs grandiores effecti, & majori alimento, quàm quòd in utero recipere possit, indigentis, atque ex uteri angustiâ, adaucto nativo calore ad suffocationis imminentis periculum aversandum festinantis, & (quum non sufficiat illi ampliùs spiritus maternus, quem illa per arterias subministrat) ad exitum repentè concitati.

Parulides, παρουλὶς, est inflammatio partis alicujus gin-

gingivarum. Ea autem omnium inflammationum modo, nisi discussa fuerit, suppuratur & vertitur in abscessum; proindeque Paulus libr. 6. παρυλίδα abscessum esse dixit. Ex eâ plerumque gingivæ putrescunt & decidunt, gignturque ἐπυλὶς, hoc est, carnis excrescentia, maximè ad intimos molares dentes. Vidi autem parulidem ab imperito Chirurgo malè curatam, in quâ caro non modò supercrevit, sed cum adverso etiam buccarum musculo prorsus coaluit.

Parvgron, id est, humidum, seu liquidum medicamentum, quod medetur particulæ parvâ adhuc phlegmone, conflictanti, huic protinùs impositum; ubi duritiem à dolore alienam pars affecta acquisierit; quemadmodum etiam, si phlegmonoso affectu, omninò sit libera, 7. de compos. medic. per gen. cap. 2. Πάχυχρον emplastrum, est ab Hera primum descriptum hunc in modum, sicut Galenus prodidit: ℞, Adipis suilli recentis & liquati, uncias 44; ceræ, uncias 24; cerussæ, uncias 6; argenti spumæ, uncias 6; liquida cum aridis promiscentur, ac manebit aliquamdiu liquidius, postea verò consistet per se, & compagem acquiret: Alii verò postea aliter pro suo quisque arbitrio composuêre. Emollit primo ordine, præsertim recens: inveteratum enim magis digerit; Inflammationem quidem coërcet & lenit, sed ulcera sordida reddit. vide apud Paulum & Aëtium.

Passio, πάθος, πάθημα, generaliter quidem dicitur omnis motus, qui ab altero in alterum fit, sive secundum naturam fiat, sive præter naturam, quâ parte ab altero recipitur; hinc visio, auditio, calefactio, frigefactio, humectatio, delectari, dolere, gaudere, tristari, *passiones* dicuntur, quorum essentia in fieri est, cùm motus sint, cujus nullæ sunt partes permanentes, sed dum fiunt, solùm sunt, solùmque in fieri & mutari essentiam suam habent: Cùm autem motus desiit, non *affectio*, aut *passio*, sed *affectum* esse, & *passum* dicitur,

Græcè Ἀλλοίωσις, ſpeciatim verò non ſolùm, dum fit alteratio, *paſſio* dicitur, ſed dum facta eſt, & quæ motu abſoluto ſuperſtes eſt, quam etiam πάθος appellant ut ex contuſione, nigror; ex febre, tabes; ex continuis vigiliis, inſipientia. Tertiò adhuc ſpecialius, non modò *paſſio*, quæ fit, nec quæ facta eſt, ſed quæ eſt præter naturam tantùm facta affectio, *Paſſio* vocitatur, ut ex vulnere cæcitas: quâ ſignificatione, *morbi* & *ſymptomata*, à Medicis *Paſſiones* dicuntur; vide *Affectus*, & *Symptoma*.

Paſtilli, Græcis πάστιλοι, ſeu *rotulæ* & *orbiculi*, ab efformationis figurâ, ſic dicuntur medicamenta plana in rotæ, aut circuli formam coacta, 5. de med. per gen. 11. & 1. de antid. cap. 9.

Paſtio, id eſt, *ulcus depaſcens*, 5. med. per gen. c. 3.

Patella, eſt os cartilaginoſum, rotundum, & gibbum, quâ femur tibiæ connectitur; aliterque *Mola* dicitur, lib. de oſſib. 23. quin & *Rotula*, *Myle*, *Epigonatis*, & *Epigonis*, id eſt, *Supergenualis*, appellatur, 3. de uſu part. cap. 15.

Pathema, id eſt, *Paſſio*, vide *Affectus*, *Paſſio*, & *Symptoma*.

Pathognomonica ſyndrome, id eſt, *concurſus*, ſymptomatum, affectuum p. n, index, 1. loc. aff. 1. *Pathognomonica* autem ſigna ſunt, quæ & *homogenea*, & *homoeidea* dicuntur, id eſt, ejuſdem ſpeciei, vel generis, quæ in unâ aliquâ fiunt affectione, quæ perpetuò & ſoli illi inſunt, tanquam ſoli propria, & inſeparabilia exiſtentia, veluti quæ per ſputa excernuntur, affectionis tùm pulmonum, tùm thoracis, tum aſperæ arteriæ, tùm gutturis, & tandem reſpirationi ſubſervientium inſtrumentorum, ſigna ſunt, quæ & in reſpiratione, vitium per ſe & primùm contraxerunt, non per conſenſum: atque hæc ſigna ſunt certiſſima, non autem ea, quæ perpetuò, ſed non ſoli inſunt, vel ſoli, ſed non perpetuò, com. 1. in 1. prorrhet. vide *Aſſidentia*.

Patho-

Pathologica, ſive *Ætiologica*, medicinæ pars eſt, quæ cauſas & ſymptomata, & morbos inquirit; vide *Ætiologica*. Eam in totum neglexerunt olim Methodici, ſed maximè olim fecêre dogmatici Hippocratis veſtigiis inſiſtentes.

Pauciferum vinum, vide *Oenodes*.

Pechys, vide *Cubitus*.

Pecſis, id eſt, *Congelatio*; πῆξις Græcè, idem quod ἵδρωσις, hoc eſt, *firmitas*, *ſtabilitas*, *fixio*, quum verò illa, quæ frigore concreſcunt & congelant, firma quoque fiant ac ſtabilia, ob id malum hoc, (ubi corporis partes præ frigore rigent, adeòque ſtabiles ſunt) πῆξις, id eſt, *Congelatio*, dicitur. Fit exiccatione, quod proprium ſit ſicci terminari, atque definiri. Inducitur autem ſiccitas vel ſicco corpore ſuperinducto, vel ſummotâ, quæ inerat humiditatis redundantiâ. Cujus ſummovendæ ratio etiam duplex eſt, ſcilicet per compreſſionem humiditatis à terreſtribus partibus ſiccioribus factam, ſed adhuc tamen in corpore latentis & contentæ, vel per reſolutionem. Cauſæ verò coagulationis ſeu concretionis ſunt tum calidum, tum frigidum. Calidum quidem tàm per ſe, quàm per accidens; frigidum verò nonniſi per accidens, ut Ariſtoteles lib. 4. meth. demonſtravit.

Pecten, eſt ſinus ipſe, quo muliebre pudendum clauditur, lib. Introd. cap. 10. Eſt adhuc *Pecten* ea plantæ pedis; quâ terram contingimus, pars, & quæ poſt concavum ad digitos aſſurgit: Dicitur & *Pecten*, ea pars manus, unde digiti procedunt, ibidem. *Pectorale os* medio pectore ſitum, coſtis utrinque alligatum eſt; conſtat autem ſeptem parvis oſſibus, per ſynarthroſim colligatis, quibus ſingulis, ſingulæ coſtæ connectuntur; quæ tota pectoralis oſſis figura à nonnullis, quia gladii ſimilitudinem repræſentat, *Xiphoeides*, id eſt, *enſiformis*, lib. de oſſib. cap. 13. imò & *Sternon* appellatur, 7. de anat. adm. cap. 2. vide *Sternon*.

Pectus, ea est corporis pars, quæ inter medias costa & utrumque latus jacet, lib. Introd. cap. 10.

Pedem summum, partem eam pedis vocat Hippocrates, quæ à plantâ & solo, usque ad digitos, & ungues porrigitur, 3. de artic. 106.

Pediculari morbus, vide *Phtiriasis*.

Pedion, id est, *Planities*, *Planta*, seu *Planum*, est pars pedis, quæ est ante digitos; quæ verò pars ante hanc sita est, *Tarsus* dicitur, 3. de usu part. 5. Arabicè, *Achmas*. *Illud*, Metacarpio manûs; *hoc*, Carpo proportione respondet, cap. 6 atqui & interiorem summæ manûs regionem, & quantum infra pedem est, πέλμα Græci *Plantam* Latinè dicunt, 3. de anatom. adm. cap. 1.

Pelignus, est color lividus, 14. method. 9.

Pelma, vide *Pedion*.

Peltalis cartilago, vide *Cricoeides cartilago*.

Pelvis, vide *Infundibulum*, & *Choana*.

Pemphygodes febris, vide *Febris pemphygodes*.

Penis, σῆμα, *virile membrum*, quod & αἰδοῖον, & καυλὸς dicitur, 2. de symptom. caus. cap. 2. Rufus definit σῆμα dici τὸ ἐκκρεμὲς τοῦ αἰδοίου, hoc est, partem pudendi pendulam & prominentem; eique subjectam, quæ non propendet, ὑπόσημα, & περίναιον appellari.

Pensilis verruca, (vide *Acrochordon*) dicitur, quòd in imo usque adeò sit angustâ, ut pendêre videatur; tota enim foràs prominet, adeò ut excisa nullam radiculam relinquat, angustiore basi prædita, & summa chordæ similis; à *Myrmeciâ* differt, quæ basim habet latiorem, & nigro colore præditam, atque ubi à Chirurgo tollitur, sanguinem fundit copiosiorem, unde & *Sessilis verruca* appellatur, vide *Myrmeciæ*.

Pepasmus, πεπασμὸς, morbi est, & eorum, quæ præter naturam sunt, veluti coctio quædam & maturatio & ad excretionem præparatio, in quâ quod assimilatum paucum est; quod autem semicoctum, & superfluum multum; quamquam alibi πεπασμὸς significatum latiùs exten-

extendit Galenus, dum omnem deductionem in mediocrem temperiem πεπασμὸν appellat; & alibi omnem morborum πέψιν, id est, coctionem, in succorum alteratione consistere scribit.

Pepsis, vide *Pepasmus*.

Peracutus morbus, vide *Acutus simpliciter*.

Per consensum morbus, vide *Idiopathia*.

Perditio, vide *Abortus*.

Perforatio, est sectio, quæ in spatiosam pulmonis sedis capacitatem, ipsumque usque in pulmonis cavum penetrat; reliqua verò omnis divisio ipsius, *vulneratio* quidem dicitur, *perforatio* non item, 7. de anat. adm. capit. 14. Nominatur quoque *perforatio*, insignis quidam ventriculus, & meatus, qui ab anterioribus duobus Cerebri ventriculis in ipsum Cerebellum prorumpit, per quem parencephalis Cerebro est communis & connexa. Cùm enim Cerebrum sit à Parencephalide, crassæ meningis duplicatione diremptum, ipsumque oporteret aliquâ parte illi conjungi, quò prædictum meatum produceret, in unum prius locum utrosque ventriculos terminavit, quem sanè *quartum* totius Cerebri *ventriculum* nonnulli nuncupant; alii rectiùs, non *ventriculum*, sed *perforationem* nominant, ex quâ cavitate animalis spiritus parencephalidi transmittitur, 8. de usu part. cap. 11.

Perfrictio, est nativi caloris frigiditas sine sensu doloris, longiori temporis spatio, & paulatim facta, libr. de tremor. convul. cap. 9. quæ nativam caliditatem, ab humorum multitudine gravari ostendit, 4. acut. 26. vide *Frigus*.

Periapta medicamenta, sunt capitis dolori conferentia, quæ Latinis *Amuleta* appellantur, quod de collo suspendantur, aut alicui corporis parti alligentur, libr. de remed. part. fac. cap. 1. Dicuntur & περιάμματα, cujus generis Galenus plurima recenset, quæ capiti coronæ modo imposita, dolorem ejus levent. Permulta

etiam

etiam quotidiè experimur, quæ brachiali admota febres reprimunt. vide *Amuleta*.

Pericardium, quod & *membrana*, & *tunica* dicitur: *membrana*, à substantiâ; *tunica*, ab usu, 7. de anatom. adm. cap. 2. vide *Membrana pericardios*. Eam verò & altera tunica involvit, prodiens à membranâ costas succingente, quâ thoracem dividit. Quibus thorax brevior est, attingit septum transversum: non attingit verò quibus septem ossa sortitum est. In eo serosus humor continetur, parcior quidem, quibus cor est calidius; copiosior, quibus frigidius, vaporibus multis in aquam resolutis. Nervos habet à sextâ cerebri conjugatione, seu à recurrente sinistro, venas & arterias à septo transverso, & membranis medium thoracem dividentibus.

Pericharia, περιχάρεια, hoc est, subitum & vehemens gaudium; contrarium *Ecplexiæ*, quæ est subitus timor. Ex amborum occasione scimus multos interiisse, 12. meth. cap. 5. vide *Ecplecsis*.

Pericholus, id est, *biliosus*, sive is homo sit, sive dejectio, sive urina, sive morbus, com. 2. in 1. prorrh. 18. Consueverunt autem excrementa, bilem substantiâ tenuem circiter habentia, atque ea circumvoluta, vocare *Periehra*, id est, *circiter colorata*, ibid.

Pericranios membrana, tunica est cranio superimposita, quæ ex duplicatione duræ meningis connatæ undique, & adhærescentis intrinsecùs cranio, per futuras extra cranium egressæ, ut cranium duræ meningi, & cerebro arctiùs vinciret, oborta, ipsi cranio extrinsecùs in orbem circumfunditur. 8. de usu part. cap. 9.

Perinæon, περίναιον, & περίνεον, *femen*, & *interfemineum* dicitur, vide *Interfemineum*.

Periodus, vide *Circuitus*.

Periostios membrana, tunica est ea, quæ singulis ossibus proximè adjacet; aggeneravit enim natura, ac circumjecit omnibus ossibus carnes, simulque ipsa pinguis-

guissimâ quoque parte extractâ, terrestria, atque arida, nec non pinguedine omni prorsus carentia reddidit; atque ex eo, quod extraxit, lentum ac tenax singulis, & in capitibus colligamina, quibus inter se connectuntur, & in longitudine circum undique tenues membranas produxit, quæ circum ossa, hoc est, ossium involucra, & periostia nuncupantur, quibus carnes aggeneravit, 1. de semin. cap. 10. Est insuper *perioftios* membrana, succingentem & costas circumdans, quæ costis intùs tenditur, ita ut inter costas & succingentem, media collocetur, 8. de anat. adm. cap. 10. Est quoque *Perioftios* oculi tunica, septima in ordine, quæ totum oculum cum ossibus colligat, & simul quoque moventes ipsum musculos operit, 10. de usu part. capit. 2.

Peripneumonia, seu *Pulmonia*, pulmonis inflammatio est, quam semper continua & acuta febris comitatur; *Pulmo* autem, cùm viscus sit laxum & molle, fistulisque inanibus undique infinitis cavum, cordi vicinum, à pituitosiore proin atque crassiore sanguine inflammatur, cùm subtilis, biliosusque fluat ferè, nec cum viscere ullâ ratione cohærescere possit, 4. de caus. puls. cap. 12. & 2. progn. 64. quam sequitur spirandi difficultas, tantaque angustia, ut suffocari laborantes videantur, ac recti sedere cogantur, calidam sentiunt exspirationem, multumque aërem frigidum attrahere concupiscunt, atque inter tussiendum sputum varium colore ejiciunt, insuper gravitatis cujusdam, thoraci incumbentis sensum sæpè percipiunt, ac dolorem, ex imo ad ipsum pervenire, & ad os pectorale, & ad spinam usque extendi conqueruntur, 2. loc. aff. cap. 9.

Periptosis, vide *Paremptosis*.

Peritonæum, membrana est, à Græci vocabuli etymologiâ sic dicta, quòd alimenti vasis περιτείνεται, hoc est, *prætendatur*; quæ & *peritonæos membrana peritonæos tunica*, & *tegumentum* appellatur; tenuis substantiæ est,

ex

ex ſimplicium & primorum corporum numero, præ-
tenditurque tùm viſceribus, tùm inteſtinis, tùm vaſis:
quæ inter ſeptum transverſum & crura habentur, tùm
etiam iis, quæ interjacent, quale eſt vulva, & veſica.
tenue admodum corpus, latis araneorum telis ſimilli-
mum, 6. de anat. admod. cap. 4. abdomini ſuperſtra-
tum, 4. meth. 6. Arabibus *Siphac* dicitur.

Peritonæi vertex, membrana eſt, telis araneorum ſi-
milis, inferioribus ſepti partibus circumjecta, conti-
nua, totam inferiorem ſepti transverſi regionem ſub-
veſtiens, eidemque circumhærens, 6. de anat. admod.
cap. 8,

Perittoma, eſt id, quòd poſt completam coctionem
nec confectum, nec aſſimilatum relinquitur, adcòque
corpori nec adnaſcitur, nec accreſcit, ſed per ipſius
laxiora ſpatia, tanquam ſupervacaneum errat: Unde
nomen quoque rectè à majoribus ei *Perittoma* eſt indi-
tum, 1. de ſanit. tuend. cap. 3. quod eſt idem ac *ex-
crementum*, ſive id ſpiritus, ſive corpus aliud ſolidum
ſit, περίττωμα Græcè. Solida quædam corpora inter
excrementa reputantur, ut calculi arenulæ lumbrici
& ſi quæ præterea ejus generis in corpore continen-
tur.

Perniones, quæ & *Chimethla* dicuntur, ſunt intertri-
menta, & ſciſſuræ manuum, & pedum, hyberno tem-
pore à ſummis algoribus factæ, libr. de med. fac. part.
cap, 203. Oritur verò χίμεθλον in talo frequentiſſimè.
Sic dicitur ἀπὸ τοῦ χειμῶνος, quod hyeme maximè pro-
veniat; unde & χείμεθλον quidam ſcribunt.

Perona, Sura, Fibula, quibuſdam eſt alterum os tibiæ
exterius & tenuius; alterum enim quod craſſiſſimum
eſt, & interiori in parte ſitum, κνήμη Græcis, & eo-
dem cum totâ parte, nomine, Latinis *Tibia* appella-
tur. Galenus autem ex Hippocrate in τῶν γλώσσαι
dicit, *Peronam* diverſa ſignificare, aliquando quidem
os totum membri, aliquando ipſius oſſis epiphyſin, in-
terdum

terdum ejus protuberantiam, sive malleolum. Est autem ἡ περόνη suprâ brevior paulò, ut quæ genu ipsum non contingat, infrà verò longior multò quàm tibia: habet autem & suprà & infrà epiphysim, quarum superiore jungitur cum osse tibiæ membranoso ligamento; inferiore verò prominente & gibbâ malleolum externum constituit, sicut tibia epiphysi simili internum.

Perosis, hoc est, *oblæsio*, est privatio & impedimentum naturalis functionis, aut alicujus particulæ mutilatio, libr. finit.

Persistentes morbi sunt, qui eisdem horis accedunt ac remittunt, lib. de Typis, cap. 3.

Perspiratio, & *Perspiratus*, vide *Inspiratio*.

Per viciniam affici, vide *Idiopathia*.

Pes, πούς, pars infima cruris est, quæ multiplici osse constat, malleolis, talo, & digitis. Pes etiam mensura est, quâ rerum intervalla dimetimur. Constat unciis duodecim, sive sedecim digitis, sive palmis quatuor.

Pessarium, *pessus*, πεσσός, est lana concerpta, aut pannus, aut bombax, aut linamentum, ad digiti figuram, rotundum factum, quod immersum in medicamentum aliquod, involutum serico, filoque appensum, in uterum inditur. Fiunt etiam ex gummi, & resinis, & cerâ, aliisque liquoribus ad talem formam redactis. Ut autem ex Antyllo refert Oribasius, tres sunt Pessorum differentiæ: alii namque molliunt, alii adstringunt, alii aperiunt. Mollientibus ad uteri inflammationes, exulcerationes, perfrictiones, strangulatus, aversiones, & inflationes utimur. Fiunt autem ex cerâ tyrrhenicâ, cyprino, susino, pinguedine anseris, & gallinæ, butyro insulso, resinâ deustâ, medullâ cervinâ, fœnogræco & similibus. Aperientes utiles sunt, cùm purgationem suppressam provocare volumus, aut conniventem compressamque vulvam emendare: hique ex melle, artemisiâ, dictamno, brassicâ, dulcis radicis succo,

succo, rutâ, & scammoneâ. Adstringentium usus con
trarius est aperientibus : nam fluorem muliebrem co
hibent, & uterum suspensum contrahunt, & prolapsum
reprimunt.

Pestilentia, *febris pestilens*, *morbus pestilens*, Λοιμὸς
idem significat, estque morbus non quidem patrius
sed Epidemius, contagiosus, pernicioſissimus, commu
nis, è communi causâ natus, adventitius, præsentissim
periculi, ut qui malignâ & venenatâ putredine, hu
mores, vitales spiritus, & substantiam cordis labefa
ctet. Pestem itaque excitat aër totâ suâ substantiâ pu
tris & corruptus : sive quod is incluſus non diffletur
sive à non humatis cadaveribus, & qui exhalant vapo
ribus, & halitibus putridis non discussis. An verò cor
porum cœlestium aspectus infausti, & influxus pesti
lentem reddant aërem, dubitare malim, quàm crede
re ; præsertim cùm Medico sensus magis sequenti, aë
ris mutationes pro omni sint Astrologiâ, ut ex Hippo
crate conjicere licet, 3. aphoris. & initio prognost. &
lib. de aquâ, aëre, & locis.

Petaloides urina, est, quæ habet hypostasim similem
squamis piscium, libr. de Urinis, capit. 27. Πεταλώδες
ὑγρὸν, *foliosa urina*, dicitur ea, in quâ foliis similia, sive
squamis aut laminis subsident : dicuntur autem πέτα
λα, inquit Actuarius, quæ & longitudinem & latitu
dinem habent, non etiam evidentem profunditatem.
Eodem etiam, ait ille, donata sunt nomine instrument
quædam ad oculos comparata. Quin etiam lapis qui
dam πεταλίτης dicitur, quasi ἐκ πέταλα, hoc est, in lami
nas solutus. Ex quibus omnibus τὴν πεταλώδη ὑπόστασιν
sive quæ subsident in urinis, foliis similia considerar
oportet. Fit autem ejusmodi, vesica resoluta & erosa
ut testatur Galenus, com. aphor. 76. lib. 4.

Petia oculi, est sanguis fluens de aliquâ arteriâ, ve
venâ oblæsâ & sauciatâ, lib. de ocul. part. 4. cap. 7.

Phacos, faciei macula, est nigra, lentis similitudi
nem

nem obtinens. Latini *lentiginem* & *lenticulam* vocant; φακὸς, *lens cruda*. Proverbialiter, φακὸν κόπλειν dicitur, qui operam ludit; φακὸς ὁ ἐπὶ τῶ πελμάτων, *lens palustris* apud Dioscoridem. Est etiam vas lenticularis formæ, dictum lenticula. Dicitur & de vase in quo mortuorum cineres conduntur: Item nigra quædam oculi macula, Hesych.

Phagedænas Antiqui nominant ulcera maligna, quæ semper majora & deteriora fiunt, vel cicatrice nullo modo adveniente, vel si facta sit, resolutâ; vel propter influxum vitiosorum humorum, vel propter dispositionem partis latentem longo tempore contractam, ex influentibus humoribus, vel ob aliquam dispositionem ossis eo loco corrupti: sed nobis sufficiat, ex iis ulceribus pravis, alia nominare *Herpetes*, quæ summam cutem tantùm infestant; alia, *Phagedænas*, id est, *exedentes*, quæ carnem subjectam corrumpunt; nam quod *putridum*, atque *depascens*, à nonnullis *ulcus* vocatur, non est *propria ulceris differentia*. sed *passio implicita*, *ex ulcere atque putredine*, 6. aphor. 45. & libr. de aquâ, aëre, & loc. capit. 2. Aliis, *Phagedænæ* sunt illa ulcera, quæ partes vicinas continuò depascunt, non tamen eas putrefaciunt, febresque inferunt; quòd si depastionem cum putrilagine sustinent partes, alii *Nomæ* dicuntur, id est, *depastiones*, 6, de comp. med. per gen. cap. 1. φαγεδαίνας Græcè.

Phalacrosis, φαλάκρωσις, *calvitium*, seu *calvities*, pilorum capitis defluvium est, propter humoris alimentarii penuriam, non autem humorum vitio; nam tunc diceretur *Alopecia*, *Area*, vel *Ophiasis*. vide *Madarosis*. Deficit autem pilis alimentum propter siccitatem cerebri, quæ vel à senio est, vel maturiùs etiam accidit propter calidum & siccum hominis temperamentum. Fiunt autem calvi homines à sincipite magis, cùm senescunt, quoniam illud omnium capitis partium est siccissimum; hæret enim cutis illic ossi nudo. Cæte-

rum, quamvis propriè φωλάκρωσις de capite intelligatur, sunt tamen, qui ad mentum etiam pertinere dicant. At si rem diligentiùs consideremus, de mento impropriè φαλάκρωσις dici videbitur, ex quo nonnisi vitio humoris defluere pili solent, cùm illa propter solam, ut Galenus ait, alimenti penuriam eveniat.

Phalangosis, affectus est, quo pilorum subnascentium, duplex, triplexve acies, in superiore, vel in inferiore palpebrâ, provenit, lib. Introd. cap. 15. Ex quo videtur Author Introductorii *Phalangosin* confundere cum *Distichiasi*, quod falsum videtur, quoniam in hâc novi pili, & non naturales succrescunt; in illâ verò soli naturales pili sunt, qui inversi negotium oculo facessunt, in quâ cilium intrò spectat, pilorum acie simul cum eo inversâ, sic enim oculum compungunt: quibus duobus affectibus, commune genus est *Trichiasis*, id est, *noxa oculi*, inversis à pilis, proveniens; qui pili, si recenter exoriuntur, *Distichiasim* efficiunt; si nativi, & naturales, *Phalangosim*; Paulus.

Phalanx, articulus est, is maximè, quo magnus digitus, ossi Carpi propinquo, dearticulatur, 2. de usu part. cap. 9. Græcè, σκυτάλιδες φάλαγγες. vide *Digiti*. Sunt etiam qui *Phalangis* nomine, Metacarpii ossa comprehendant, ordine etiam eodem velut in acie constituta, quo ossa digitorum; φάλαγξ autem *agmen militum* significat.

Pharmaceutica, medicinæ pars est, quæ medicamentis per os assumptis, affectibus p. n. medetur, 3. de compos. medic. per gen. capit. 2. altera, *Therapeutica* medicinæ pars est.

Pharmacia, purgatio, κάθαρσις, ἀναχάθαρσις, duplicem habet apud Hippocratem & Medicos, significationem: Primo enim significat, humorum, qui suâ qualitate molestant, evacuationem, sive naturâ, sive arte factam, per quamcunque regionem; E.gr. vomitum, sudorem, urinam, nares, tussim, alvum, uterum; secundò

eundò, ſolam vitioſi humoris evacuationem per alvum tantùm, ope medicamenti factam notat; prior ſignificatio habetur, com. 4. in 6. de morb. vulg. poſterior, in eo aphoriſmo, *qui bene corpore habent, difficulter ferunt purgationes, & corpora ſana cùm purgantur, exolvuntur.* Φαρμακόειν uſurpatur ſæpe ab Hippocr. ἀντὶ τοῦ καθαίρειν, quod eſt medicamento purgare.

Pharyngethron, apud Galenum, nunc pro *Pharynge* ſumitur, nunc pro *oſſe hyoeide*, ceu portione maximâ *Pharyngis*. vide *Hyoeides*.

Pharynx, duo ſignificat, nimirum primùm fauces (id eſt, regionem intra os, ubi tùm gulæ, tùm aſperæ arteriæ extrema concurrunt, ſive medium illud ſpatium inter laryngem & gulam, & ipſam aſperam arteriam, cujus ſummum *laryngem* vocant,) verumtamen loci vicinia effecit, ut *Pharyngis* nomine, nunc pro medio inter Laryngem & gulam ſpatio; nunc pro aſperâ arteriâ, nunc pro ipſius aſperæ arteriæ ſummo capite, id eſt, Larynge, indifferenter ſumatur; ut ex pluribus Galeni, & Hippocratis locis elicere eſt.

Phatnia, ſunt oſſa, dentes continentia, libr. de oſſibus; vel, ut alii, ſunt alveoli, præſepiola, & cavitates, quibus per γόμφωσιν dentes inſeruntur, quas Græci, βόθρια vocant; unde videntur hæ duæ voces φάτνια & βόθρια, idem ſignificare. Apud Rufum etiam φατνίας legimus: Apud Poll. & φατνίας & φάτνας.

Phaulon, ſimplicem & vulgarem victus rationem vocat Hippocrates; eam verò, quæ huic contraria eſt, *exquiſitam*: inter utramque autem mediam, *hypophaulon*, id eſt, *ſubvulgarem*, nuncupavit, 1. de fract. 45.

Phimos, & *Phimoſis*, vitium quoddam in maſculis eſt, ut docet Celſus, libr. 7. capit. 25. in quo Colis glans: ita præputio contecta eſt, ut nudari non poſſit; huic contrarium malum, in quo propter cutem decurtatam, aut retrò abactam, glans tegi non poteſt, *Peri-phimoſis*, vel *Paraphimoſis* appellatur.

Phimosis est, cùm cutis palpebrarum extrinsecùs inflammatur eò usque, ut vicinæ regionis partes quoque occupentur, & palpebræ invertantur ; cùm verò modica quidem in cute inflammatio est, at membrana, quæ intùs ad Irim usque extenditur, valdè abbreviata, tunc fit, ut intrò palpebra convertatur : quod vitium, cùm utrisque palpebris accidit, *Phimosis*, hoc est, *Capistratio*, nuncupatur, cùm diducere eas æger, atque aperire oculum nequit. Idem morbus interdum in labiis oritur, & præputio, & ano, cujus causa ubique eadem est, 3. de iis, quæ in med. 32. Fit etiam cicatrice, quæ in meatibus concreverit φίμωσις, aut carnis incremento, quæ unâ in parte redundans, cum opposita coaluerit. Nascitur in omnibus meatibus & locis quæ naturâ diduci possunt. vide *Paraphimosis*.

Phleborrhagia, φλεβορρηγία, ἡ ῥῆξις τῶν φλεβῶν, id est, venarum ruptio, 4. acut. 86.

Phlebotomia, id est, venæ sectio, aut sanguinis per venæ sectionem, emissio, 11. meth. 1. Remedium est in medicinâ, si quod aliud, nobile, valens non tantùm ad demendam plenitudinem, nimiumque sanguinis etiam optimi copiam, sed etiam ad vitia ejus tollenda. Nihil enim æquè plenitudinem demit, sive ea simpliciter, & ad vasa dicatur, sive ad vires tantùm ; nihilque perinde vitia sanguinis emendat, ac venæ sectio. De vitiosâ autem sanguinis dispositione aliquis fortè instare possit eam non necessariam videri. Attamen Galenus, secutus authoritatem veterum Medicorum, eam adhibet cùm & pituita, & flava bilis, atque etiam atra in sanguine exuperant, si modò ætas & vires cum magnitudine morbi consentiant. His ad hunc modum habentibus, non dubitabis incipiente anasarcâ, sive leucophlegmatiâ sanguinem detrahere, neque ubi sanguis fervidior est, & febrem committit, vel tertianam, vel continuam, neque in elephante, febre quartanâ, & in omnibus lienosis affectibus. Similiter in phlegmone

cede

œdemate, erysipelate, & scirrho, vel simplicibus, vel complicatis, atque inter se conjunctis. Quod tamen ita accipi debet, non ut intelligamus humorem, qui manabit incisâ venâ, esse vel omnino album, vel valdè flavum, vel exquisitè nigrum. Neque enim is sanguis esse potest, cùm phlebotomiam sanguinis detractionem esse dixerimus: hoc est, ejus humoris, qui modicè calidus sit atque rubicundus. Quare cùm præcipuæ mittendi sanguinis indicationes sint virium robur & magnitudo morbi (etenim sub virium robore, ætas comprehenditur) quantò hæ majores valentioresque fuerint, tantò majorem vacuationem faciendam esse indicant: sicut è contrario evacuationis quantitatem minuere oportet, in quantum hæ fuerint minores. Secari autem vena debet, eaque varia, sive vacuare, sive revellere, sive derivare volumus. Hisce enim tribus de causis omnis vena secanda suscipitur, quorum consilia habentur varia pro diversitate locorum, à quibus sanguis fluxurus est.

Phlegma, Latinis *Pituita*, humor est frigidus & humidus, albi coloris, insipidus, qui tùm in senibus, tùm iis, qui ratione quâvis sunt perfrigerati, plurimus acervatur, autumno abundans; quem Prodicus *Blenam*, & *Mucum* vocat, 2. de natur. fac. cap. 9. vide *Pituita*, *Gravedo*, & *Coryza*.

Phlegmasiæ φλεγμασίαι, significant, sive illas, quæ propriè phlegmonæ, id est, inflammationes, nominantur; sive etiam libeat febres unà complecti, secundum antiquam vocabuli acceptionem, 1. aphor. 7.

Phlegmone, est tumor p. n. in quo sanguis calidus copiosior in aliquam animalis partem procumbens, majora ejus vasa distendit, ab his ad minora procedit, à quibus exudat foràs, in ea ampla spatia, quæ inter vasa sunt, ut etiam omnia, quæ in carne habentur, loca inania occupet, 10. meth. 6. Solet Hippocrates *Phlegmonas* appellare omnes inflammationes, etsi tumore

præter naturam careant; sed ipso posteriores, nomen phlegmones tumoribus præter naturam attribuunt quà cum inflammatione, & resistentiâ, & pulsatorio dolore consistunt, com. 4. in 6. de morb. vulg. 1. Consueverunt Antiqui, in omni caliditate, nomine Phlogosis, id est, Inflamminis, & Phlegmones, hoc est, Inflammationis, uti, 2. Glauc. 1. & 4. acut. 21. & 13. method. cap. 1. φλεγμονὴ, καὶ φλόγωσις Græcè. Non omnes phlegmonæ pares existunt. Earum enim aliæ non modò majores minoresve sunt, sed aliquæ magis minusve exquisitæ. Sed exquisita quidem sinceraque est, quæ fit ex optimo sanguine & mediocris consistentiæ: non exquisita verò, quæ fit à sanguine, cui aliquis alius humor admistus sit. Illa φλεγμονὴ simpliciter dicitur; hæc non absolutè, sed vel φλεγμονὴ ἐρυσιπελατώδης, vel οἰδηματώδης, vel σκιῤῥώδης. Cæterùm, omnis phlegmone contrahitur à fluxione, quam vel manifesta causa, vel occulta etiam excitarit. Manifesta quidem, ut cum offenso pede glandulæ inflammantur: Occulta verò, quando aliquâ parte delegante, aut toto corpore transmittente, & affectâ parte ob debilitatem recipiente, aut propter dolorem vel calorem attrahente, sanguinis copia affluxerit. Verùm omnis phlegmone quæ sanescit, aut digeritur, aut concoquitur: si digeritur, ex toto curatur; si verò concoquitur, in absessum transit, qui ἀπόστημα dicitur,

Phlegmone erysipelatosa, est tumor præter naturam, à sanguine & bilioso humore subortus, sed sanguine in prædominio peccante, bile in subdominio; è contrà, *Erysipelas phlegmonosum*, in quo prædominatur bilis, sanguine in subdominio peccante, ita ut ab eo, quod in misturâ exuperat, nomen ipsi tumori indatur, ac *phlegmone erysipelatosa*, vel *erysipelas phlegmonosum* vocetur: Ubi autem neutrum vincit, ibi vitium, phlegmones, erysipelatosque medium nominetur, 14. meth. cap. 2. vide *Inflammatio*.

Phleg-

Phlegmone oculi, tumor est circa oculos, qui cum rubore & caliditate multâ, & motu difficili, & punctionibus gignitur; lib. finit. vide *Inflammatio.*

Phlogosis, id est, inflamminis nomen, sæpè Hippocrates affert pro phlegmones, hoc est, inflammationis vocabulo singulari, 3. prognost. 71. vide *Inflammatio* & *Phlegmone.*

Phlyctænam vocant propriissimè, ubi per exulcerationem, vel etiam sine hâc, exterior Ceratoeidis tunicæ membrana tenuissima, & sublimis elata, intra se humorem collegerit, aut sub tunicæ spatio, crassior humor currens, intumescentiam parit. Introd. capit. 16. Inde ad pustulas per corpus erumpentes, ob serosos humores ad cutem translatos, nomen transfertur, 2. prognost. 70.

Phlyctides, φλυκτίδες, sunt pustulæ, quæ in ardentissimâ febre in vigore & statu per caloris intensionem, in ore generantur, libr. finit. vide *Febris pemphigodes.*

Phocatos, instrumenti genus est, quo in fracturis calvariæ utimur, à lenticulæ specie ita dictum, 6. meth 6.

Phœnigmus, φοινιγμὸς, *rubrificatio*, est ruboris per medicamenta, in aliquâ corporis parte, excitatio; quædam enim medicamenta, eam vim habent, ut cuti admota, ruborem concitent, caloremque accendant, atque etiam si diutius immorentur, vesiculas excitent, tandemque exulcerent, ab Arabibus proinde *Vesicantia*, & *Vesicatoria* appellantur; ex quo patet ea vehementer calida, sicca, & acria esse oportere. Ejusmodi sunt sinapi, thapsia, fimus caprarum, nasturtii semen, helenii radix, scilla, fimus columbinus, staphis agria, cantharides, & reliqua id genus. Est autem præsidii genus à Veteribus usurpatum, maximè ad eas partium imbecillitates, quæ vel ex frigore, vel plurimo humore citra manifestum calorem accidunt. Quippe ejusmodi medicamenta omnia calefaciunt, desiccant, & cucurbitulæ ritu humorem altiùs insidentem attrahunt.

Phoxòs, est depravata capitis figura, cùm caput acuminato est vertice, & non ad oblongæ sphæræ similitudinem, qualem secundum naturam humanum caput habet, formatum est, libr. de ossib. cap. 1. *φοξοὶ* proprièdicuntur, quibus capitis acumen admodum est fastigiatum, & vehementer turbinatum, atque adeò indecorum, qualem fuisse Thersitem scribit Homerus. *φοξὸς* autem quasi *φλοξὸς* dici videtur ex flammæ similitudine, quæ in pyramidem fastigiatur.

Phrenas, vide *Diaphragma*.

Phrenicæ venæ, sunt duæ propagines venarum, è trunco venæ cavæ superioris orientes, insertæ in Diaphragma, ipsumque totum nutrientes.

Phrenitim, eam affectionem appellitant, in quâ *Phrenas*, id est, *mentem læsam*, esse vident, 1, prorrh. 1. Est verò *Phrenitis* mentis alienatio, cum febre acutâ, quando cerebrum propriâ, primariâque affectione laborat: si verò cerebrum per consensum afficiatur, dicitur *Delirium* & *Paraphrenitis*, 5. loc. affect. 4. Est autem affectio hæc, inflammatio in meningibus; & in ipsum etiam cerebrum aliquando pervadens, adeoque perpetuum cum acutâ febre *delirium* efficiens, 1. prorrh. 1. Quod si febrem adjunctam non habeat, tunc non *phrenitis*, sed vel *delirium*, vel *mania*, appellatur; si verò perpetuum non sit *delirium*, tunc haudquaquam *phrenitis* dici debet, sed vel *paraphrenitis*, vel *paraphrosyne*; ut quæ tum à ventriculo, tùm à diaphragmate, tùm in summo febris vigore, excitatur; ac declinante paroxysmo, sponte cessat mentis alienatio, com. 3. in 3. de morb. vulg. 45. unde omnia signa, quæ eam, vel efficiunt, vel significant, dicuntur *phrenitica*, comm. 1. in 1. prorrhet. 4.

Phtharticum, vide *Deleterium*.

Phthiriasis, est scabies, circa palpebrarum radices, quæ squamas furfuri similes dimittit, lib. finit. vocaturque *morbus pedicularis*, cujus generatio quibusdam con-

contingit in capite acervatim, ex multis videlicet humoribus viscidis, & calidis quidem, sed non ad talem tantamque caliditatem progressis, ad quantam perveniunt acres Ichores, id est, sanies, 1. loc. aff. 7. φθεισις, & toti corpori, & singulis partibus accidere potest. Gignuntur verò pediculi non in superficie cutis, ut furfures, sed in ejus profundo, ideoque medicamentis indigent valdè exsiccantibus, & quæ ex alto trahere possunt.

Phthisicus, Græcè φθινώδης, is dicitur, vel qui Phthisi correptus est, & contabuit; vel qui quâvis ex causâ macilentus evaserit; vel qui ad phthisim naturâ proclivis est, angusto scilicet adstrictoque existens thorace, collo oblongo, cui insuper à tergo, operta scoptula instar alarum prominent, (unde πτερυγώδης, hoc est, *alatus*, nominatur) tandem cui caput imbecillum est, organaque respiratoria facilè omnem ejus fluxionem recipiunt, com. 2. in 1. de morb. vulg. 13. Nam si hæc duo simul coëant, thoracis figura, & capitis imbecillitas, ejusmodi natura tabi valdè obnoxia est.

Phthisis, quæ *Tabes* Latinis dicitur, si communiter sumatur, est diminutio, & colliquatio corporis: *Tabes* verò propriè est à pulmonis ulceratione, thoracis item fauciumque oblæsione, quam proin tussicula & lentæ comitantur febres, & corporis consumptio. *Phthoë*, proprio vocabulo dicta, est consumptio ex ulcere, lib. finit φθίσις Græcè, & φθόη. Φθόην Athenienses nominant, ob pulmonis ulcera insanabilia, totius corporis cum parvâ febre factam extenuationem, eandemque Hippocrates vocavit *Phthisim*, 7. aphor. 16. atque ideo aliquando Galenus sanguinis sputum, vocat *Phthoen*, 5. meth. 15. eandem vocat *Tabem*, 1. aphor. 12.

Phthisis oculi, vide *Tabes oculi*.

Phthoë, vide *Phthisis*.

Phthoria, φθόρια, id est, medicamenta, quæ valent ad ejiciendos fœtus, vivos vel mortuos: alio nomine,

Ecbolia appellantur, ἀπὸ τ ἐκβάλλειν, hoc est, ab ej*iciendo.*

Pthoropœum, φθοροποιόν, vide *Deleterium.*

Phygethlon, inflammatio est adenum, quæ in ingu*nibus & alis sunt*, calore scilicet & celeritate genera*tionis*, ab aliis tuberculis distincta, libr. de tumoribu*s* cap. 15. *Phygethlon*, est erysipelas inflammationis par*ticeps*, 2. Glauc. 1. Figurâ suâ illi pano similis, qu*i* textores utuntur; atque ideo *panus* & *panùs* dicitur. Dolor distentioque vehemens est, & major quàm pr*o* magnitudine tumoris; interdum etiam febricula: id*que* tardè matureſcit, neque magnoperè in pus con*vertitur*. Ex celsi verbis, libr. 5. cap. 25. apparet, φύ*γεθλον* esse *Phlegmonem erysipelatodem*, vel *Erysipelas phleg*monodes. Quòd enim hic tumor multæ bilis sit parti*ceps*, ideò non altè assurgit, neque in profundum vall*dè* subit, sed erysipelatis modo latior est. Occupat ta*men* & subjectæ carnis aliquid, quod aliquâ ex part*e* phlegmone sit. Φῦμα autem verior phlegmone est, ma*gisque* exquisita, proindeque faciliùs in pus converti*tur*, præterea tantò minus doloris adfert, minusque calidum (nisi dum suppurat) sentitur, quantò bilis fla*va* sanguisve bilioſus sincero sanguine plus doloris mo*vet*, calidiorque est. Differt autem φύγεθλον à Bubo*ne*, authore Galeno, quòd Bubo phlegmone sit: φύγε*θλον* verò, ut dictum est, sit φλεγμονὴ ἐρυσιπελας, ἢ ἐρυσιπελατώδης φλεγμονὴ τ ἀδένων.

Phyma, est phlegmone glandulis (sicubi fluxio in eas procubuit) citra ulceris occasionem accidens, 13. me*thod.* cap. 5. quæ statim augetur, atque ad suppuratio*nem* venit, 2. ad Glauc. 1. vide *Tuberculum*, & *Furun*culus.

Physema, φύσημα, est resinæ species, quam & *pityi*nam, & *piceam* nominant, expers pinguitudinis, admo*dum* exsiccans, 7. de compos. med. loc. cap. 3.

Physiognomonica signa sunt, quæ hominum vultui & facie*i*

faciei impressa, rei naturam indicant, libr. quod animi morb. cap. 6.

Physiologia, sive *naturalis scientia*, 1. de elem. medicinæ pars prima est, quæ & *Physiologica* appellatur, nomine sumpto à materiâ, quæ cognitioni Medicorum subjecta est, ipsissimaque est corporis humani natura, lib. de part. art. med. cap. 6. φυσιολογικὴ quippe naturam hominis universam à conceptu ad extremum usque senium disquirit. Ad eam pertinet omnis de semine, deque menstruo sanguine, de partium conformatione, & principatu, de fœtus perfectione, similitudine cum parentibus, de anatomiâ singularum partium, earumque differentiis, & temperamentis, de ætatibus, de calore nativo, & spiritibus, de tribus facultatibus nostrum corpus dispensantibus, de humoribus, aquis, aëre, locis, consuetudine, & cæteris id genus disputatio. In quâ communibus quidem naturalis scientiæ principiis atque theorematis utitur, sed quatenus hominis cognitioni inservire, atque accommodari possunt. Eam quidem Medicinæ partem Empirici atque Methodici aspernati sunt, sed Dogmatici, quorum Princeps fuit Hippocrates, plurimi fecere.

Physis, apud Hippocratem, nunc *naturam*, nunc *temperamentum* significat. 2. acut. 31. Vocatur adhuc *Physis*, flatus, aut flatuosus sive halituosus spiritus, succis quibusdam pituitosis, in ventre, à deficiente calore in halitum solutis, qui, cùm per os excernitur, ructum creat; cùm per sedem, sonorum silentémve flatum; cùm verò neutrâ parte emittitur, symptoma creat, quod *Empneumatosis*, hoc est, *Inflatio*, vocatur, ventre scilicet impotente ad excrementosum, nebulosumque excernendum spiritum; qui retentus propter magnam spiritus vim, & intestinorum latitudinem, graviter sonat, & murmur, quod Græci *Borborygmon* vocant, causatur, 3. de sympt. caus. cap. 2. vide *Clydones*.

Pia & Dura mater, vide *Membrana dura*.

Pica,

Pica, vide *Picatio*, & *Cittoſa*.

Picatio, auxilium medicum eſt, quo partium corpo-
ris pilos exſcindimus, tùm maximè, cum quidam no-
vaculæ præſidium formident, præſertim in guttur-
iisque abraſis pharmacum aliquod applicamus, 1. c.
comp. med. loc. cap. 5. Aliqui verò *picationem*, & *pi-*
cam, ſignificare inquiunt, ſymptoma depravatæ, vitio-
ſæque appetentiæ, cùm ſtomachus vitioſos, & à natu-
râ alienos cibos concupiſcit præter morem: quo ma-
lo mulieres gravidæ infeſtinantur, ad ſecundum, vel te-
tium uſque menſem, quarto namque ferè eo liberan-
tur: quod malum & *Citta*, & *Cittoſa paſſio*, ab ave, qu-
Pica dicitur, denominatur. vide *Cittoſa*.

Picea, vide *Phyſema*.

Picra ſimpliciter, ſive *Hiera picra*, eſt idem ac medi-
camentum ex aloë, 4. loc. aff. 2. quod ſui amaritudin-
morbos & humores expellit; de Dynam. in procem.
Eadem & *Amara* ſimpliciter appellatur, de cur. ra-
per ſanguin. cap. 18. Sunt multæ τῶν ἱερῶν differentiæ
quæ tamen ad duas omnes referuntur, videlicet εἰς τὴν
δι' ἀλόης, vel εἰς τὴν διὰ κολοκυνθίδος. Sunt autem am-
barum effectus varii: illa maximè ventriculo, hæc ca-
piti, & etiam univerſo corpori purgando convenit
quanquam & ſingulæ aliis etiam uſibus privatim in-
ſerviant.

Picrocholus homo, id eſt, amarâ bile abundans, 2. a-
cut. 29. Πικρόχολοι dicuntur ab Hippocrate, qui amar-
humore, qualis eſt flava bilis, abundant, quaſi amara
bilis homines. Colligitur autem humor ille aliquand-
toto corpore, aliquando ſuperiore corporis parte, u-
Paulo Rhetori, ut Galenus narrat: quandoque ver-
inferiore, ut Eudemo Philoſopho. Itaque pro loco-
rum, in quibus ille regurgitat varietate, πικρόχολοι τὴν
ὅλην ἕξιν, ἢ τὰ κάτω, hoc eſt, Picrocholi toto habitu, au-
ſupernis partibus, aut inferioribus, ab Hippocrate ap-
pellantur.

Pin-

Pinguedo, est effusi alimenti, circa membranas maximè facta concretio, sensu carens, libr. finit. vide *Adeps*.

Pinnæ, seu *Pinnulæ*, sunt alæ narium, lib. finit. vide *Alæ narium*.

Pituita, est omnis frigidus & humidus naturâ humor, qui & *Phlegma* dicitur, 8. de placit. cap. 9. quatuorque principum humorum unus est, omnis qualitatis & saporis expers, nonnunquam verò & dulcis particeps fit qualitatis, libr. de atrâ bile, cap. 2. *Scindapson* Galenus jocandi gratiâ, nunc *pituitam*, 8. de placit. capit. 6. nunc *Cerebrum* nominat, 8. de placit. capit. 4.

Pityina, vide *Physema*.

Pityriasis, & *Pityra*, vide *Furfuratio*.

Pityroeides urina, quæ habet hypostasim similem furfuri, id est, furfuraceam hypostasim, libr. de Urinis, cap. 28. Πιτυρώδης ὑπόστασις, fit à vehementi calore febrili, supra modum colliquante, urente, & reficcante solidas partes.

Pladarotes, πλαδαρότης, sunt mollia veluti corpora vetusta, & maximè decolora, palpebrarum parte internâ, nondum aspredinem habentia, lib. Intr. c. 15.

Plados, omnis humiditas redundans, & excrementitia dicitur; sive tenuis ea sit, sive in modum puris crassa, 3. de fract. nam & πλαδαρὰ ἕλκη eâ ratione ab Hippocrate dicuntur, & πλαδῶντα simpliciter, quæ humida sunt. Quoniam verò quæcunque superfluo humore madent, infirma ut plurimum sunt, & laxa, factum est, ut πλαδῶδες etiam πλῶ ἀπνίαν significet, ut notat Galenus.

Plagulæ, quæ & *Splenia* dicuntur, à splenis formâ, firmamenta sunt quæ stabiliunt deligationem; luxato enim, fracto, vel comminuto ossi fasciæ imponuntur, quæ confirmatum ac repositum os continent, prohibentque ab affectâ parte inflammationem, præsentem

sentem humorem repellendo, & advenienti obsiste-
do, quæ *fasciæ*, & *subfasciationes*, & *subligamina* appe-
lantur; supra has, ne dimoveantur, ac divertant, pl
gulæ imponuntur, cerato aliquo imbutæ, quarum d
plex est usus; unus, ut subligamina contineant; a
ter, ut ea membra circùm expleant, quæ in acutu
desinunt; Plagulis tertiò aliæ fasciæ, quas *superlig-
mina* nominant. induntur, quibus ferulæ superponu
tur, quæ totam deligationem firment, ac stabilian
3. de iis quæ in medic. 11.

Planities, vide *Pedion*.

Planta, vide *Pedion*.

Planum, vide *Pedion*.

Platysma, hoc est, *latius linteum*, quod ulceribus ex
trinsecùs superadditur, 4. de comp. med. per gen 14
Platysma autem *myodes*, est dilatatio musculosa, sive la
tus ille musculus, qui cuti subnascens, buccam, sin
maxillâ, movet, libr. de nervor. diss. cap. 6. vide *La-
tus musculus*.

Plectrum, vide *Pharynx*, & *Isthmus*.

Plenitudo, vide *Multitudo*.

Plenus pulsus, qui arteriam pleniorem tactui exhibet
& humidam, 1. de diff. puls. cap. 6.

Plethora est, ubi æqualiter inter se omnes succi sun
adaucti; πληθώρην Græci vocant, nos, *plenitudinem*, &
succorum redundantiam dixerimus; ubi verò vel flav
bile, vel nigrâ, vel pituitâ, vel serosis humoribus refer-
tum jam corpus fuerit, eum habitum *Cacochymiam*
quasi succorum vitium dicas non autem *Plethoram* vo-
cant, 3. method. cap. 6. & 13. method. cap. 4. vide
Multitudo.

Pleuritis, quæ & *Pleurefis* dicitur, & *morbus lateralis*
est inflammatio illius membranæ, quæ costas intus sub-
cingit, 6. aphor. 33. Quæ membrana (mutato à costis
nomine, quæ *Pleuræ* dicuntur) etiam *Pleura* vulgò di-
citur. *Exquisita* verò *pleuritis* fit, ubi subcingens mem-
bran

brana costas, primario affectu laborat ; & dolor, vel ad jugulum, vel ad præcordia pervenit ; ad jugulum quidem, superioribus ejus partibus affectis ; ad præcordia verò, ubi inferiores afficiuntur : vehemens quoque febris hanc inflammationem perpetuò sequitur, quia sedes affecta, & parùm distat à corde, & cum ipsius involucro, ac septo transverso, cognationem habet, 5. de loc. aff. 3. libr. de constit. art. cap. 15. Arabibus, *Sosati*, *Birsen*, & *Pleuresis*, Græcis, πλευρῖτις appellatur. *Non exquisita* verò, *Pleuritus* est, in quâ dolor externus est, qui contactu loco movetur, & exacerbatur, vel quod sine febre, vel sine sputo, vel sine tussi, vel sine spirandi difficultate sit ; vel quod neque tensionem, neque duritiem ullam pulsus habet, quæ tamen singula exquisitam efficiunt pleuritidem. *Pleuritidem* verò, *incoctam* appellant, quæ vel celeriter hominem jugulat, vel non nisi longo tempore finitur, 5. loc. affect. cap. 2. Omnis in genere inflammationum est, totque propterea recipit differentias ; quot habet ipsa phlegmone, sumptas à materiæ, unde gignitur, varietate. Alia enim verè simpliciterque phlegmone est, quæ scilicet nascitur ex fluxione sanguinis calidi & copiosi: alia verò non simpliciter, sed vel œdematodes, vel erysipelatodes, vel scirrhodes, prout sanguini pituita aut bilis flava aut atra mista fuerit. Non tamen ut phlegmone, sic etiam pleuritis ab humoris specie, vera aut non vera dicitur, sed quod ipsum præ se fert nomen, ab ipsâ parte affectâ.

Plexus choroeides, vide *Choroeides plexus*.

Plexus retiformis, seu *reticularis*, est involucrum ex multis arteriis complicatis, sub durâ meninge collocatum, ad retardandum spiritum animalem, ne statim effluat ; ubi enim natura voluit diutius morari, materias, ibi transitum ipsis difficilem molita est ; quemadmodum in ventriculo quidem Pylorus, in intestinis, involucra, anfractus, & gyri, & ante testiculos arteriæ

& venæ

& venæ multipliciter involvuntur ; non ſecus in e pite ſub durâ meninge plexus arteriarum *retiformis*, *reticularis* & *Choroeides* dictus, 4. de uſu part. capit. 1 & 9. de uſu part. cap. 7. quem vulgò *rete mirabile* a pellant : vide *Glanduloſi aſſiſtentes*.

Plexus variciformis, vide *Flexus variciformis*.

Plichada, id eſt, *greſſuram*, totum id, quod inter i guina utriusque cruris eſt, ſolet Hippocrates appell re, 4. de artic. 45. Πληχάς, Galenus etiam inquit, apu Hippocratem dicitur, quod inter utrumque crus ſp tium eſt. Nam & διαπλῆξ, & ἀφαπλῆξ *divaric ri* ſignificat, dicunturque ea verba de cruribus gre ſum facientibus, atque inter ſe diſtantibus : ipſaqu crurum diductio digreſſioque πλῆξις, ſicut & ipſe gre ſus πλῆξις à Græcis nuncupatur. Sunt autem ut ſcrit Galenus, qui πλῆγάδα per γ ſcribant ; quidam etia πλιχάδα.

Pneumatias, & *Pneumatodes*, vocat Hippocrates a heloſos, qui denſum ſpiritum ſive crebram & denſa reſpirationem habent, 3. de diffic. reſpir. cap. 12. *Pneumatodes* vocat inſuper Hippocrates eos, qui ventre inflatum habent. ibid. Vocantur Græce πνευματίαι πνευματώδεις, πνευματώδες, & πνευματωθέντες, tum a heloſi, tum inflati. Utrumque enim licet, inquit G lenus, libr. 3. de dyſp. tum ipſum difficultate ſpiran laborare, ob hypochondriorum affectus, tum ei etia ventrem flatibus diſtendi.

Pneumaticus, id eſt, *ſpiritalis*, qui omnia ſpiritib attribuit, libr. Introd. capit 9. vel, qui de ſpiritib agit, 3. de differ. pulſ. capit. 6. Πνευματικοὶ dicti ſu Medici quidam, qui à flatu ſeu ſpiritu in corpora ſu eunte, omnia vel ſecundum naturam ſe habere, vel morbos incidere cenſebant. Forte Hippocrates, a quiſquis author fuit de flatibus libelli, huic ſectæ o caſionem præbuit, cui ſe inter Medicos Athenæus Archigenes in primis addixerunt.

Πν

Πνευματοκήλη, *ramex ventosus.* Is genere, ut Paulus ait, ἀνεύρυσμα est, ut qui dilatatione fiat à flatulento spiritu. Verùm duobus modis accidit, vel ex quatuor vasis testiculum alentibus, qui durior est, nec compassu digitorum evanescit, sed recipere curationem potest: vel ab arteriis darton membranam intercurrentibus, qui appresso digito intrò recurrit & evanescit: curationem verò non recipit, propter periculum, quod ab incessabili sanguinis profluvio impendet.

Pneumonphalon, Umbilici est dilatatio, à flatuoso spiritu, libr. finit. Πνευματόμφαλος, cui umbilicus à flatu protuberat: species est τῆς ἐξομφάλου.

Pnigalion morbus, Incubus Latinis dictus, alio nomine *Ephialtes*,; vide *Ephialtes.* Πνιγαλίων dicitur ἀπὸ τοῦ πνίγειν, quod eo laborantes prope suffocari videantur. Reperitur & πνιγάρων pro eodem.

Podagra, est Arthritis pedum; ut enim Arthritis, universi corporis & articulorum omnium, morbus est, ita si solùm pedum sit passio, ab affectà parte, *Podagra*; si manuum, *Chiragra* nuncupatur, vide *Arthritis.*

Pollex, est brevior & major digitus manûs, quem *Anticheira* & *Promanum* vocant, lib. de ossib. cap. 22. vide *Digiti.*

Polychresta medicamenta sunt, quæ multis affectibus conveniunt, quæ contrariis medicamentis constant, etiam juxta secundas qualitates ac vires, non tantùm primas, 5. de comp. med. per gen. cap. 1. Aliter enim uni tantùm simplicique affectioni, non etiam multis, atque inter se etiam sæpe contrariis prodessent. Coëgit autem Medicos necessitas contraria aliquando medicamenta miscere, non modò ut unum alterius vires frangeret, atque minueret, sed quod conducibilius esse judicarent, habere unum aliquod medicamentum per multis affectionibus conveniens, quam tam multa singulis affectibus destinata, etiamsi ea πολυχρήστους in medicinâ longè præstent. Sic enim uno eodemque me-

dicamento repelluntur & digeruntur, detergentur & lævigantur, incrassantur & attenuantur humores, quod diversas in se facultates contineat. Ejus generis est Panacea, Isis, Icesium, aliaque plurima emplastra, de quibus agit Galenus. Et si in simplicibus quidem medicamentis, ut Aloë, Rheo barbarico, Mastiche, & aliis sexcentis ea vis inesse cernitur, ut contrarios simul effectus in hominum corporibus producant, nemo mirari debet in compositis contrariorum pariter ineſſe facultatem.

Polychronius morbus, qui longo tempore durat, & etiam *Chronius* dicitur, cui opponitur *Brachichronius* qui brevi tempore finitur, 3. dier. decr. cap. 13.

Polymorphum, vide *Sphenoïdes os*.

Polypus, πολύπους, tumor est præter naturam, in naribus genitus, polypodis carni assimilis, juxta substantiæ proprietatem, 3. de compos. med. loc. cap. 3. Proprietatem substantiæ intelligo, non colorem modò & consistentiam, sed reliqua etiam quæ sunt *Polypi* propria, quibus tumorem hunc similem esse, Veteres prodiderunt, nempe quod multas radices, ut & ille pedes habeat, quodque ut ille venantes ulciscitur, acetabulis suis manus eorum apprehendens, ita & vitium hoc laborantium nares obstruat, ut & difficulter spirent, & ægrè loqui possint. Hæc enim substantiæ *Polypi* proprietatem consequuntur, non minùs quàm color atque consistentia: Ac color quidem varius est, aliis albidus, aliis subflavus, aliis subruber: Substantia pariter aliis mollis, & quodammodo fluida, aliis durior, magisque contracta. Celsus libr. 6. cap. 8. graphicè *Polypum* depinxit his verbis: *Polypus in naribus, est caruncula modò alba, modò subrubra, quæ narium ossi inhæret & modò ad labra pendens, narem implet; modò retro per id foramen, quo spiritus à naribus ad fauces descendit, adcrescit, ut post uvam conspici possit, strangulatque hominem, maximè Austro vel Euro flante, feréque mollis est, rarò dura*

dura, eaque magis spiritum impedit, & nares dilatat, quæ ferè σαρκώδης est; itaque attingi non debet. His quidem verbis, Celsus omnes Polyporum differentias complexus est: Quarum quinque affert species Hippocr. libr. περὶ παθῶν.

Pompholyx, Bulla, est elevatio in humore facta à flatuoso spiritu, quo intra humorem concluso bulla excitari solet, præsertim si humor tenax, viscosusque est, & calor in illum agat debilis; tunc enim bulla permanet, nec facilè solvitur; quales sæpè in urinis visuntur, renalem & longum morbum significantes. Est & *Pompholyx* metallicum medicamentum, quod in coctură æris sursum fertur, & in cameris parietibusque fornacum bullarum modo tumens colligitur. Nihil enim aliud est quàm æris favilla. Effertur autem vel ex ære solo, vel ex cadmiâ solâ, vel ex ære & cadmiâ, quod eam aliquando friatam metallici inspergant æri. Primùm autem in bullas, ut aqua, tumet, atque ex eo nomen accepit: mox majore accedente incremento; lanarum assimilatur peniculis: atque ita quidem suâ sponte gignitur in fornacibus. Rara nunc est *Pompholyx*, & pene ignota, ut & pleraque alia recrementa metallorum. Sunt tamen qui in Officinis eam *Nil album* appellent, ut & *Spodium* (sic dictum à cineris similitudine, quod deorsum fertur) *Nil nigrum*, aut *Grysæum*. Inter ἄδηκτα φάρμακα numeratur πομφόλυξ: adstringit & siccat leniſſimè, præsertim lota, habetque tenuitatem partium citra calorem.

Ponos, nunc laborem propriè dictum, nunc dolorem, seu malam affectionem, quâ in acutis morbis, ægri malè tractantur, significat, 2. acut. 47. πόνος est motus omnis vehementior; idem omnino cum exercitatione generaliter dicta. Quoniam autem ex immodico labore plerumque lassitudo dolorque oritur, factum est, ut πόνος non modò *vehementem motum*, sed *dolorem* etiam significet, & quicquid hominem offen-

dit. Sed cùm in omni dolore duo esse oporteat, affectum à naturali constitutione alienum, & ejus affectionis sensum, Hippocrates utrumque πόνον appellavit. Nam cùm scribit dolorem fieri propter calidum, frigidum, plus vel minus, ipsum alterationis sensum sine dubio intelligit. Ut autem ὁ πόνος apud Græcos, sic apud Latinos labor accipitur, ut ex Cicerone videre licet, qui laborem definivit esse functionem quandam vel animi, vel corporis gravioris operis & muneris: & ex Virgilio, qui pariendi dolorem Lucinæ labores appellat.

Poples, sive *Ancyle*, est articulus ille, quo os magnum femoris articulatur ossi tibiæ; in quo pars exterior *genu* dicitur; interna verò, quâ crus flectitur, dicitur *Poples*, vel *Ancyle*, libr. Introd. cap. 10.

Porocele, est ramex callosus, sive tophus in testiculo, aut in membranâ *Erythroeide* concrescens, insignis, renitens, durus, & inæqualis. His notis ab *Hydrocele*, & *Sarocele*, distinguitur, lib. finit.

Poromphalon, est concretio Tophi in Umbilico, libr. finit.

Poropœia, est exiguorum meatuum apertio, 4. method. 4.

Porracea bilis, vide *Bilis pallida*.

Porrigo, id est, *Furfuratio*, vide *Furfuratio*.

Porta vena, vide *Cava vena*.

Portæ hepatis, πύλαι ἥπατος, sunt pars sima hepatis, in quâ radicata est ea vena magna, quam vocant venam portam, vel venam portæ, quâ est ingressus chyli in jecur, sicut ex gibbâ sanguinis est egressus.

Porta ventriculi, est inferius ventriculi orificium quod πυλωρὸς Græcis, Latinis *Ianitor* dicitur, 3. loc. aff. 7. vide *Pyloros*.

Portonarium, est primum intestinorum, quod *Duodenum* appellatur, libr. de anatom. viv. vide *Dodecadactylon*.

Porus

Porus, est in specie opticus nervus mollis, ex primâ conjugatione nervorum, à cerebro ad oculos pertinens, quippè qui solus manifestum habet foramen, unde & *visificus* & *meatus* absolutè dicitur, 4. loc. aff. 2. *Porus* deindè dicitur exiguus omnis corporeæ molis meatus, 1. san. tuend. cap. 12. per quem aliquid influit vel effluit, sive id spiritus sit, sive aër, sive humor, sive excrementum. Ad hæc *meatus*, tùm per quos cibus vel in ventriculum subit, vel ab eo exit; tùm quibus chylus in jecur effunditur, aut bilis in suam vesiculam ingreditur, vel ex eâ effunditur, πόροι appellantur: præterea & exigua illa foramina per totam dispersa cutim, quæ corporis universi perspirationem moliuntur. Sunt autem in universum duo pororum genera: alii sensibiles, alii insensibiles habentur. Illi magni & patentes sunt, quales in ventre, jecinore, liene, intestinis, venis, arteriis, & reliquis ejusmodi instrumentis visuntur: hi verò parvi & visum fugientes, non solam quidem partium superficiem occupantes, sed per totam etiam carnis ossium, cartilaginum, nervorum, ligamentorum, membranarum, & cutis substantiam disseminati. Neque enim externi modo sunt, & superficiales, sed etiam intimi. Siquidem iis plenum est totum corpus, & tota cutis; aliter putredo vitari nullo modo posset. Iis enim foraminibus totius corporis perspiratio fit, quæ constat & frigidi aëris intromissione, & fuliginosorum, quæ in singulis partibus colliguntur, excrementorum vacuatione. Ex quibus perspicuum est, meatus omnes in optimâ corporis constitutione patentes esse semper oportere. Quod ut plurimùm valet ad tuendam sanitatem, sic eorum obstructio maximorum morborum occasionem præbet. Atqui & *Porus* Tophum significat, tùm qui in arthriticis, tùm qui in calculosis generatur; cùm enim humor crudus lentorem assumpsit, & transitus per renes in quibusdam naturis sunt angusti, id, quod crassissimum est, & maximè len-

tum, diutius moratur, & tophum gignit, 1. de alim. facult. capit. 5. *Porus* denique & *Callum* significat, ad quem gignendum cogi, concrescereque aliquid proprii ossium alimenti oportet, id quod in fracturis ossium cumprimis accidit, 6. method. capit. 5. vide *Meatus*, & *Oncos*.

Post-apparentia, vide *Assidentia*.

Post-brachiale, vide *Brachiale*.

Posterius cerebrum, vide *Cerebellum*.

Posthia, sive *Crithe* dicitur, cùm parte internâ etiam juxta coronam palpebrarum, suppuratum tuberculum oblongum, figurâ hordeo simile fit, unde appellatum est. Fiunt & alia quoque majora in mediis palpebris eodem dicta nomine, lib. Introd. cap. 15, vide *Crithe*.

Præcedentes causæ, vide *Antegressa*. & *Febres putridæ*.

Præcognitio, προγνωσις, prænotio est futuri decursûs & eventus morbi, uti etiam futuri symptomatis ejus, quod necessariam habet generationem, non autem omnium, quæ circa ægrotos eveniunt, accidentium; modò nihil aut ab ægro, aut ab assidentibus fuerit commissum, quod morbi naturam dissolvat, & cogat naturam in aliud tempus differre morbi solutionem. Verbi gratiâ, prædicit Medicus septimo die, si omnia ut oportet, agantur, solutum iri morbum. Ubi verò quicquam admissum est, si parvus quidem error hic sit, relabi solutionem ex septimo in nonum posse: si major, in undecimum: si multò major, in quartumdecimum: si perquam magnus, periculum pro certâ salute secuturum: Hæc quidem ad morbum attinent. Nec verò de symptomatibus aliter sentiendum est, sed necessariis & magnâ ex parte morbum comitantibus. Tumultus enim ex vicinis per noctem & canes latrantes, & injucundi quidam nuncii, insomnes ægrotos reddunt; quorum nullum neque generationem habet necessariam, neque firmam divinationem. Quare eorum tantùm, uti dictum, est προγνωσις, quæ generationem

habent

habent neceſſariam, ut tuſſis & doloris lateris in pleuritide, capitis doloris in febre, tumoris & ruboris in phlegmone.

Præcordia, aliàs *Phrænas*, Vetères, *Diaphragma. & transverſum ſeptum* appellarunt; infra verò hæc præcordia, tùm venter, & inteſtina, tùm jecur ipſum ſita ſunt, 8. de placit. cap. 9.

Pregmatis oſſa duo ſunt, capiti deſuper incumbentia, parte poſteriori os occipitis, anteriori verò os frontis, utrimque ab oſſibus temporum, lineis fuerunt diſtincta, quæ & *Bregmatis oſſa* appellantur, 12. de uſu part. cap. 20. vide *Bregma*.

Præincipientes cauſæ, vide *Antegreſſa*.

Præputium, cutis eſt, quæ glandem pudendi veſtit, 5. method. 15. vide *Glans*.

Præſepiola, vide *Phathnia*.

Præter naturam, vide *Secundum naturam*.

Prætextus, manifeſtiſſimas cauſas, & veriſſimas, vocavit Hippocrates, cùm tamen in uſu ſit, ut falſæ cauſæ, *prætextus* appellentur, 2. de fract. 62. quin & *prætextus* aliquando non falſas cauſas, ſed veras dicit, 3. de fract. 46.

Priapiſmus, (qui & *Tentigo*) eſt auctio pudendi ſtabilis in longitudinem, ac orbem tumefacti, citra rei venereæ appetentiam, 9. de comp. medic. loc. cap. 9. à flatuoſo ſpiritu, 14. meth. 7. nullo præſente ſtimulo ad libidinem, aut deſiderio coïtûs; ut quibuſdam accidere conſuevit, qui ſupini decumbunt, ductâ denominatione à Priapo; nam hunc, ut cui ſuâpte naturâ hujuſmodi Coles eſſet, ita finxerunt, atque picturâ deſcripſerunt homines, 6. loc. affect, 6. Addit Aëtius, dolores inde moveri, quales eſſe in tetano ſolent, quod inflatum diſtentumque pudendum convulſionis modo afficiatur. Scribit etiam, eos qui ſic laborant, cito perire ventre inflatos, & frigidum ſudantes, niſi ilico auxilium eis adferatur. Accedit etiam iis quandoque

inflammatio. Fit hic morbus à flatu vaporoso, ab humoribus viscosis crassisque sublato, & cavernosum penis nervum distendente. Aliquando verò ipsis etiam arteriis eo flatu repletis oritur, nullo præcipuo proprioque affectu colem infestante: quem affectum etiam *satyriasim*, & *satyriasmum* Græci vocant, quòd Satyri arrigere semper crediti sint, de tumor. cap. 14.

Prima corpora, vide *Homiomeres*.

Primæ venæ, (quæ & *magna vasa* appellantur, & *vasorum radices*, 5. meth. 3.) sunt, quæ circa jecur, & mesenterium, & cor visenda sese præbent, 12. method. cap. 3. vide *Radicem vasis*.

Prima particula, vide *Similare*.

Primarius affectus, vide *Idiopathia*.

Primitiva causa, vide *Antegressa*.

Princeps intestinum, vide *Rectum*.

Principium morbi triplex dicitur; primùm quidem de primo insultu, qui simplex est, & latitudine caret; secundò, de eo, quod ad tertium extenditur diem; & præter hæc etiam id, quod tanquam pars accipitur totius morbi, in quod manifestæ coctionis signa desiderantur, 1. de crisi. cap, 8. & 19.

Proboscis, sive *Pronomæa*, est pars quædam pendens angusta, & longa in Elephante animali (quo loco aliis est nasus) adeò ut ad terram pertingat, 16. de usu part. 14.

Procatarctica causa, vide *Antegressa*.

Processus anchoralis, vide *Ancyroeides*.

Processus cornicularis, vide *Ancyroeides*.

Procidentia oculi est, cùm ab ictu aliquo violento, aut strangulatione, cum febre continuâ, vel capitis dolore, prolapsus oculus fuerit, libr. finit.

Procondyli dicuntur, primi digitorum articuli, metacarpio proximi, perindè ut medii digitorum articuli, *condyli*, extremi verò, *metacondyli*, nuncupantur.

Productio, vide *Dodecadactylon*.

Pro-

Proëgumena, causâ interna est, quam *antecedentem* solent nominare: Celsus vocat *abditam*, *in occulto positam*, & *morbi continentem causam*, quanquam talis in specie dicitur, *causa morbi conjuncta*, quâ positâ, ponitur; sublatâ, tollitur morbus.

Prognostica signa nuncupantur, quæ futura prænunciant; *Diagnostica*, quæ præsentia declarant; *Indicatoria*, quæ instantem crisin, & curationem indicant, lib. de Optim. sec. emp. cap. 6.

Prolapsiones, id est, ossium absolutas & integras alternationes, sive dearticulationes. *Dimotiones non integras* appellat Hipp. 3. de fract. 51. & 2. de fract. 36.

Prolepticus morbus, vide *Anticipans*, & *Cinumenus*.

Promanus, vide *Digiti*, & *Pollex*.

Pronervationes, vide *Tendones*, & *Aponeurosis*.

Pronomæa, vide *Proboscis*.

Prophasis, vide *Antegressa*.

Prophylace, ea est artis medicæ pars, quæ morbi causam adimit; *Prophylactice* verò, quæ à morbo præservat, 11. meth. cap. 2. Προφυλακτικὴ pars, est τ ὑγιεινῆς; tuetur enim sanitatem. Tota consistit in causarum, quæ morbum alioqui facturæ erant, ablatione, hoc est, tota circa humores præcipuè negotiatur. Siquidem maximæ præcipuæque impendentis morbi causæ humores sunt lenti, crassi, multi, valdè calidi, frigidi, mordaces, putres, pestilentes, aut aliâ quadam vitiosâ qualitate præditi. Quæ ergò iis adhibetur provisio, lentos incidendo, crassos attenuando, multos vacuando, calidos refrigerando, frigidos calfaciendo, mordaces contemperando, putres & pestilentes immutando, ne morbum gignant, προφυλακτικὴ appellatur.

Proprius affectus, vide *Idiopathia*.

Proptosis, procidentia oculi appellatur, ubi cum inflammatione illi ex sede suâ procidunt, libr. Introd. capit. 15.

Prosarteſis, προσάρτησις, hoc est, Appensio, longiorum

giorum est membranarum ad vicina loca applicatio libr. finit.

Prosphoromena, id est, *assumenda*, vocantur, quæ intra corpus sumuntur, ut quæ eduntur, bibuntur, & ipse inspiratus aër, 10. meth. 7. προσφέρειν propriè de ciborum oblatione dicitur, & iis quæ in alimentum cedunt, ut & τὰ προσφερόμενα: sæpè tamen eâ dictione externa præsidia & auxilia, quæque circa ægrum parantur & admoventur, intelliguntur, ut ea quæ circa partem affectam diutius adhærescere oportet, cujusmodi sunt deligaturæ medicamenta, circumposita ulceri lintea, & cataplasmata.

Prosphysis, vide *Prosthesis*.

Prosthesis, est adjectio eorum, quæ corpori ad sanitatem desunt, pars scilicet medicinæ altera, quam nonnulli celebres quidem Medici definiverunt esse πρόθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν, id est, *adjectionem*, & *detractionem*. Etiam prior est virtutis nutritivæ facultas, quæ nutrimentum membro, quod nutriri debet, apponit, unde *appositio* dicitur, quam subsequitur *Prosphysis*, id est, *agglutinatio*, sive *unio*, quæ nutrimentum appositum agglutinat, & unit membro. Tertia est ὁμοίωσις, quæ unitum nutrimentum eidem assimilat, diciturque in specie Nutritio, 3. de natur. facult. cap. 1. & 13. Postquam succus is, qui omnem animalis particulam nutriturus est, è vasis excidit, in totam eam primùm dispergitur, mox adjungitur, deinde agglutinatur, demum assimilatur. Differre autem inter se ἐξομοίωσιν καὶ πρόσφυσιν, id est, *assimilationem* atque *agglutinationem*, docet vitiligo illa, quæ λεύκη dicitur, in quâ adhærentia quidem nutrimenti facta cernitur, non tamen assimilatio; sicuti etiam adjunctionis atque agglutinationis differentiam prodit genus illud hydropis, quod ἀναστέρνα vocant. Siquidem in eo apertissimè affluentis nutrimenti appositio quædam fit, quod tamen propterea quod aquosius adhuc est, nec ad succum sufficien-

ficienter redactum, sed lentitiam glutinisque consistentiam, quæ naturalis ope caloris provenit, adeptum adhærentiam consequi non valet. Etenim ut agglutinatio fiat, oportet ea quæ agglutinari debent, nec plus æquo dura esse, nec nimis humida & fluentia, sed mediocriter lenta & tenacia, & in eo loco consistere, ubi assimilanda sunt.

Prosthethis, προσθήσις, est pars carnosa, quæ in manuum, & pedum cavâ parte & inter digitos nascitur. In manu, σῦθος χερὸς; in pede, σῦθος ποδὸς vocatur.

Protopathia, vide *Idiopathia*.

Prurigo, *Pruritus*, sensus pruriginosus est, cum exiguâ quâdam molestiâ, qualis puerorum, qui jam dentire incipiunt, gingivis accidit, 3. aphor. 35.

Psalidæ, vide *Fornices*.

Psalidoëides, sive *Psaloëides*, vide *Camarion*.

Psammismus, curationis genus est, quo Hydropici arenâ calidâ, exerto tantum & tecto capite, ad aquam ab universo corpore ciendam, & ejiciendam, sepeliebantur, & soli ardenti exponebantur.

Psilothra medicamenta sunt, quæ pilos & capillos aut ex toto auferunt, vel duros, magnos, multos, crassos, & veluti suillos pilos attenuant, & minores reddunt, vel ipsos penitùs extirpant, & partes corporis depiles reddunt, 1. de compos. medic. loc. cap. 4. Differunt à *Dropace*, quod sint viribus *Dropace* valentiora. vide *Dropax*.

Psoa, quasi *pulpam*, id est, lumbrorum carnem dixeris, est magnus musculus, ab undecimâ thoracis costâ incipiens, & per universa ilia, ipsamque pubem progrediens, libr. de muscul. diss. cap. 31. Ψόαι dicuntur duo maximi musculi in internâ lumborum regione siti, Hipp. eamque partem spinæ, quæ secundum ipsos est, inflectunt: Iidem verò & νεφρομύκτας, & ἀλώπηκες à quibusdam vocantur. Sunt verò & qui externos spinæ musculos ψόας vocent. Marcellus ψόας lumbos

pro-

propriè dici contendit, quod nomen à libidine merito deduci volunt. Nam illic libidinis pruritus excitatur maximè, quod iis renes subjacent.

Psora, scabies est, cum asperitate summæ cutis cum pruritu, furfuribus, & corporis insigni absumptione. lib. Introd. c. 13. quæ omnia, etsi illi cum leprâ communia sint, differunt tamen, quod in *psorâ* summâ cutis occupatur, in *leprâ* malum altiùs descendit, subjectasque sævit in partes. Insuper, in *psorâ*, furfuracea fit cutis; in *leprâ*, squamosa: Adhæc *psora*, variè figurata est; *lepra* vero, circularibus magis erosionibus cutem depascitur. *Psoram* Avicenna distinxit in excorticatam, & non excorticatam; fœdam, & non fœdam; humidam, & siccam; quòd fortè aliud sit Græcis *Psora*, ac Arabibus. Ex melancholico humore nascitur malum, atque inter melancholicos affectus numeratur.

Psoriasis, ψωρίασις, est scabies, & duritia scroti, cum intensâ prurigine; quandoque verò & ulceratione, lib. finit.

Psorica medicamenta sunt, quæ scabras in palpebris affectiones sanant, 2. de comp. med. loc. cap. 3. Ψωρικὰ vocantur etiam, quæ contra ψώρας prosunt, & cutis asperitates emendant, qualia medicamenta attrahunt, deficcant, partiumque tenuitatem habent. Ψωρικὸν medicamenti compositi ex duabus chalcitidis partibus, una cadmiæ, ex aceto tritis, in fictili repositis, & fimo diebus quadraginta sub caniculæ ardoribus obrutis, meminit Dioscor. & Celsus, lib. 6. cap. 6. Sunt & Heraclidæ *psorica* ad circumrosos oculorum canthos.

Psorophthalmia, id est, *pruriginosa scabies*, à Sole, & pulvere orta, lib. de remed. part. fac. cap. 10. Lippitudo scabra, nihil aliud est quam oculi psoriasis. Causa ejus est salsus quidam, & nitrosus humor. Inde succedunt angulorum exulcerationes, rubores, pruritus. Rubent etiam palpebræ, & lacrymæ salsæ nitrosæque

ex

ex oculis ſtillant. Differt ἀπὸ τ ξηροφθαλμίας aſperitate & reliquorum ferè ſymptomatum magnitudine.

Pſychrophobus, eſt qui frigidæ aquæ exhibendæ eſt timidus; ſicut & *hæmophobus*, eſt ſanguinis mittendi timidus; & *hydrophobus*, qui à rabido cane morſus, aquam reformidat, 9. method. 5.

Pſyctica medicamenta, ſunt refrigeratoria, quæ omnem calorem, & laſſitudinem mitigant, libr. de Dynamid. in procem. Ψύξις, *frigus*, *refrigeratio*, ut aphor. 1. & 16. libr. 7. Ψύξις ἀκρωτηρίων, extremarum partium refrigeratio damnatur, & in Philini uxore, lib. 1. Epid. ἄκρα ψυχρὰ, extremæ partes frigidæ aſcribuntur; ubi ſcribit Galen. *Iſtud quidem inter ſummè pernitioſa reponitur, ſi morbi initio cum vehementiſſimâ febre contingat.* Ψύξις ποδῶν, *pedum refrigeratio*, pro magno invaſuræ acceſſionis febrilis indicio ponitur apud Hippocr.

Pſydracia, ψυδράκια, ſunt parvæ effloreſcentiæ, factæ in capite ſimiles veſicis eminentibus in ſuperficie, lib. de med. fac. part. cap. 5. Differunt à *Phlyctænis*, quæ in toto corpore, non tantùm capite, ut *Pſydracia*, oriuntur. Item, quod Phlyctænæ à calidiori, acriorique, hæc à minùs calido humore, minusque acri gignantur.

Pterna, *calx*, os pedis omnium maximum eſt, parte, quâ ingredimur, leniter rotundum, & latiuſculum, poſteriore, tibiæ rectitudinem longè excedens, inferiore aſtragalo, anteriore oſſe ſcaphoeidi inarticulatum. Ex partibus ejus anterioribus, quæ quidem è regione magni digiti ſita eſt, aſtragali capiti ſubjacet, neque cum altero oſſe copulatur.

Pterygium dicitur, nervoſa ſuperinnatæ oculi membranæ eminentia, incipiens ab angulis, & procedens uſque ad corneam; quando verò inſuper augetur, cooperit & pupillam, lib. de med. fac. part. c. 12. *Pterygia* etiam vocant *alas narium*, id eſt, fines ejus infernos, qui moventur, 11. de uſu part. capit. 1. Inſuper

Ptery-

Pterygium etiam *Ungula* appellatur, & *Unguis*, differens ab *Encanthide*, quæ est carnis in majore angulo excrescentia; *Pterygium* verò, nervosa caruncula est, 10. de usu part. cap. 10. Sunt autem πτερύγια propriè, volucrium alæ, duræ quidem & fibrosæ, sed pauci excrementi, & salubres. Inde ducta vox ad alia est. In mulieribus πτερύγια appellari eminentias illas duas, uteri sinum ambientes, scriptum reliquit, quisquis ille est Introductionis seu Medici Author. Πτερυγώδης alatus, is dicitur, cui scapulæ sine carne nudæque sunt, & alarum instar prominent, retrorsumque producuntur.

Pterygoidea, quæ & *alaria ossa* dicuntur, vide *Sphenois os.*

Ptilos, *glabras*, simulque nascentes, aliàs, *palpebras*, quique pilos non habent, Græci vocant, 4. de comp. med. loc. cap. 8. Πτίλοι, inquit Galenus, libr. 14. method. medic. quibus periere ex ciliis pili. Alii vero non omnes simpliciter quibus ii pili deciderunt, πτίλους vocandos censent, sed quibus præterea adjuncta est crassities, callositas, ac rubedo palpebrarum, quod aliter inter eos, qui τῇ πτιλώσει, & eos, qui μιλφώσει laborant, non liceat distinguere: Est enim utrisque commune pilorum defluvium.

Ptilosis, est casus pilorum palpebræ, libr. de medic. fac. part. cap. 12.

Ptisana, nunc pro *succo hordei percolato*, nunc pro *jusculo ex hordeo parato*, sumitur, 9. de plac. cap. 6. Πτισάνη, propria est hordei decorticati appellatio, ἀπὸ τοῦ πτίσσειν, quod *pinsere* & *decorticare* significat, quoniam hordeum tundendo degluberetur, ac suo cortice castratum ita conderetur: *Mundatum hordeum* Officinæ vocant. Tunditur enim hoc, non molitur. *Ptisanæ* laudes Hippocrates uno volumine prosecutus est, eam omnibus sorbitionibus præferens, quoniam lenis & lubrica ex facili hauriretur, quoniam sitim arceret,

quo-

quoniam in alvo non intumesceret, quoniam facilè redderetur, & assuetis is solus cibus in febribus bis die dari possit, multùm remotus ab iis, tum qui medicinam fame exercent, tum qui ægros ciborum copiâ obruunt. Est enim Ptisanæ succus seu cremor, alimentum medii generis, tenue à Galeno dictum, quod vires nec onerat ut plenus victus, nec ut tenuissimus dissolvit.

Ptosis, oculi vitium est, quod alio nomine φαλάγγωσις appellatur, vide *Phalangosis*.

Pubes, *Pubertas*, tempus est ætatis primæ, quo lanugo circa mentum & pudenda oriri incipit: quod initio anni decimi quarti incipit, ad vigesimum quintum terminatur, 5. aphor. 7. Est & *Pubes*, idem quod *Pecten*, postrema pars hypogastrii, sive aqualiculi, cui pili innascuntur. vide *Aqualiculus*. Cujus Pubis, seu Pectinis ossa, Apophyses sunt ossis sacri tenues perforatæ, & in arteriora protensæ.

Publicè grassantes, vide *Communis*, & *Endemus*.

Puerilis morbus, vide *Comitialis*.

Pulmo, ex genere est parenchymatum, caro rara, tenera, & spongiosa est, in cujus cavis & fistulis cartilagineis, aër attractus, modicè retinetur, & rectificatur à suis pravis qualitatibus, indéque in cordis transmittitur ventriculum sinistrum, pro spirituum vitalium generatione, lib. de anat. viv. unde respirationis & vocis instrumentum est, 7. de usu part. 1. Est itaque *Pulmo*, viscus quemadmodum hepar, vasis quam plurimis contextum, quorum intervalla carne molli, instar stoëbes cujusdam, opplentur, quo omne id, quod inter vasa est inane, repleret, essetque firmamentum ac propugnaculum imbecillitatis ipsorum, ibid. cap. 2. & 8. πνεύμων Græcè dicitur, spongiosus est, quò follis instar, aëre impleri, distendique citra noxam possit & contrahi, substantiâ spumam sanguinis referens. Intra thoracem situs est pulmo, ipsumque totum replet,

& oc-

& occupat, & ejus motum sequitur. Cùm enim per se immobilis sit, ab alio moveri debet: Itaque distentus thorax, pulmonem unà distendit: subsidens autem atque contractus, ipsum quoque subsidere facit, & aërem, quem dilatatus attraxerat exsufflare, atque ita aëris inspirationem expirationemque perficit. Ut autem thorax ipse in duo divisus est, & media membrana (mediastinum vocant) distinguitur, ita pulmo in duas partes divisus est, dextram & sinistram. Rursum verò pars ejus utraque duobus lobis constat, uno superiore, altero inferiore, sæpè palam discretis, interdum obscurè. Præter hos nonnunquam tertius est dexter lobus exiguus, vasis perpaucis textus, mediâ cavitate venam cavam in cor subeuntem ceu pulvino molli excipiens ac firmans, in hominibus sternon ossibus septem compositum sortitis. Nam quibus cum sterno thorax anticus est brevior, iis pericardios tunica in phrenas magnâ suæ cavitatis parte incidit, & in hanc cavitatem vena cava, lobo hoc quinto propter viæ brevitatem non indigens. Tria autem vasa per ejus substantiam dispersa sunt, ante quidem arteria venosa, post verò vena arteriosa, & media harum aspera arteria: & hæc quidem jam inde à quarto thoracis spondylo, vena à dextro cordis ventriculo, arteria à sinistro proficiscitur. Distribuuntur autem singula in totos pulmones numerosâ ramorum serie. Cæterùm, pulmonem ipsum unà cum suis vasis tunica obducit, orta ab eâ quæ costas succingit, & nervulos à sextâ cerebri conjugatione sortita, quorum beneficio tunica quidem ipsa mediocrem sensum possidet, cùm tamen pulmo ipse nullam vim sentiendi sortitus sit.

Pulmonia, vide *Peripneumonia*.

Pulsativus dolor, vide *Dolor pulsativus*.

Pulsus, est sensibilis cordis, & arteriarum motus, dilatione, & contractione factus, 1. de differ. puls. capit. 2. & 4. de differ. puls. cap. 3. Hoc nomen *pulsûs* vete-

veteres primùm adhibuerunt designandis motibus dolorificis pulsantibus, ex inflammatione concitatis, vehementique motu arteriarum. Deinde, Medici eâ voce significant motum secundùm naturam in corde & arteriis factum per systolen & diastolen, cujus naturam Hippocrates vel non callebat, vel ut fallacem neglexit; in quo si Medici tactus ipsâ in diastole evertitur, aut violenter impellitur, & cum renixu quodam ipsa arteria pulsat, *vehemens pulsus*, φοδρὸς σφυγμὸς dicitur: cui oppositus, ἀμυδρὸς, *languidus* dicitur. Motus ille vitam moderatur, ut qui vel non aliud sit quàm vita, aut causæ certè rationem obtineat, per quam vita est, aut sine quâ esse non potest. Neque enim aliud vita videtur esse, quàm actio quædam, sive motus activus. Cùm autem motus plures sunt in omnibus vitâ præditis, is meritò præstantissimus est, & in eo maximè vitam positam esse censendum, qui perpetuus sit, & à quo cæteri omnes dependent. Ejusmodi cordis motus est, cùm reliquæ partes interdum ferientur, eo perseverante, nec unquam, stante quidem vitâ, muneris sui vocationem habente. Nec verò cor sibi tantùm motum illum ciet, sed corpori etiam universo, quod ita singulis partibus, quantum quæque meretur, calorem nativum, cujus opifex est, impertiat. Constat autem motus is duobus motibus inter se contrariis, quorum unus cor & ejus arteriam à medio quoquoversum distendit, & loco movet; alter, distentum rursus contrahit, & in locum priorem reducit. Illum διαστολὴν, hunc συστολὴν Græci Veteres dixerunt. Hi quia contrarii sunt, necesse est inter eos media quies intercedat, eaque gemina, una, quæ diastolen; altera, quæ systolen excipiat. Ab his differentiæ plurimæ pulsuum oriuntur. Cùm enim certis quibusdam numeris ea in edendo pulsu sibi invicem succedere oporteat, si in aliquo peccetur, pulsum protinus varium fieri necesse est. Numeros appello, non rhythmum modò, sed etiam velocitatem,

magnitudinem, frequentiam, vehementiam, aliaque ejusmodi, ex quibus pulsuum differentiæ sumuntur, quarum aliæ ab ipsâ diastole, aliæ verò à systole, nonnullæ à mediâ quiete, quæ ab ipsâ arteriâ, plurimæ ab ipsâ facultate aut usu sumuntur.

Pulvis pinguis est, in quo nec asperum quippiam, nec acre subest, 5. sanit. tuend. cap. 3.

Punctio, solutio continuitatis, in carne est, ab aliquo acuto incidente, & tenui facta; Græcè νύξις, & νύγμα dicitur. Est adhuc *punctio*, quæ & *compunctio* appellatur, incisionis ratio, quæ hydropicis ad ciendam aquam debetur, παρακέντησις Græcè dicta, Arabibus, *punctura*.

Punctorius dolor, vide *Dolor tristis*.

Pupilla, Græcè Κόρη, foramen medium uveæ tunicæ oculi est, in quo fit visio, libr. de anat. viv. estque media totius Iridis pars, lib. Introd. cap. 10. Per *pupillam* quidem cernimus, non quod ea sit præcipuum videndi instrumentum, sed quod spiritui visorio per eam via pateat, nec possit aliter visio fieri. Argumento sunt hypochymata. Est autem locus ille, qui ad *pupillam* est, totus spiritu plenus, & præterea cœruleo viridique colore, aut aliis etiam præditus, quibus & ipsa uvea, cujus ille pars quodammodo dici potest.

Purgatio, evacuatio est vitiosorum, & qualitatibus suis peccantium humorum per propria loca; *Derivatio* per propinquiora; *Revulsio* per contraria, 4. meth. 6. & 5. meth. 3. *Vacuationem* appello propriè materiæ ubi quantitate exuperat; *Purgationem* verò materiæ qualitatibus suis infensæ, 2. prognost. 14. 1. aphor. 2. vide *Evacuatio*, & *Pharmacia*.

Purgamenta, Λόχια Græcè, dicuntur ea omnia, quæ à puerperâ, post fœtum & secundas exeunt per uterum, quæ & *Catamenia* appellantur; soloque hoc differunt, quòd *hæc* ante partum sint, *illa* post partum.

Purgatoriam facultatem non omnes intelligunt; duc enim

enim significat; alterum, commune omnium, quæ quovis modo animalis excrementa expurgant; alterum verò, per excellentiam de iis tantùm dicitur, quæ aut per vomitum, aut per ventris dejectionem substantiæ suæ familiaris expurgant, 5. de simpl. med. c. 20. vide *Cathartica.*

Purpurea vena, vide *Communis*, & *Media.*

Purulentiam, *Suppurationem*que appellat Hippocrates, ubi pus universum constiterit, concocto tumore quopiam præter naturam, 1. prognost. 40.

Purulentus, & *Suppuratus*, vide *Empyus*, & *Empyius.*

Pus, πύον, est humor putris, sive suppuratus, partium sparmaticarum substantiæ magnâ ex parte assimilis. Dicitur humor, quod in humoris modum fluat, atque ex humore habet originem, qui in partem inflammatione laborantem decumbens, & per inania ejus spatia diffusus, occlusis undique meatibus, perspiratione interceptâ computrescit; perinde atque alia omnia, quæ perspiratu carentia, alieno in loco vehementiùs incalescunt.

Pustulæ, Græcis *Hydatides*, & *Exanthemata* dicuntur, 4. sanit. tuend. cap. 4. Sunt & *Pustulæ*, abscessus in nigro oculi, cum phlegmone & humorum affluxu, lib. finit. vide *Exanthemata.*

Pustulæ latæ, sive *tubercula omnia*, duplicem habent differentiam, quoniam quædam tendunt in acumen, & altum petunt; quædam ad majorem & ampliorem extenduntur locum, non tamen in altum attolluntur; undè *Pustulæ* nonnullæ *sublimes*, nonnullæ *latæ* fiunt; 6. aphor. 9. *Latæ* quidem, tùm ob humoris frigiditatem, lentorem, & crassitudinem; tùm propter continentis membranæ densitatem: *sublimes* verò, tùm propter humoris caliditatem, & tunicæ raritatem, tùm propter virtutis robur, foràs expellentis pus: unde Coni similitudinem referunt, & in mucronem fastigiantur, 1. prognost. 40.

Putredo, est mutatio totius putrescentis corporis substantiæ ad corruptelam, à calido externo, 11. method. 8. Secundum Philos. lib. de gen. & corrupt. est corruptio caloris in unoquoque calido & humido, ab extraneâ caliditate. Cæterùm, non quicquid corrumpitur, σήπεται, hoc est, *putrescere*, dicimus, sed quibus id cum fœtore accidit, 5. simpl. 15. dicitur autem *putredo*, sive *putrefactio*, Græcè σῆψις, quam duplicem Galenus facit, 1. de diff. febr. *unam*, quæ fit superante naturâ; *alteram*, quæ fit superatâ: Galenum eo loco consule. Et superante quidem, sicut in inflammationibus, & similibus tumoribus omnibus pus, in humoribus autem, qui in venis atque arteriis continentur, quiddam quòd puri proportione respondet, subsidens in urinis. At talis quidem putredo, non simpliciter putredo existit, sed aliquid in se continet coctionis. Nam adhuc vi coquendi vasorum remanente, qui interim putrefit humor, ad talem pervenit alterationem. Sed & alterum est putredinis genus, cùm ea vis, cui demandatum est concoquendi officium, adeò imbecillis facta est, ut nullam ampliùs facere possit in putrescente superfluitate ad optimum transmutationem. Quod quidem usu contingit nonnunquam cum eadem vis ad ultimum imbecillitatis pervenerit, etiamsi id quod putrescit, mediocriter sit vitiatum. Interdum uno fieri potest, ut vis quidē ipsa non omnino sit imbecillis, humor verò putrescens maximè sit vitiatus. Hujus autem superfluitatis putredo, neque consistentiam, neque aut colorem aut odorem habet unum, sed semper permutatur, ac multis modis illud evariat quod putrescit. Altera verò putrefactio, quam & coctionem esse diximus, semper ad unam puris speciem terminatur, coloremque ac consistentiam suscipit atque odorem.

Pycnotica, & *Pycnosis*, vide *Condensantia*, & *Obstruentia.*

Pyelos, vide *Choana.*

Pyelus,

Pyelus, Græci vocant parvos alveos, in quibus natationes instituuntur, 7. method. 6.

Πύλωρος, posterior est, & inferior ventriculi terminus, sic dictus, quoniam portæ modo, ne nutrimentum ex eo confestim dilabatur, prohibet, libr. Introd. cap. 11. qui & *Pyloron* dicitur, ad dextram propè jecur situm habens, libr. de ven. & art. dissect. cap. 1. Latinis *Ianitor*, vide *Porta ventriculi.*

Pyωsis, vide Onyx.

Pyrenoeides, πυρηνοειδὴς ὀπίφυσις vide *Dentem.*

Pyriama, fotus, fomentum est, non uno modo corpori admotum, sed vel per suffitum, vel calidam spongiam humido aliquo decocto imbutam, vel vaporem per arundinem, vel cucurbitulas. Πυρίαμα in genere id dicitur, quod corpori admotum, ipsum quovis modo excalfacit: Dicitur enim & πυρία ἀπὸ τοῦ πυρὸς. Sunt autem & fomentorum multiplices differentiæ: alia humida, alia sicca sunt, vel ex utrisque mista. Humida, vel actu, vel potestate dicuntur: conveniunt phlegmonis, quæ à bilioſiore succo factæ sunt. Sicca similiter vel actu ejusmodi sunt, vel facultate; phlegmonis opitulantur, quas tenuis & aquosus sanguis excitavit. Omnia calida sunt, nulla frigida. Proinde fomentum omne cutem rarefacit, & facilè transpirabilem reddit, sanguinemque in inflammationibus attenuat, atque discutit. Alia præterea mordentia sunt, alia morsu carentia, vel ex iis mista: Illa extenuant, prosuntque crassis & viscosis humoribus; hæc verò, acribus & mordacibus. Quoniam verò fomenta calore suo foràs humores attrahunt, idcirco non ante totius corporis vacuationem illis utendum est: Nam quæ redundant in corpore superflua, eorum usu trahentur potiùs in partem affectam, quàm discutiantur. Cæterùm fomentorum materia varia est, & modis variis adhiberi potest, per spongiam, per linteum, per pannos, per utrem, per vesicam, per vas æneum, vel testaceum,

ceum, per cucurbitam, per ollam, per arundinem: quorum exempla passim apud Galenum occurrunt.

Pyricauston, id est, *ambustum igne*: simul & is affectus eodem nomine appellatur, quo quis in aquâ ferventi ustus fuerit, 1. de compos. med. per gen. cap. 4. Πυρίκαυς@-, *ambustus* dicitur. Prodeunt primùm bullæ, deinde phlegmone & ulcus, nisi lenibus emplastris, & sine morsu exsiccantibus, nec calidis, nec frigidis, sed temperatis protinus succurratur.

Pyulcon, πυλκὸν, Organum, sive Instrumentum est, quo mulsâ per ulcus infusâ, jubemus ut ægri, inclinati in laborantem partem, tussiant; aliquandò etiam molliter thoracem concutiendo, pus universum, saniemque ulceris extrahimus, 5. meth. cap. 8. Fortè idem fuit cum Chirurgorum organo, quod nunc *Syringam* vocant, per quam ut aliquid infunditur, ita facilè attrahitur: à quo & *Pyulca*, id est, Puris attractiva medicamenta denominantur, 2. ad Glauc. 8.

Q.

QUADRATUM *corpus* (quod & *Eusarcon* vocant) est, quod nec gracilè, nec crassum, nec calidum, aut frigidum, aut alio quovis modo intemperatum; 1. de temper. capit. 9. sed inter hæc omnia extrema, medium constituitur, 3. de caus. puls. cap. 11.

Quartana febris, τεταρταῖος πυρετὸς, est, cujus circuitus est quarto quoque die, quo unam accessionem facit, ac unam remissionem, lib. de Typis, cap. 4.

Quassatio, est quartus luxationis vertebrarum modus; tria enim vitia ex vertebrarum luxatione contingunt; cùm retrò abeunt, *gibberositas*; cùm intrò, *repanditas*, cùm in latus torquentur, *obstipitas*; præter hæc, quartum vertebrarum vitium accedit, cùm dimotæ quidem juncturæ ac compages sunt, sed vertebræ

bræ tamen in suâ sede permanent, *quassationem* hanc appellant, 3. de artic. 2.

Quotidiana febris, vide *Cathemerina*.

Quotidianarum febrium typus est, qui quotidiè unam, & eandem accessionem, & eam quidem longitudine commensuratam, & unam eandemque remissionem habet; ut Tertianus circuitus est, qui tertio quoque die, unam & eandem accessionem longitudine commensuratam, & unam, & eandem remissionem facit, libr. de Typis, cap. 4.

R.

RADENS *bilis*, vide *Ater succus*, & *Acida bilis*.

Radicem vasis, seu *venæ*, vocant priorem ejus partem, quæ vel jocinori propior est, vel etiam cordi: hæc in collo ab inferiore est parte, in brachiis & cruribus à superiore, 5. meth. cap. 3.

Radius, vide *Cubitus*.

Ramenta, sunt membranarum in intestinis rasuræ, aliquando etiam cruentosæ, 1. loc. aff. 4. vide *Strigmenta*.

Ramex, *Hernia*, Græcè *Cele*, est omnis in *Scroto* tumor, sive ex delapsu Intestini, sive Omenti, sive Vasorum spermaticorum, varicis, tophi, sive lenti humoris, sive aquosæ substantiæ, lib. finit. Fit autem & aliquando *Ramex* in inguine, quoties validus ille Tendo (qui & membraneus dicitur, & ante inguina ortum habet, ac pubis ossi inseritur) laxescit, ejusque robur infirmius fit, & cum eo totus inguinum locus, laxior redditus, partes quasdam corporis subjacentium in se recipit, velut intestinorum, vel omenti, 4. de anatom. admod. cap. 6. vide *Celes*.

Ranula, tumor est phlegmonodes, sub linguâ consistens, potissimùm in pueris, quem Græci βάτραχον vocant. Dicuntur quoque *Ranæ*, sublinguares venæ, sanguine copiosiore distentæ.

Rarefacientia medicamenta, quæ *Araeotica* Græci vocant, sunt, quæ cutis meatus referant, 5. simplic. 14. vide *Anastomotica*. Ἀραιωτικὰ φάρμακα calida sint oportet, & tenuium partium, miniméque deficcantia, quod aliter substantiam nec diffundere, nec laxare possint. Ad hoc autem consequitur, ut & Pori dilatentur. Id quod præstare nequeunt, tùm valdè calida, tùm multùm exsiccantia: illa quidem, quod acria sint, atque horrores moveant; hæc autem, quia sensilia corpora colliquant, quorum neutrum sine dolore fieri potest. At quæ citra molestiam excalfaciunt, ea sola omnium sunt rarefacientia. Siquidem rarefactio, dilatatioque voluptatis, non etiam doloris opus est: Ut enim dolor comprimit, ita voluptas expandit. Contraria iis sunt τὰ πυκνωτικά, hoc est, condensantia.

Rarum corpus est, cujus partes multis spatiis inanibus interceptæ sunt, aëre plenæ: è contrà, *corpus densum*, seu *spissum*, quod ejusmodi porositatibus carens, compactum est, 1. simplic. 13. sive *rarum corpus* est, quod meatus, & poros magnos habet, 2. de sanitate tuenda, capit. 5.

Rarus pulsus, vide *Creber pulsus*.

Rascetta, vide *Brachiale*.

Rationalis medicorum secta est, quæ naturæ rationem & ductum secuta, morborum causas inquirit, & signis ad illarum inventionem utitur, curationem capiens à contrario, prout causæ exigunt, in Introd. cap. 3.

Raucedines, vide *Bronchos*.

Recidiva febris est, quam pravorum humorum reliquiæ putrescentes, de novo accendunt; cùm omnis humor, alienus à naturâ corporis, in quo continetur, aptus non sit ad ejus nutritionem, & proin necessariò ad putredinem convertatur, 2. aphor. 12.

Reciprocus decurtatus, vide *Deficiens decurtatus*.

Reciprocus pulsus, vide *Deficiens*, & *Recurrens*.

Recrementum, vide *Callosum corpus*.

Recru-

Recrudescentia, ulcera maligna vocat; & *recrudescere*, quasi rursus crudum fieri, atque in pristinam malignitatem quippiam redire statuunt Medici, 2. de fract. 28.

Recta sutura Calvariæ, vide *Obelæa*.

Rectum intestinum, est ultimum intestinorum omnium, quod ad sedem usque porrectum est, 6. de anat. adm. cap. 9. quod & *princeps intestinum* vocatur; ad cujus finem est *sphincter*, id est, constrictorius musculus, ad cujus distinctionem reliquam recti intestini infimam partem, quâ maximè dilatatur & laxatur, *laxam* appellamus, libr. de vulv. diss. cap. 1. Idem etiam *extensum*, & *longum* dicitur, lib. de anat. viv.

Recurrens pulsus est, qui ad quantum excurrit magnitudinis aut vehementiæ, in aliis rursus ad tantundem recurrit, libr. finit.

Recurrentes nervi, vide *Nervi recurrentes*.

Reduvia, vide *Paronychia*.

Refrictio, vide *Anatripsis*.

Regius morbus est, qui amaram bilem in toto corpore redundantem, comitatur: Fiunt perindè ut *erisypelata*, & *ulcera serpentia*, cùm eadem amara bilis unam quampiam particulam obsidet; nigram verò bilem in toto quidem corpore, *elephantiasis*; in unâ quapiam particulâ, *Cancer* subsequitur. Pituitoso excremento in toto quidem corpore luxurianti succedit *hydrops leucophlegmatias* dictus; cùm in unâ insedit particulâ, *tumor œdematosus* oritur, 3. de sympt. caus. cap. 2. vide *Arquatus*, & *Icteros*.

Relaxantia medicamenta vocantur, Græcè *Chalastica*, familiari omnibus propè recentioribus Medicis vocabulo, inde nimirum, sicut & nomen ipsum indicat, quòd tensas laxent particulas; quippe *relaxari* ac *intendi*, contraria inter se dicunt, 7. de compos. medic. per gen. cap. 9. vide *Chalastica*.

Remissio febris, secunda totius circuitus paroxysmi pars mitior est ad infebricitationem properans; in duo

siquidem periodus universa divisa est, in accessionem & remissionem, libr. de totius morbi temp. capit. 8. vide *Ablatio*.

Remissus pulsus, vide *Vehemens*.

Renes, νεφροὶ, peculiare quoddam corpus sunt, densum, ex carne & fibris constitutum, adeòque carneâ substantia, non paucas habens involutiones, figurâ Græcæ literæ C, aut phaseolis similes, habentes in medio cavitatem quandam, quâ ex venis & arteriis serosum excrementum excipiunt: ad *Renes* enim non majores solùm venæ (quarum aliæ in cavitatem hanc inseruntur, aliæ in membranam, quæ eos tegit,) sed meatus etiam capillorum modo exiles deferuntur. *Renes* siti, paulò altiùs, quàm ilia, à quibus duo urinarii meatus emergunt, per quos ad vesicam urina deducitur. Renum operatio est, secernere, & percolare serosum excrementum, à sanguine, libr. de ren. aff. dign. cap. 1. In omnibus propè Renibus dexter sinistro sublimior est. Uterque membranâ à peritonæo nascente involvitur, nervulumque gracilem recipit à ramis sextæ conjugationis, qui costarum radicibus exporriguntur. Sunt autem *Renes* pravi succi, & concoctu difficiles, & resipiunt nescio quid urinæ, ut testatur Galenus, lib. 3. de alim.

Repanditas, vide *Obstipitas*, *Quassatio*, *Cyphosis*.

Repercutientia, vide *Attrahens*.

Respiratio, & *respiratus*, vide *Inspiratio*, & *transpiratio*.

Resolutio nervorum, est deperditio motûs, cumprimis in aliquâ corporis parte, non autem semper sensûs; si enim deperditur sensus, dicitur sensûs resolutio, 3. loc. affect. 10. licèt ejusdem capitis initio dicat: ubi omnes pariter nervi, tùm sensum, tùm motum amiserint, *Apoplexia* hæc affectio appellatur; ubi verò alteri laterum soli, aut dextro, aut sinistro, id accidat, *resolutio*, ejus scilicet partis, in quâ consistit affectio, interdum dextræ, interdum sinistræ: quòd si in ali-

aliquo membrorum idem evenerit, ejusdem membri resolutio, Græcè *paralysis* esse dicetur, 3. loc. aff. 10.

Resolutus oculus dicitur, ubi naturali motu destitutus, neque sursum, neque deorsum moveri potest, verùm sensûs expers fit: frequenter id mali, partibus etiam oculi accidit, lib. Introd. cap. 15.

Restitutio, est ossis vel membri, in propriam sedem collocatio, reductio, & repositio, 3. de fract. 38.

Rete, vide *Omentum*.

Retentrix facultas, vide *Attractrix*.

Retiforme corpus, est tunica, aut tunicæ quid simile humorem vitreum oculi ambiens, quod ex Cerebri portione, aut verius ex nervo optico supernè discendente, atque amplificato conflatum est, reti simile, quod à Choroeide, id est, tenui Cerebri tunicâ, quæ illi supernè dimittitur, continetur; unde tunica oculi *Choroeides*, id est, *secundina*, nominatur, 10. de usu part. cap. 2. vide *Choroeides*.

Retiformis plexus, vide *Flexus variciformis*, & *Amphiblestroeides*.

Retina, est panniculus, vitreum humorem oculi circumdans quasi rete; cui annectitur alius, qui dicitur *secundina*, quòd secundinæ sit similis, juxtà quem tertius est, qui ossa contingit, durus & solidus, undè σκληρὸς dicitur, libr. de ocul. cap. 2,

Reversiva febris nominatur, quæ non est acuta, sed diuturna, & imperfectas habet solutiones, erroneasque accessiones, com. 2. in 6. de morb. vulg. 21.

Revulsio, est evacuatio alienæ materiæ per loca opposita. vide *Purgatio*, & *Derivatio*. Est autem *Revulsio*, facienda deorsum quidem, ubi succi ad superiora feruntur; sursum, ubi ad inferiora vergunt; & ubi introrsum, ad exteriora; ubi extrorsum, ad interiora; ubi dextrorsum inclinant, in sinistrum; si sinistrorsum, ad dextram revulsio facienda: sic sanè fluxiones, quæ retrò inclinant, in priora revellendæ; quæ in

prio-

priora, in posteriorem regionem abducendæ sunt, lib. de hyrudin. cap. 2. libr. de Derivat. cap. 19. Motum hunc Græci *Antispasin* vocant; vide *Antispasis*, *Derivatio*, & *Purgatio*.

Rhabdoides sutura, eadem est ac recta capitis sutura; vide *Obelæa*.

Rhachitæ, qui & *Rhachiœi*, sunt *Dorsales musculi*. 4. de anat. adm. cap. 6. 7. aphor. 36. Illi enim, ut annotat Galenus, universis costarum commissuris in toto thorace superinjecti sunt à posteriore parte, nihil relinquentes quod non contegant, sed omnes costarum radices, & vertebrarum processus, qui à lateribus sunt; adhæc quod inter ipsas radices est, complectuntur. Unde *Rhachitis medulla*, id est, *spinalis medulla*, quæ & *Rhachis spina* dicitur; vide *Dorsum*, & *Medulla*.

Rhacodes, ῥακώδης, id est, *lacerosa*, universa dicitur cutis, erosa instar laceræ vestis, à pure circa abscessum aggregato, sufficienter extenuato: idque accidit, ubi qui ad abscessum perveniunt tumores, tardè secti fuerint, aut ob medicantium imperitiam, aut eorum, quibus medela adhibetur, timiditatem, qui secari non patiuntur, sed expectant, ut longiori tempore cutis à pure rodatur, 2. Glauc. 8.

Rhacosis, ῥάκωσις ὀχέϑ, id est, *detritio*, laxata scroti cutis, seu multa scroti extensio est, lib. finit.

Rhagades, sunt rugæ ani intumescentes, rimæque ac fissuræ sedis, 1. de compos. medic. loc. cap. 8. quæ & *rimæ sedis* dicuntur, non aliter quàm labra, quandoque & manus, ex vehementi frigore; Plinius *fissas* appellat. Fiunt plerumque ab acris humoris affluxu, interdum autem propter condylomatum inflammationem & distensionem rumpitur cutis, rimæque ejusmodi emergunt. Dicuntur & à Veteribus quibusdam ῥήξεις.

Rhagas, ῥαγὰς, id est, *scissura*, *fissurave*, divisio est labia obtinens callo obdurata, dura, libr. finit.

Rhages,

Rhages, dicuntur extremi digitorum fines, qui Græcis ῥαγφαὶ vocantur.

Rhagoeides tunica, quæ *cærulea, uvea, & uviformis* dicitur, est oculi panniculus, albugineum humorem tangens, & circumdans, nigri coloris; unde *uvea tunica* ab uvarum colore dicitur, pòst quem est alius panniculus, cornu similis; unde *Ceratoeides*, id est, *Corneus* appellatur; juxta quem est tertius, non circumdans alios, sed eos inter se jungens, quem *Conjunctivam* vocant, & *Adnatam*, sive *Agnatam*: Inter crystallinum autem & albugineum, est tela aranea, libr. de ocul. cap. 2. & Introd. cap. 11. & 10. usu part. cap. 4. Ῥαγοειδὴς χιτὼν, est oculi tunica corneæ subjecta, & anteriore quidem oculi parte humorem ὑδατοειδῆ, posteriore verò tunicam ἀμφιβληστροειδῆ proximè comprehendens. Ducit originem ex tenui cerebri meninge, quæ unà cum nervo optico ad oculi constructionem concurrit: ex quo quidam etiam χοροειδῆ illam appellarunt. Dilatata enim & soluta tenuis illa meninx circulo oculum ambit, totaque sphærica est, nisi ubi ad pupillæ locum accedit. Eo enim loco leniter comprimitur, atque mediâ eâ parte quâ comprimitur, foramine rotundo pervia est, quod pupilla appellatur. Dicta est ῥαγοειδὴς, quod uvæ folliculo, à quo pedunculus avulsus est, quam simillima sit: ut enim ille, ita hæc tunica parte sui anteriore leviter compressa est, & in medio ad pupillam perforata. Habet verò & coloris cum uvâ similitudinem, variis interstincta coloribus cæruleo & viridi, quibus se defatigatus oculus recrearet. Præterea verò acini uvæ lævitatem externam, & asperitatem internam æmulatur, ut eam Medici rectè illi comparasse videantur.

Raphe, id est, *Sutura*, *Commissura*, *Syntaxis serrata*, vide *Commissura*.

Rhegma, id est, *ruptum*, est solutio continuitatis in vase: ut, Fractura, in osse; Convulsio, seu Spasmus, in nervo;

nervo ; Apoſpaſma in ligamentis ; Thlaſma in muſculis ; ita Rhegma in vaſis, ex violento ictu, vel gravi caſu, vel alio quopiam valente motu excitata, eſt unionis ſolutio, 4. method. cap. 1. Aliis eſt carnoſæ partis ſolutio citra vulnerationem : cum ecchymoſi quidem omnino, aliquando verò & cum contuſione circum ipſam præruptam carnem conſiſtit.

Rhetidoſis, id eſt, *oculi tabes*, & *corrugatio*, 3. meth. 2. vide *Tabes oculi*.

Rheuma, id eſt, *fluxio*, & *humorum decubitus*, 1. de compoſ. medic. per gen. vide *Fluxio*.

Rheumaticus, vocatus *affectus* provenit, quando toto videlicet corpore infirmo, & cachectico, principibusque partibus (paulùm licèt ipſis inſit ſanguinis) gravari ſolitis, noxios humores, illæ, ad carnoſas cutis partes protrudunt, potiſſimumque ad adenas, excipiendis recrementis idoneos, tùm ob ſubſtantiæ laxitatem, tùm quia omnium partium minimè robuſtas habent naturales virtutes, ſicut & pinguedo; partes enim infirmiores omnium primæ, excrementitiis morbis corripiuntur, libr. de cur. rat. per ſang. cap. 8. Fluentibus vero humoribus, *Rheuma*, ſeu *fluxio* dicitur ; cùm verò in aliquâ parte eidem illi conſtiterint, is affectus, qui inde generatur, *Rheumaticus* appellatur, 2. Glauc. cap. 2.

Rhexis, id eſt. *ruptio*, ab ictu, vel aliâ quâpiam causâ violentâ, in alto, totas ſubinde membranas dividens, & perſæpè humores, quibus videndi facultas adminiſtratur, effundens, lib. Introd. cap. 15.

Rhodinum, vide *Oxyrhodinum*.

Rhodomeli, id eſt, *mel roſaceum*, quod aliquando ſimplex, interdum purgatorium paratur.

Rhœas, ſive *Rhyas*, ῥοιὰς. ſeu ῥυὰς, vide *Encanthis*.

Rhogme, eſt oſſis ruptio, ſive interruptio, per ſuperficiem recta, vel anguſta, vel lata, lib. finit. ῥωγμὴ, eſt diviſio calvariæ ſuperficiaria, vel profunda quidem, ſed eatenus ut fractum os loco non moveatur ; differentia

eſt

est fracturæ capitis, ut est apud Paulum, lib. 6. cap. 90.

Rhopalosis, ῥοπάλωσις, concretio est summorum pilorum indivisibilis, veluti in baculos, qui etiam amplius non crescunt, libr. finit.

Rhus, profluvium fœminarum propriè apud Medicos significat, fluente sanguine assiduè penè & inordinatè per uterum; longèque diversa fluxio est ab eâ, quâ fluit sanguis per uterum menstruis periodis; cùm *illa* præter naturam sit, *hæc* verò, secundum naturam; Morbi nomen est ῥῆς γυναικείου, *fluxus muliebris*. Additur autem nomini coloris diversitas, ut intelligatur quis humor fluat, dicendo ῥῆν λευκὴν, vel ῥῆν ἐρυθρόν.

Rhyas, est oculorum vitium, quando meatus, qui ab oculis in palatum desinit, vel obstructus, vel connivens, excrementa, non ad loca consueta transmittit, sed in oculos regurgitare permittit, comm. 2. in 6. de morb. vulg. 32. vide *Rhœas*, & *Encanthis*.

Rhypodea medicamenta sunt, quæ à sordium similitudine, quasi strigmentosa nominantur, 2. de comp. medic. per gen. cap. 1.

Rhyptica, ῥυπτικὰ, sive *extergentia medicamenta*, nominantur, quæ in superficie, sive in cute, sive in ulceribus ῥύπον, id est, *sordem*, auferunt; quæ verò altiùs Poros ab excrementis expurgant, ea *Ecphractica*, & *Eccathartica* (quasi expurgantia, & ab infarctu liberantia dicas) appellantur, 5. simplic. 12. Quæ tergens, alia imbecilliùs, alia vehementiùs id agunt. Modicè detergent farina fabarum, hordei, ciceris, semen lini torrefactum, saccharum, oxymeli: magis, terebynthina, thus, mel despumatum, amygdalæ amaræ: valentiùs, ervi farina, semen hormini, radix ireos & panacis, nitrum ustum, nitri spuma, fictiles testæ, pumex, buccinorum & purpurarum, & cæterorum ostreorum testæ ustæ, tritæ, tenui cribro cretæ, quorum quidem aliqua tam valenter tergent, ut etiam pilos tenuent; sed hæc impropriè ῥυπτικὰ appellantur. Quæ verò propriè &

spe-

ſpeciatim dicta ſunt, tergunt tantùm, non etiam obſtructa liberant, quia ſunt amaris imbecilliora, ſalſa ſcilicet & dulcia: quæ autem valenter detergent, omnino etiam digerunt, & ob id valdè ſiccant.

Rhythmus in pulſu, eſt proportio temporis ictus, ad tempus quietis. 1. de differ. pulſ. cap. 7. Cùm pulſus conſtet quatuor partibus, duobus ſcilicet motibus, & geminâ quiete, ſibi invicem perpetuâ quâdam ſerie ſuccedentibus, eorum inter ſe proportio comparatioque *Rhythmus* eſt: Eum omnis pulſus habet, ſed varium. Suus enim eſt cuique naturæ, ætati, anni tempore, ſexui, & reliquis: quem quidem qui ſervat, is εὔρυθμος dicitur, qui non ſervat, ἄρρυθμος.

Rigor, ῥῖγος, eſt inſiti caloris exagitatio, cum ſenſu doloris ſubita & univerſim facta, libr. de tremor. convulſ. capit. 6. nominaturque etiam *Rigor*. Nervorum convulſio, & Tetanos, 3. loc. aff. 10. Eſt autem propriè ſic dictus, concuſſio, & commotio inæqualis totius corporis à tenui & magis acri, copioſorique humore, quàm qui in horrore peccet, 3. ſanit. tuend. 5. & 1. de ſympt. cauſ. cap. 8. vide *Frigus* & *Horror*.

Rigor ſine febre, nonnullis quidem accidit ſemel, nonnullis autem per vices interpolatas multorum ſpaciorum interjecto, vel à principio uſque ad finem continuatur; aut eſt ita omninò exiguus, ut neque adeſſe videatur, cùm ſe quieti tradiderint, ſed cùm moveri cœperint, tunc demùm eum ſentiunt; aut etiam ſine motu moleſtus accidit, pituitâ humore redundante, ſed non putreſcente; quando autem hic humor etiam putruerit, non modò rigent, ſed etiam febricitant ægri, 2. de differ. febr. cap. 5.

Rob, vide *Succum medicatum*.

Ros, tertia eſt humiditatis ſpecies, unde partes noſtri corporis nutriuntur, quæ continetur in omnibus animalis partibus, ceu *Ros* quidam, per earum ſubſtantiam ſparſus, 7. method. 6.

Ro-

Rotula, vide *Patella*.

Rubra bilis, vide *Bilis pallida*.

Ructus, est flatûs excretio per gulam; cùm & alius sit, qui per intestinum rectum secernitur; com. 5. in 6. de morb. vulg. 4.

Ruptura, vide *Unionis solutio*.

S.

Saccus, vide *Cœcum intestinum*.

Sacer morbus (ἱερὰ νόσος, id est, *Epilepsia*) dicitur, quò ejus magnitudo designetur; *Sacrum* enim apud Antiquos, significat *magnitudinem*; alii verò *sacrum* dici putant, quòd divinus esset, & à Diis in peccatorum vindictam mitteretur; quos Galenus reprehendit, lib. 2. de caus. sympt. cap. 3.

Sacer ignis, id est, *Erysipelas*, libr. de purg. med. facult. licèt Celsus, *Ignem sacrum*, parvum ulcus existimet dici.

Sacrum os, vide *Dorsum*.

Sagittalis sutura, vide *Obelæa*.

Sahafatum, apud Avicennam, & Plinium, *manantia capitis ulcera* nominantur, quæ Græci ἀχώρας & κήρια, Aliabbas, *tineam*, sub quo & *ficus*, & ψυδράκια, & ἐξανθήματα collocavit, nominant.

Salsa pituita est, quæ ab alieno calore computruit, 2. de natur. fac. cap. 9. & salsa redditur, aut propter putredinem, aut propter salsæ serosæ humiditatis admistionem, 2. de differ. febr. capit. 6.

Saltus, qui & *Palpitatio*, & *Palmos* dicitur, 2. method. 2. vide *Palpitatio*.

Salvatella vena, est ramus venæ axillaris media percurrens inter medium digitum manûs, & auricularem, 3. de anat. adm. cap. 5. & lib. de anat. viv.

Salubre corpus, simpliciter est, quod ab ipso naturæ ortu, bonam habet temperaturam, in simplicibus &

primis particulis, atque in iis, quæ ex illis componuntur, instrumentis est probè conformatum & commensuratum, libr. art. med. cap. 4.

Sanguificatio, quæ & *Aæmatosis* nominatur, est mutatio alimenti, in sanguinem, libr. finit. vide *Attractrix*, & *Hepar*.

Sanguifluas venas, eas appellat Hippoc. quæ magnæ sunt, quibus ruptis, insignes sanguinis eruptiones contingunt; id quod ex parvis evenire non consuevit. nam & paucus ex hujusmodi sanguis effunditur, & citò ad oras ipsas divisas coalescit, nocumentumque non affert, 2. de fract. 24.

Sanguinarium medicamentum (quod & *glutinatorium*, *cruentis opitulans*; Græcè autem *Enæmon* dicitur) est, quod vulneris oras committere, & glutinare molitur, 3. de compos. medic. per gen. cap. 2. vide *Glutinatorium*.

Sanguineus cordis ventriculus, dexter ipsius est thalamus, per cujus orificium unum sanguis in cor intromittitur, per alterum autem, ex ipso in pulmonem deducitur: alius cordis ventriculus sinister, *spirituosus* nominatur; per cujus prius quidem orificium cor iis, quæ in pulmone sunt, arteriis; per posterius autem, omnibus, quæ per totum animal sunt diffusæ, arteriis cor est continuum, 6. de usu part. 7.

Sanguis, nunc sumitur pro omni in venis concluso succo (in quo pituita scilicet, utraque bilis, & tenues serosique liquores continentur) nunc pro quartâ substantiâ, è directo reliquis humoribus oppositâ, quæ propriè *sanguis* dicitur, & è cujus exuberantiâ tota massa nominatur, commen. 4. in 6. de morb. vulg. 29. & comm. 2. in 6. de morb. vulg. 38. & lib. de multitud. cap. 10.

Sanies, vide *Sordes*.

Sanitas partium similarium, est calidi, frigidi, humidi, & sicci symmetria; *dissimilarium* verò, compositio, nume-

numerus, magnitudo, figura conveniens, 1. de sanitat. tuend. cap. 1. & 4. & com. 2. in 1. de morb. vulg. 3.

Sapa, quam alii *Siræon* vocant, est mustum plurimùm coctum; sunt qui & ficuum siccarum decoctum ita nominant, libr. de attenuante diæta, cap. 12. vide *Apothermus*.

Saphæna vena est, quæ desuper ad partem cruris intimam descendit, quæ descendendo occultatur, donec partem super malleolum interiorem attingere incipiat; lib. de anat. viv. vide *Malleoli vena*.

Sapor, vide *Chymus*.

Sarcocele, σαρκοκήλη, est morbus testiculis induratis conveniens, quod si aquosus humor in tunicis, quæ circa testiculos sunt, aggregetur, *Hydrocele*; omentum autem & intestina, quòd si eadem in loca illabantur, *Epiplocele*, & *Enterocele* dicitur, lib. de tumor. cap. 15. *Sarcocele* verò simpliciter *Ramex* dicitur, 14. method. cap. 17.

Sarcoma, est carnis in naribus aut aliis partibus præter naturam auctio, differens à *Polypo* magnitudine, opificio, & formâ, libr. finit. Est autem *Polypus* quidem *Sarcoma*, non contrà. Polypus enim similitudinem piscis Polypi gerat oportet, cum σάρκωμα informe sit potiùs carnis incrementum.

Sarcomphalon, incrementum carnis est, præter naturam in umbilico, vel mitis, vel malignæ, lib. finit.

Sarcosis in utero, est carnis ibidem prognatæ & collectæ expullulatio, quam, si magna sit, recidere convenit vellicatam scalpris, quò celeriùs emoriatur; sin parva, protinùs tollere, libr. finit. videtur proinde nihil aliud esse quàm mola.

Sarcoticum medicamentum est, quod carne ulcus implet, 3. meth. 2. Nam quamvis carnis generatio naturæ opus esse videatur, juvatur tamen illa quidem plurimùm in replendo ulcere medicamentis, quæ modicè calefaciunt, moderatè detergent & purgant, atque mi-

nimùm ſiccant, nulloque modo adſtringunt. Talem namque σαρκωτικὴν facultatem eſſe oportet. Carnis enim generatio fit, cùm & membra ipſa quibus adnaſci vel circumnaſci caro debet, in calore & frigore temperata fuerint, & ſanguis qui illuc affluit, tum qualitate ſalubris, tum quantitate moderatus. Verùm calidiora paulò ipsâ carne eſſe oportet ſarcotica, quo ſanguinem attrahant; neque ullo modo adſtringere oportet, ne quod influit, repellant, ſordemque ulceribus arctiùs affingant; minimùmque ſiccare, ne abſumant, ſed modicè prorſus ſiccare quo in carnem denſetur. Detergendi autem purgandique vi prædita eſſe decet, ne mala caro & vitioſa gignatur, ſi quid ſordis & vitii in ſanguine relictum ſit, ſed citra omnem morſum & acrimoniam.

Satyriaſis, & *Satyriaſmus*, vide *Priapiſmus*, & *Elephas*.

Scabies, vide *Pſora*.

Scabies oculi, eſt ſummarum genarum, angulorumque oculi eroſio, cum pruritu, quam acerrima fluxio progignit, lib. finit.

Scalpella, vide *Laminas*.

Scalptum vocant frictionem, motumque per ungues effectum, quod in prurientibus particulis animalia naturaliter faciunt, idque in ipſis omnibus reperitur, com. 5. in 6. de morb. vulg. 4.

Scamnum Hippocraticum, vide *Hippocraticum ſcamnum*.

Scaphoeides, id eſt, *Os naviculare*, ſive *naviforme*, eſt os profundo ſinu excavatum, Tali caput anterius & oblongum excipiens; ſic dictum à Scaphæ ſimilitudine; cavitatem enim habet oblongam, Scaphæ ſimilem, in quam ſimile caput Aſtragali, ſeu Tali, intraſe admittit. vide *Cubiforme*.

Scapulæ, ſunt oſſa in dorſo poſt thoracem ſita, cum oſſe occipitis, ſpinâque thoracis, coſtis, & oſſe, quod gutturi præjacet, muſculorum operâ copulata, libr. de oſſib.

ossib. cap. 14. quæ & *Omoplatæ* dicuntur, lib. Introd. cap. 10. vide *Omoplatæ*.

Scarificatio, est cutis incisio, lib. de cucurbit. cap. 4. vide *Encharaxis*.

Sceletos, σκελετὸς, quasi cadaver assiccatum & aridum, est ossium humani corporis invicem cohærentium universorum universa compactio, libr. de ossib. in procœmio; & 1. de anat. adm. cap. 2.

Scelos, crus, pars est corporis organica, à coxendice ad imum pedem protensa, præcipuum ambulationis instrumentum, cui innitimur; in femur, tibiam. & pedem parvum dividitur. Quod enim in manu cubitus, id in crure tibia; & quale in manu brachium, tale in crure femur est; quodque in manu manus extrema, id in crure pes est.

Scelotyrbe, quasi cruris turbam, vel perturbationem dicas, species est resolutionis, quâ erectus ambulare homo nequiens, latus quandoque sinistrum in dextrum, nonnunquam dextrum in sinistrum circumfert; interdum quoque pedem non attollit, sed attrahit, velut ii, qui magnos clivos ascendunt, libr. finit. Nomen hoc, ut & morbus ipse, cæpit primùm Germanici tempore, cùm trans Rhenum exercitum duxisset. Vitio enim aquæ milites, ut ait Plinius, duobus malis tentari cæperunt, quæ Stomacacem & Scelotyrben vocarunt. Ante hæc tempora nomen hoc à Græcis usurpatum non reperies.

Sceptica, est illorum Medicorum Schola, qui nihil sciri posse dicebant, libr. an sanguis in art. nat. cont. cap. 5. atque in singulis rebus hærent, atque hæsitant, libel. de subfig. emp. capit. 1.

Schesis, id est, *dispositio*, est, quæ facilè discutitur, ut calefactum in Sole lignum; ex adverso ei affectioni, quæ ægrè solvitur; lignum E. gr. quod igni eatenus excalefactum est, ut jam accendatur, & fumum edat, 8. method. cap. 1. *Schesis* quoque adventitius corporis

habitus dicitur, 3. de cauſ. pulſ. capit. 10. vide *Affectus*.

Schetica febris eſt, quæ facilè diſcutitur; è contrà, *Hectica*, quæ difficulter ſolvitur, 8. method. 1.

Schetron, exquiſitum victum vocat Hippocr. *Phaulon* autem, victum ſimplicem ac vulgarem; Medium autem, *Hypophaulon*, id eſt, *Subvulgarem*, nuncupavit, 1. fract. 45. Galenus σχιβρὸν Ionibus dici vult τὸ ἀκριβὲς exquiſitum & accuratum; & σχιβρὰν διαίτην Hippocrati ἀκριβῆ, exactam victus rationem, eique oppoſitam τῷ φαύλῳ, καὶ ἀπλῷ.

Schidacedon, eſt diviſio per longitudinem facta, conveniens fractis oſſibus, quæ non omnino ſeparantur à ſe invicem, ſed veluti per rectitudinem finduntur: veluti *Cauledon*, diviſio eſt per tranſverſum facta, 6. method. cap. 5.

Scindapſos, vide *Pituita*.

Scirrhoſis, eſt liveſcens & creſcens caro, ex vehementiâ diuturnæ inflammationis orta, libr. Introduct. cap. 5.

Scirrhus, tumor eſt durus, qui ſine dolore eſt, non tamen omni ſine ſenſu; talis enim ſanabilis non eſt. Sunt, qui eos duntaxat tumores præter naturam, qui omninò inſenſibiles ſunt, *Scirrhos* appellandos cenſeant; reliquos, non *ſcirrhos*, ſed *ſcirrhoſos tumores*, 14. method. capit. 6. *Exquiſitus* verò *Scirrhus* nominatur, qui omninò durus, ſenſuque privatus eſt; qui verò non omninò inſenſibilis eſt, & difficulter ſentit, ex humore lento & craſſo, qui partibus, quæ indurantur, tenaciter infigitur, *non-exquiſitus*, 2. ad Glauc. 4. Duricies propter humoris ſiccitatem craſſitiemque accedit. Doloris autem ſenſus abeſt propter craſſitiem & lentorem. Ubi enim craſſus & lentus humor inania partis alicujus ſpacia ſubierit, & nervos nervoſaque alia corpora repleverit, facilè viam intercludit ſpiritui animali, à quo vis omnis ſentiendi proficiſcitur, gummi inſtar

ſtar omnia quibus inciderit ſpiracula oblinens atque obturans. Si humori melancholico flavæ bilis portio aliqua remiſta eſt, aut ſanguinis, aut pituitę, jam non abſolutè ſcirrhus, ſed eryſipelatodes, aut phlegmonodes aut œdematodes dicetur. Quo factum eſt, ut priori definitioni à veteribus traditæ, Medici recentiores humoris ſpeciem addiderint, definientes ſcirrhum tumorem eſſe præter naturam ab humore melancholico durum ſine ullo doloris ſenſu. Cùm enim quatuor genera ſint tumorum ſimplicium, à totidem humoribus pariter ſimplicibus prodeuntia, ut ſanguis phlegmonem, pituita œdema, flava bilis eryſipelas parit: ita ſcirrhus ab humore melancholico originem ducere, dicendus eſt, neque humoris ſpecies in ejus definitione omittenda eſt, quod non minima pars ſit ejus ſubſtantiæ.

Scleriaſis, id eſt, *durities*, eſt tumor palpebræ cum rubore, & dolore; difficilè tollitur, & durat magis, quàm inflammatio, lib. Introd. cap. 15.

Scleroma, *durities*, tumor eſt duriuſculus, qui in parte vulvæ aliquâ naſcitur. fitque plerumque ex phlegmones, quæ diù permanſit, induratione, lib. finit.

Sclerophthalmia, id eſt, *dura lippitudo*, in quâ oculus durior, ad motum pigrior, dolens, rubicundus redditur, palpebræque ſimiliter duriores, ſiccioresque redditæ, poſt ſomnum aperiri facilè non poſſunt, vel inverti, propter duritiem: differt à *Xerophthalmia*, ſolâ magnitudine doloris, duritiei, & ſiccitatis, quod hæc ſit illâ ſatis imbecillior.

Scleros tunica, vide *Retina*.

Scleruntica pharmaca, id eſt, *indurantia medicamenta*, quæ duritiem corpori inducunt; quod tribus auxiliis præſtatur; congelatione, ſiccitate, & repletione, ac tenſione.

Scolioſis, vide *Cyphoſis*, & *Obſtipitas*.

Scoptulæ, vide *Omoplatæ*.

Scotodinos, hoc eſt, tenebricoſa vertigo; cùm enim

caput circumagi videtur: *Dinos*, sive *Vertigo* nuncupatur, cùm insuper & tenebricosa fuerit visio, *Scotodinos*, hoc est, *tenebricosa vertigo*, affectio appellatur; fit autem ob inordinatam spiritûs flatuosi motionem; qui vel in capite primam suam habet generationem, vel sursum ex infernis fertur partibus, 4. acut. 42. Est ergo *Scotodinos*, seu *tenebricosa vertigo*, quando simul res conspectæ videntur circumvolvi, & sensus visûs repentè obscuratur, & ægrotus sibi tenebras circumfundi opinatur, 4. aphor. 17. Idem affectus, & *Scotomia*, & *Scotoma*, & *affectus scotomaticus*; appellatur; ex ipsâ appellatione qualis sit apparens, quippè à parvâ occasione hebetantur ii, qui sic laborant, adeò, ut interdum cadant, maximè si aliquando in gyrum rotentur; seu alium quempiam rotari viderint; sive rotam, aut id genus aliud quippiam, aut ipsos quoque, quos vocant in aquis vortices, circumagi viderint, 3. loc. aff. 8.

Scotomia, *Scotoma*, *Scotomaticus affectus*, vide *Scotodinos*.

Scrofulæ, quæ & *Strumæ*, *Chœrades*, & *Parotides*, & *Eparmata* dicuntur, sunt apostemata secus aures, libr. de med. fac. part. cap. 11.

Scrotum, est tunica crassissima extrinsecùs testiculos ambiens, lib. Introd. cap. 10. quod & *Scortum*, & vulgò *Bursa testium* dicitur; multis rugis & mediâ suturâ distincta, Græcè ὄσχεον, vel ὄσχεος.

Scutiformis cartilago, vide *Cricoeides*.

Scybala excrementa, sicciora, & quasi in nucleum formata, combusta scilicet à visceris phlegmone, sunt σκυβάλα, 4. acut.

Scypho, vide *Choana*.

Scyros, id est, *Callus*, & *Porus*.

Scytalides, vide *Digiti*.

Sebum, sive *Sevum*, est oleosa, & pinguis substantia adipe siccior, & magis concreta, compactaque, ejusdemque interim cum adipe generis, (utrumque enim sanguis

sanguis est concoctus, ex nutrimenti bonitate) nisi quòd *Sevum* fragile usquequaque sit, nec ad ignem admotum tàm facilè liquescat, & cùm refrixit, denuò concrescat, ut ovis, & capræ; *pinguedo* autem liquidior sit, minimèque apta durari, oleo longâ vetustate incrassato similis, ut equi, & suis.

Secunda, sive *Secundina*, vide *Chorion*, *Retiforme*, & *Retina*.

Secundiformis tunica, Græcè *Choroeides*, vide *Choroeides*.

Secundum naturam fieri, cùm multis modis dicatur, in eum tamen sensum frequentiùs accipiendum est, ut significetur, quod primâ ratione à naturâ fit, & quasi finis ab eâ intenditur, non quod ex consecutione quâdam aliis succedere consuevit; talis motus secundùm naturam est, cùm ex se aliquid, insitâque naturâ suâ movetur: ut, motus cordis, qui in pulsibus fit, est operatio, & ea quidem secundum naturam, qui verò in palpitationibus fit, is & à corde fit, sed p. n. à causis morbidis exagitato; unde etiam Palpitatio affectio est, & ea quidem præter naturam, 6. de placit. cap. 1. *Præter naturam* autem quicquid est, aut affectus sunt, à quibus functio læditur, aut causæ horum, aut symptomata, 3. de præsag. ex puls. cap. 1. differtque ab eo, quod est, *non naturaliter se habere*, 8. meth. cap. 9.

Sedes, vide *Unionis solutio*.

Sedimentum, est id, quod in urinæ parte infimâ subsidet, libr. de Urinis, capit. 16. Quod si ad supremam superficiem terminatur, dicitur *Nubecula*; si ad mediam regionem, *Suspensum*: si profundiori parte, inferioremque occupat locum, *Hypostasis*, ibidem, cap. 21.

Semeiosis, vide *Annotatio*.

Semeiotica, hoc est, *Adnotatrix*, medicinæ pars est, quæ de signis salubribus, insalubribus, & neutris agit, curationi morborum per victum, summè necessaria,

præterita, præsentiaque symptomata ad morbi causam inveniendam, & ad præsagiendum, diligenter inspiciens, lib. Introd. cap. 8. Σημειωτικὴ, pars est medicinæ signorum omnium differentias & vires expendens. Cùm autem signa multipliciter dicantur, ut Galenus in arte parvâ scripsit, certum est ad istam partem omnium contemplationem pertinere, sed eorum maximè quibus per morbos & præterita investigamus, & præsentia cognoscimus, atque futura prævidemus, uti ab Hippocrate proditum initio, libr. prognost.

Semen, ex Aristotele, est quædam pars utilis excrementi, à quo, & ex quo singula fœtûs membra efformantur, 1. de semin. capit. 14. Alii, *semen* nihil aliud esse dicunt, quàm sanguinem à venis, quæ ipsum continent, exquisitè confectum, 2. de sem. cap. 2. quod & *genitales vires* vocat, 1. prognost. 42.

Semicoctos humores appello, qui à ventriculi calore alterationem perpessi, nec tamen perfectè ab eo superati fuerunt, 4. simpl. cap. 15.

Seminarii meatus, vide *Parastatæ*, & *Glanduloſi assistentes*.

Semisyderatus homo, vide *Syderatio*.

Semitertiana, quæ *hemitritæus* dicitur, est febris, quæ ex quotidianâ continuâ, & tertianâ intermittente fit, 2. de differ. febr. cap. 7. ubi sequentem in modum de hâc febri loquitur: frequenter febris secundùm suam ipsius naturam, ex intermittentium genere est, ut tertiana; complexus autem quotidianæ febris, nullum integritatis tempus, priori circuitui relinquit, dum secunda accessio, antequam prior absolvatur, invadere anticipet; hanc ego febrem, compendiosæ, claræque doctrinæ gratiâ, uno volens appellare vocabulo, imposui ei nomen *Semitertianæ*, libr. de morb. temp. cap. 8. Sanè nonnulli ajunt, *Semitertianam* ita nominatam fuisse, veluti semicirculum, ipsam tertiani circuitûs dimidio minorem esse asserentes. Alii dicunt, *Semitertianam* appel-

appellatam fuisse ideò, quòd dimidio tempore tertianam superet : ut si tertiana accessio ex duodecim horis componatur, semitertiana duodecim ipsas horas tertianæ in sese comprehendat, eisque dimidium duodecim horarum addat, universæque simul evadant duodeviginti, libr. de Typis, 4.

Senecta serpentum est, crassissimus quidam lentor, & velut membrana, ex diuturnâ latitandi morâ, hyemis tempore, sub cavernis terræ contracta, temporis longitudine potiùs, quàm senescentis ætatis vitio facta, de Theriac. ad Pison. cap. 13.

Senes, à decrepitis nonnulli Hippocratis sectatores distinguunt, nomen *seniorum* ultimæ ætati tribuentes, *senes* autem in priori ætate statuentes, quæ media est inter juvenes & seniores. Aliquando *senes* vocat eos Hippocrates, qui extremam agunt ætatem, 2. aph. 31. estque id, quod propriè omnes homines *senectutem* appellant, non aliud, quàm siccum, & frigidum corporis temperamentum, annorum multitudinis ratione comparatum. 5. de tuend. sanit. cap. 9.

Sensifici nervi, vide *Nervi sensifici*.

Sensus indigentiæ, est sensus tactûs exquisitissimus, soli ventriculo, & maximè ori ejus superno, per conjugationis sextæ nervos molles, concessus, ad cibum sumendum animal ipsum excitans, & stimulans, 4. de usu part. cap. 7. qui *fames* nuncupatur, lib. 5. cap. 8.

Sensus vitiosus est omnis, qui perperam obitur, & oblæsus est, quando scilicet proprium sensibile non aut omninò sentitur, vel cum vitio sentitur, vel diminutè, vel depravatè, & sub specie peregrinâ percipitur, ut in auditu surditas, auditûs gravitas, obauditio : in visu cæcitas, visûs obscuritas, & depravationes quædam, lib. de sympt. diff. cap. 3.

Sepedonodes, id est, *putredinosos*, Græci vocant eos, qui ad putredinem sunt proni, & dispositi, 8. method. cap. 7. Σηπεδονώδης, *putredine vitiatus*; Σηπεδὼν, *putredo* est,

est, & σηπεδόνας humorum collectiones & putrilagines quâcunque in parte corporis redundent. Sive enim ad intestina descendant, & illic putrescant aut corrumpantur, putrida intestinorum ulcera gignunt, vel dysenterias; quales σηπεδόνας exponit Philotheus; Celsus, cap. 1. lib. 2. Cancros vertit; Galenus, humorum in venis putredines intelligit, unde oriuntur febres putridæ. Quod si fuliginosa & serosa excrementa putrescant in habitu corporis, cutis affectiones putres suboriuntur, ut Alopecia, Ophiasis phthiriasis, furfures, cutis putrilaginosa, & maligna ulcera, & carnium corruptiones.

Septa, quæ & *Septica medicamenta* dicuntur, sunt omnia, quæ tùm eliquare, tùm colliquare, ac potissimùm carnem tenellam consumere ferè absque dolore possunt, hujusmodi sunt Arsenicum, Auripigmentum, Sandaraca, Chrysocolla, Aconitum: Vocantur autem *Septica*, seu *putrefacientia cum putredine*; symptomatis autem similitudo, ut sic appellemus, efficit, inter hæc autem numerantur & *Cathæretica*, hoc est, *Detractoria*; quæ extimam modò superficiem, quam tetigerint, detrahunt, & conficiunt, non tamen in altum subire corporis & sævire valent; ut, Alumen, Galla, Omphacium, Æs combustum lotum, 5. simpl. 15.

Septum transversum, vide *Diaphragma*.

Serapium, vocat Actuarius potionem eam, quam hodiè *syrupum* voce magis barbarâ nominant; sic verò vocant, quando medicamentosi succi & liquores, cum melle, vel saccharo, donec concreverint, coquuntur. Dividunt Seplasiarii *syrupum* in brevem & longum; *brevem*, quod parùm aquei humoris in se habet, appellant, alioque nomine *communem* vocant, *longum*, quòd humoris aquei multum obtineat, nominantq; aliâ voce *decoctum*; quin & dividunt in *communes* & *magistrales*.

Serosum recrementum, vide *Ochema*, τροφῆς.

Serpigo, vide *Herpes*.

Sesa-

Sesamoidea ossa, à sesami leguminis minuti specie sic dicta, quæ multis manuum, & pedum articulis, natura ex abundanti, velut auctarium circumponit, securitatis gratiâ, 2. de usu part. cap. 12.

Sessilis verruca, vide *Formica*, & *Myrmeciæ*.

Sextans, pendet uncias duas, 4. de compos. medic. per gen. 14. Sextarius pendet heminas duas, quartarios quatuor, acetabula octo.

Sicca, & *valida frictio* est, quæ corpori foris adhibetur, ad curandam quodammodò lassitudinem nullo humido, aquâ videlicet, vel oleo, foris corpori circumfuso, 2. simpl. cap. 25.

Siccus hydrops, vide *Hydrops*.

Sief, vide *Collyria*.

Sielismus, Σιελισμὸς, est salivæ copiosissimæ in os affluxus, sive ab humidiori capite in glandulas, ad radicem linguæ sitas; sive à ventriculo, multâ pituitâ redundante, quæ ex eo secundùm gulam in os prorepit, & refluit multoties, etiam absque vomitu, 8. de compos. med. loc. cap. 4.

Sigmoeides apophysis, dicitur processus unus Omoplatæ, quòd instar antiquæ Græcorum literæ C, cavus sit, qui & *Ancyroeides*, & *Carocoeides*, appellatur. Dicitur & hoc nomine sinus seu cavitas semicircularis in cubito, inter duas cubiti apophyses comprehensa, in quam brachii extremum, trochleæ simile inseritur. Refert quoque figuram C, unde σιγμοειδὴς, vel σιγμοπαιδὴς appellatur.

Sigmoeides membranæ, seu *cartilagines*, sunt tres tunicæ, quæ in venæ cordis arteriosæ orificio visuntur, quæ pulmonem alit, intus foràs spectantes, quas à figurâ Græcæ literæ Σ, (qui accuratiùs tractarunt Anatomas) *Sigmoeides* appellarunt, 6. de usu part. 14. *Sigmoeides* quoque dicuntur, cartilaginum asperæ arteriæ extremæ partes, quæ Sigma literæ figuram referunt, 4. loc. aff. 6. vide *Cricoeides*.

Signa

Signa aliqua *mala* sunt, tùm ut signa, tùm ut causæ: ut *signa* quidem, quoties ex difficilioribus fiunt affectionibus; ut causæ verò, quoties ipsa rursus alias committunt & concitant pravas affectiones, pessimaque inducunt symptomata, prognost. 49.

Signa judicatoria, vide *Decretorius dies*.

Significatio febris, vide *Insultus accessionis*.

Sinus hepatis pars, est concava ipsius pars, quâ ex parte prodit vena porta; Unde per Mesaraei venas alimentum à ventriculo, primisque intestinis jecur attrahit; cujus opposita pars, *convexa* & *gibba* nuncupatur, 4. de usu part. capit. 13.

Similare membrum (quod & simplex, homogeneum, & prima corporis particula, quæ ex primis constat elementis, & ex quâ partes organicæ conflatæ sunt) est, cujus quamcumque partem sensibilem sumpseris, erit illa toti similis in nomine, & definitione, sicut os & caro, de anat. viv. cujusmodi sunt arteriæ, venæ, nervi, ossa, cartilago, ligamentum, membrana, caro, libr. de morb. differ. cap. 3. vide *Instrumenta*.

Simplex morbus, vel *Compositus*.

Simplicem febrem vocat Hippocrates quæ mitis est, & cum signis tutis cumprimis: sic dicitur *Febris ephemera*, 1. crisi. 16.

Sinapismus, est medicamentum vehementer calidum, ex sinapi compositum, capiti conveniens, 3. loc. aff. 4. Simplicissimus quidem ille est, qui solo sinapi constat, trito & apposito: quo tamen non contenti Veteres sinapismum ita præpararunt: fici pingues tepidâ aquâ pridiè macerabantur, postridie manibus diligenter expressæ contundebantur: deinde sinapim quam acerrimam, qualis est Syriaca vel Ægyptia, privatim terebant, adjecto interim ficuum cremore, quo facilius teri posset, nec tamen aquosum evaderet, postremò in offas simul hæc cogebant. Si sinapismum vehementiorem facere fuisset in animo, binas sinapis portiones

ad

ad unam ficuum addebant: sin invalidiorem, contrà, si moderatum, æquas utriusque partes commiscebant. In mollioribus autem corporibus sensuque præditis, exquisito, & in quibus circa superficiem affectio est, panem pro caricis miscebant, aut ipsum sinapi aceto macerabant, antequam detereretur, quò magis domaretur ejus acrimonia, quod aceto vis sinapis frangatur. Ita paratus sinapismus vel illinebatur, vel linteo exceptus admovebatur, & quantum opus est sinebatur: Temporis autem spatium certo definire non licebat; Quare frequenter levandum erat cataplasma, & considerandum, an subjecta pars ruborem contraxisset, præsertim si sensu hebetiore prædita esset. Quod ut celeriùs fieret, partem ipsam spongiis aquâ calente madentibus fovebant, incumbente adhuc cataplasmate, nec soluto: deinde, ubi satis calere, rubere, & tumere videbatur, sinapismum eximebant, pòst, in balneum ducebant, deinde rosaceo partem illinebant, aut hapso lanæ rosaceo & aquâ imbuto, vel malvâ coctâ tritâque cum pane integebant, donec nihil ex sinapismo mali supereesset. Efficacissimum est remedium longis & deploratis ferè valetudinibus, cùm jam inveterati morbi cæteris præsidiis non cesserunt. Pollet enim plurimùm adversus vetustos capitis dolores, hemicranios, lethargicos, comitiales, insaniam, vertigines sive capiti, sive cruribus admoveatur. Valet & ad orthopnœas, asthmata, longas tusses thoraci impositus. Diuturnis stomachi & intestinorum affectionibus, inappetentiæ, sciatchiadi, arthritidi, paralysi, perfrictionibus, quæ calori non cedunt, medetur. Sed modum adhibere oportet, desistendumque à medicamento cùm locus jam multùm intumuit, & inflammatione cingitur, caro turgens succrescit, & cicatricosa livet, & post balneum pustulis leniter exasperatur: neque est committendum, ut partem sensus deficiat ardore nimio victam & velut obstupentem. Non est autem id remedii genus adhi-

adhibendum acutis morbis, in exulceratione pulmonis aut alterius internæ partis vel externæ, quod ulcera sinapis acrimoniâ irritentur, ut nec particulis cartilaginosis & carne viduis, quoniam sinapismo facilè urantur & nigrescant.

Sinciput, est anterior capitis pars, supra frontem sita, capillis intecta, libr. Introd. cap. 10. vide *Bregma*.

Singultuosa febris est, in quâ ægri singultiendo rodentem, acerrimumque humorem vomunt, à quo tamen symptomate febrientes sunt liberati; verùm febris hujusmodi, nequaquam *singultuosa* dici debet, nisi *singultus* per totum morbum, simul cum febre, ægrum excruciaverit, 4. acut. 69.

Singultus, λύγξ, est veluti convulsiva quædam oris ventriculi affectio, quoties illud ex humorum copiâ gravatur, vel mordetur, vel propter frigiditatem contristatur, com. 1. in 1. prorrhet. 23. Accedit etiam ex immoderatâ inanitione, 4. acut. 69. Non autem *Singultus* est vera convulsio, utpotè quæ in solis musculis accidit; ventriculus autem nec musculus est, nec ejus os, 3. de caus. sympt. cap. 2.

Sinus, qui & *Vomica*, est solutio continuitatis in carnosâ parte: fit cum sanguinis quâdam in mediam regionem, partium inanem & porosam affluxione; ic quod abscessui, & sinui commune est; pars affecta, in exteriore summitate occlusa, os nullum habet, & absc cessisse ipsa dicitur à subjectis partibus, cum ejusmodi in ipsam quædam fit fluxio: affectio verò *abscessus* propriè, sive *apostema* vocatur; at ubi aliquâ ex parte aperta est, ut, qui continetur, humor indè excernatur, non ampliùs *abscessus*, sed *sinus* jam appellatur, 2. de hi quæ in medic. 27.

Sinus rectus appellatur, cujus os in inferiore parte fundum in superiore est; *obliquus*, cùm in latus declinat. Fiunt contrario etiam modo *sinus*, quibus deorsum fundum, sursum verò os vergat; quibus neuti

quam

quam fundum, quò facilior saniei exitus pateat, aperimus, 2. de his quæ in medic. 28.

Sinus vulvæ, vide *Cornua*.

Siræon, vide *Apothermus*.

Siriasis, est inflammatio Cerebri, & membranarum ejus, quam consequuntur sincipitis, & oculorum cavitas, febris ardens, pallor, totius corporis siccitas, & inappetentia. Morbus hic infantium proprius esse dicitur, cui nomen inditum est à sincipitis cavitate: σηρὸν enim Græci appellant foveam: in quâ semina recondunt & asservant. Scribitur & σήριασις.

Sitis, Græcè δίψος, potionis desiderium est, id est, appetitus frigidi, & humidi.

Solidas corporis partes, vocant Medici ossa, nervos, cartilagines, ligamenta, tunicas, musculos, membranas, arterias, lib. Denotatio dogmatum Hippoc. quas etiam particulas, *Elementares*, *Similares*, & *Simplices* appellant, 1. de natur. fac. cap. 7.

Solutio morbi, simpliciter est illa, in quâ vel virtute, vel morbo, sensim emoriente & devicto, vel morbus, vel finitur, 3. crisi. 1.

Solutus, est, & dicitur *Paralyticus*, qui laxatos habet articulos, 5. de compos. medic. per gen. cap. 2.

Sopientia, vide *Anodyna*.

Sopor, aliàs, *Coma*, propensio, delatióve in somnum est, cùm vigilare ægri nequeunt, non habentes apertos oculos, sed conniventes, alto somno, vel tenui, quin & vigiliis detinentur; idque accidit, vel humectatâ plus nimis eâ parte cerebri, quæ sensûs fons est, ut in ebriis, vel ejusdem intensissimum ob solum frigus; aliquando ob utrumque, quin & propter virium imbecillitatem adeò jam emorientium, ut apertas palpebras moribundi servare nequeant, com. 1. in 3. de morb. vulg. 7. vide *Caros*, & *Coma*.

Soporariæ arteriæ, vulgò *Carotides* dicuntur, sunt duæ illæ, quæ ab arteriâ magnâ sursum ascendente, post-

quàm ex thorace exiens, ac claviculas transgressa, in medium jugulum pervenit, generantur, 1. de placit. cap. 7. vide *Curotides*.

Sordes, crassius nutritionis excrementum est; in ipsâ enim primæ carnis generatione duplex excrementum provenit, quod omnem qualitatis alimenti mutationem superat; alterum, *crassius*; alterum, *tenuius*: quod tenuius est, ipsa est *insensilis perspiratio*, quæ etiam subindè fit visibilis, quoties vel naturalis calor languet, vel nutrimento utitur, quàm justum sit, ampliore, vel motus quispiam vehementior animali contingit; alterum, crassius, sunt ipsæ *sordes*, quæ in summo corpore nostro colliguntur: quin etiam in ulceribus, tenue excrementum, *Sanies*, Græcè, *Ichor*, apellatur; quod crassum est, *Sordes*, ex priori excremento, ulcus, humidum redditur; ex crasso, sordidum, 3. method. cap. 5. vide *Ichor*.

Sorici cauda, sive *Soricinus*, vide *Myurus*.

Sparganosis est, dum ob lactis redundantiam, mamillæ tumefactæ sic distenduntur, ut copiam hanc vix ferre queant, lib. 2. ad Glauc. cap. 2.

Spasma, vide *Rhegma*.

Spasmus, id est, *Convulsio*, musculi est ad suum principium contractio, vide *Convulsio*. Inde *Spasmosus affectus*, id est, *Convulsivus*, qui in suo principio, aut non multò pòst, quàm fieri cœperit, convulsionem accersit, com. 3. in 1. prorrhet. Sic *convulsivum affectum* appellant, qui ante mortem necessariò convulsionis aliquod periculum inducit, 1. de præsag. ex puls. *Spasmosus* autem *pulsus*, sive *convulsivus*, est pulsus inæqualis in unâ pulsatione, & diversis arteriæ partibus, & ejusmodi quidem, in quo utrinque ab extremis retrahi, tendi, convellique arteria videtur, in modum chordæ tensæ.

Spasmus oculi, vide *Mollities*.

Spata, vulgò *Spatula*, Instrumentum est, quo Pharmacopolæ confecturas in cacabo, seu mortario movent,

vent, 1. de comp. medic. per gener. capite quarto.

Spathomela, vide *Laminas*.

Sperma, *Spermaticæ arteriæ*, *Spermaticæ venæ*, *Spermatici pori*, vide *Semen*, *Glanduloſi aſſiſtentes*, & *Paraſtatæ*.

Sphacelare, Hippocr. in lib. de fract. & artic. pro *corrumpere* uſus eſt; *Sphacelus* autem eſt corruptio ſubſtantiæ uniuscujusque partis, que *ſphacelari* dicitur: partis carnoſæ autem interitum, ex magnitudine inflammationis, propriè Medici *Gangrænam* nominant, 7. aphor. 50. *Sphacelon*, in ſpecie etiam vocant *oſſis cariem*, 14. meth. 17. *Sphacelos* vocem, ſunt qui dicunt, *vehementem dolorem* declarare; alii tantùm inflammationis exceſſum, qui partem ad corruptionis periculum deducat, 2. loc. affect. 7.

Sphacelodes hemicrania, id eſt, alterius capitis partis convulſorius dolor, 2. loc. aff. cap. 7.

Sphacelos, vide *Sphacelare*, & *Syderatio*.

Spæromata, vide *Nates*.

Sphage, vide *Anticardion*.

Sphagitides, id eſt, *Venæ jugulares*, 5. meth. cap. 4.

Sphenois os, (quod & *Polymorphum* appellatur, libr. Introd. cap. 12.) eſt, quod ad cunei ſimilitudinem, ex utroque latere Calvariæ ad palatum tendit, ſuperiorem maxillam conſtituens, cujus oſſis apophyſes utrimque concavæ, ab alarum ſimilitudine *Pterygodes* nuncupantur, lib. de oſſib. cap. 1.

Sphincter, quaſi conſtrictor, ſeu conſtrictorius, eſt muſculus conſtringens orificium recti inteſtini, & veſicæ urinariæ, 6. de anat. adm. 4. vide *Rectum inteſtinum*.

Spicilla, vide *Laminas*.

Spina, eſt omnium vertebrarum, quas *ſpondylos* vocant, baſis, compages, & ſtructura: ſumitur & *ſpina* aliquando pro *medullâ ſpinali*, 3. loc. aff. 10. vide *Dorſum*, *Myelos*, & *Medulla ſpinalis*.

Spirationem naturalem appellat Hippocr. ſpirationis

facilitatem, quæ neque thoracem, neque cor, aut pulmonem, neque præcordia p. n. affecta, aut dolore aliquo infestata, quin etiam neque partes quasdam iis adjunctas, ventriculum, lienem, jecur, ægrotare significat, 1. prognost. 25.

Spirituosos appellat Hippocrates eos duntaxat, qui copiosum aërem inspirant, & aëre multo indigent, 4. acut. 115.

Spirituosus, vide *Sanguineus*.

Spiritus, πνεῦμα, præcipuum est naturæ simul & animæ instrumentum, quo omnes functiones muniaque exequitur substantia aërea, calida, levissima, tenuissima, omnes in corpore motus naturales ciens; est enim tertia substantia corporis nostri constitutiva, contra distincta aliis duabus solidis, & humoribus, ejusdem planè cum calore nativo originis, & temperiei, cujus caloris est perpetuus comes; nam cùm ad vitæ munia oporteret calidum innatum per omnia diffundi, is verò singulis solidis partibus, insitus & fixus, & immobilis sit; ei natura spiritum socium ascivit, qui ipsum, suo celeri motu, quò necesse erat, deduceret. Estque tanta *spiritui* cum calore nativo substantiæ communio, & operis societas, ut par sit ejusdem essentia, natura, & proprietas; ut non immeritò Hippocrates *spiritus* vocârit, impetum facientia, à sui motûs celeritate. Aliquando Hippocr. absolutè ipsam respirationem, vocat *spiritum*, com. 4. in 6. de morb. vulg. 4. unde & *densum*, & *rarum spiritum*, id est, *respirationem tardam*, & *raram* vocitabat, 1. de difficult. resp. cap. 2. Interdum ab eodem, aër inspiratu attractus, qui respirationis, vocisque materia est, *spiritus* appellatur, 1. acut. & in prognost. Aliquando *flatus ipse*, quo nervosa & musculosa corpora distenduntur, *spiritus* appellatur.

Spiritus animalis, est primum animæ instrumentum, in cerebri ventriculis contentus, ad sensificam & motricem vim in universas corporis partes transmittendam;

dam, procreatus, 4. loc. aff. 2. *Spiritus* equidem, qui in arteriis continetur, *vitalis*, & est, & dicitur; qui in cerebro, *animalis*, non quòd de substantiâ animæ sit, sed quòd primum ejus illic habitantis sit instrumentum, qualiscunque substantia ejusdem fuerit, qui ex vitali perfectiùs concocto, & in cerebri anfractibus elaborato, conficitur; qui animalis spiritus, nequaquam animæ domicilium, sed primum tantùm ejus instrumentum est, eò quòd, cùm ex vulneratione fuerit evacuatus, illicò animal quasi mortuum collabitur; cùm iterum colligitur, reviviscit, 7. de plac. capit. 3. *Spiritus animalis*, exhalatio quædam est sanguinis benigni, 6. de usu part. 17.

Spiritus asper, à quibusdam appellatur is spiritus, qui cum sono & stertore ducitur, sive ob angustiam loci, quo ille redditur, sive ab humoris copiâ, 3. de artic.

Spiritus densus, est brevis spiratio, sive motus respiratoriorum organorum, per breve tempus factus, 3. de diff. respir. cap. 10. vide *Inspiratio densa.*

Spiritus detentio, est respirationis ad plurimum tempus voluntaria cohibitio, per quam & singultus, & oscitationes sanantur, 3. de diff. respir. capit. 10.

Spiritus flatuosus, qui & *Flatus* appellatur, crassus, ac vaporosus flatus est, secundùm substantiam aërius, atque tenuis; Cogita verò ejus naturam ex circumstante nos aëre, in memoriam revocans, qualis in Austrinis constitutionibus, & qualis in Aquilonaribus fiat; ei enim, qui in Australibus, assimilatur flatuosus; alteri verò, qui in Aquilonaribus, is, qui in nobis secundùm naturam est, spiritus comparatur, 2. Glauc. 6. vide *Flatus.*

Spiritus inter exeundum offendens, vide *Exspiratus.*

Spiritus naturalis, vide *Spiritus vitalis.*

Spiritus sublimis est, qui sublimioribus thoracis partibus inspiratur, 4. loc. aff. 7.

Spiritus vitalis, à Cordis facultate naturali genitus,

in arteriis continetur, nutriturque respiratione, attracto aëre & sanguine; quòd si naturalis quoque spiritus est, utique is quoque in jecinore, & venis continebitur, 12. meth. 5.

Spirituum interceptio, vide *Interceptiones spirituum.*

Spissum corpus, vide *Rarum.*

Splen, sive *Lien*, corpus est rarum admodùm, ac laxum instar spongiæ cujusdam, ut succos crassos, & melancholicos facilè attrahat, & excipiat, hepar ab illis expurget, eosdemque conficiat; unde ipsum *Parenchyma*, id est, *affusionem*, nominant, 4. de usu part. cap. 15. cujus *simæ partes*, seu *concavæ* jecur, & ventriculum spectant, *gibbæ* his opponuntur, capit. 16. Ejusdem lienis corpus tantò est rarius hepate, quantò est crassius pulmone, cap. 15. Quia autem nigro sanguine compositus est, idcirco non modò nigricat, & prominentibus quibusdam tuberibus inæqualis est, sed etiam familiaritate suæ substantiæ, quicquid atri humoris ac fæcis est in sanguine, ad se attrahit; hoc enim illi à naturâ propriè tributum est. Trahit autem per eum venæ portæ ramum, qui superior & minor est. Ac ejus quidem fæcis parte sibi cognatâ magis & familiari, per arteriarum præcipuè calorem & motum elaborata nutritur: reliquum autem excernit nunc in portam & intestina per eundem portæ ramum, nunc in ventriculi latus sinistrum, per insignem venam ex summo aut propinquo in lienis simâ ramo prodeuntem: nunc in sedem per hæmorrhoidas, nunc in renes per arterias ab aortâ supra renes natas. Id quoniam debuit esse fæculenti sanguinis receptaculum, prævidens natura ne facilè obstrueretur, duo præsertim illi remedia comparavit, substantiæ raritatem, & arteriarum copiam. Est enim valdè laxus & spongiosus, habetque tum plures, tum grandiores arterias, quàm magnitudini suæ conveniat, ab aortâ quâ per lumbos fertur, prodeuntes. Situs est in hypochondrio sinistro, quâ ven-

ventriculo incumbit cavus, quâ verò septum contingit, leviter gibbus. Tunicam habet à peritonæo, nervulum autem à ramo sextæ conjugationis, qui siniſtrarum costarum radicibus inseritur: Neque enim expediebat majores eum nervos habere.

Splendentem urinam vocavit Galenus, quæ & flava est, & peculiari, ac propriâ mistione constat, ita ut gemini coloris esse videatur, & rufi, & rubei; splendorem enim à rufo, nitorem autem à rubeo accipit, lib. de urin. cap. 4.

Splenia, vide *Plagulæ*.

Splenica vena, est ramus siniſter superior & minor venæ portæ, qui totus per lienem spargitur; nam cùm vena porta in duos præcipuos ramos mesentericum videlicet & splenicum distincta sit, *hic* in lienem abit, *ille* in mesenterium diffunditur.

Splenici, dicuntur ii propriè, qui induratam splenis scirrhosamque substantiam habent: non quibus inflammatum viscus est, 9. de compos. med. loc. cap. 2. quamvis ita dici possint omnes qui ex liene laborant. Evadunt autem lienosi, à copiâ melancholici humoris lieni infarcti, quam defluxiones, & fœdus corporis color subsequitur: Unde fit, ut humore melancholico sub morbi finem crisimque per alvum erumpente, dysenteria promptè excitetur: quæ si diutius perseveret, omnino lethalis est; sin brevi finiatur, magnâ ex parte salutaris est, ut est apud Hipp. aph. 43. & 48. lib. 6.

Spondylus, *Sphondylus*, *Spondylon*, & *Vertebra*, idem significant; sunt autem viginti quatuor ossa, quibus Rhachis, id est, Spina, constituitur; tot enim sunt in homine secundùm naturam se habente: aliquando verò plura, aliquando pauciora visa sunt, omnia cava & forata, spinam habent, & apophyses obliquas, & transversas, descendentes, & ascendentes. vide *Dorsum*.

Spongoeidea ossa, vide *Ossa Ithmoeidea*, & *Cavernosa ossa*.

Spontanea vocantur *ulcera*, quæ ex mordente humore oriuntur, qui sistitur in exitu, ac tardat, extremamque cuticulam solam, propterea quòd ab eâ remoratur, tùm erodit, tùm exedit; quam nec ipsam, si eandem quoque sudoris vice transiret, ulceraret, 14. method. cap. 17.

Spontaneum, apud Medicos dicitur, non quod sine causâ fit, sed quod nostrâ causâ non fit: item quod fit absque opera Medici, solius naturæ vi, 6. aphor. 14.

Sponte evacuari ex corpore dicimus, quæcunque sine aliquâ Medici operâ excernuntur; ea scilicet, quæ nostrum regit corpus, potentiâ ipsum expurgante, aut quæ ex irritamento aliquo, aut quia à vasis non continentur, rejiciuntur, 4. aphor. 2.

Sporades morbi, sive *Sporadici* sunt, qui sparsim privatimque prehendunt, ægros discrepanter fatigantes, neque secundùm communem modum constantes, 1. acut. 9. vide *Communi*, & *Endemius*.

Sporades venæ, sunt propagines quædam venæ maximæ cavæ, trunci, in totum crus ab interiore ipsius parte per inguina procurrentis, inordinatæ, ad cutem permeantes, modicis intervallis dispersæ, 3. de anat. adm. cap. 12.

Spuriæ costæ, vide *Illegitimæ*.

Sputamen, est *Sputum*, cui aliquid alieni humoris est admistum: ut bilis, sanguinis, sanici, 1. de cris. 5. *Sputum* autem, quod secundùm naturam se habet, est, cui flavum aliquid admistum est, ibidem.

Sputum appellatur, non quod sanguineum, biliosum, atque spumosum est; tale enim propriè *sputamen* nominamus, sed quod neque sanguini, neque bili pallidæ, vel nigræ commistum, spuendo rejectum fuerit, 1. de cris. 5.

Spyratus, vocant Caprarum dejectiones; sunt autem hæ siccæ, atque id quod excernitur propriâ circumscriptione rotundum, circumductumque existit. Cùm igitur

igitur quis hoc pacto, ſicca, & circumducta dejecerit excrementa, *Spyratode*, id eſt, *in ſpyras voluta*, appellantur, fiuntque talia, & quod pluſculo tempore retineatur, & propter copiam igneæ caliditatis, comm. 1. in 1. prorrhet. 6. quæ & *Scybala excrementa* vocantur; vide *Scybala excrementa*. Σπυρηδὸν dicuntur Galen. caprarum ſtercora, & pilulæ ſtercoris caprini, quas ad muliebres morbos, & uteri ſuffitum uſurpat Hippocr. σπυρηδόνες κριθίνου ſunt apud Hippocratem alvi ſiccæ & duræ, & quæ caprinis ſtercoribus ſimilia reddunt.

Squamoſæ agglutinationes, quæ & *Mendoſæ commiſſuræ*, & *Temporales* dicuntur. vide *Lepidoeides*.

Staltica medicamenta, quę carnes vulneribus æquant. lib. de Dynam. in procœmio.

Staphyle, eſt carnoſa quædam particula, quæ in ſummo ore apparet pendula, ſi quis, aperto plurimùm ore toto, linguam deprimat; hæc ipſa caruncula duobus nominibus appellatur, à veteribus Græcis, *Gargareon*, & *Cion*, hoc eſt, *Gurgulio*, & *Columna*; Cæterùm, poſteriores Medici ferò omnes non ita, ſed *Cionidem*, id eſt, *Columellam*, vocant: nam qui *Staphylen*, id eſt, *Uvam*, & *Acinum*, ipſam appellant, eorum non meminiſſe præſtat. Propriè enim non particulam illam, ſed unam aliquam ejus affectionem, *Staphylen* ſive *Uvam* nominamus; rarò autem hæc affectio circa columellam contingit, tametſi ſæpè inflammetur graviſſimè, 6. de comp. med. loc. cap. 3. & libr. de anat. viv. Eſt igitur *Staphyle*, non illius partis inflammatio, ut quidam putant, ſed quædam illius paſſio, in quâ tota Columella laxata, extremâ ſui parte major eſt, & livida; ſuperna verò tenuis, ut ſimilitudinem fructus uvæ, unde nomen accepit, præ ſe ferat; Latini, *Uvam*, & *Uvulam* nominant; Galenus ibidem.

Staphyloma, eſt oculi morbus, cùm in ſummâ tunicâ, quiddam acino ſimile evenit, 2. meth. cap. 2. Σταφύλωμα differentia una eſt ἡ ἀσπιλώσεως, cùm ſcilicet

erosâ ruptâve tuniculâ corneâ, altera ei subdita, quæ ῥαγοειδὴς dicitur, excidit ad eum modum, ut acinum uvæ repræsentet. Cùm enim infra istum modum excidit, μυοκέφαλον; cùm modum hunc superat, μῆλον vocatur, ut docet Paulus, lib. 3. cap. 22. Interdum verò aliter fit σταφύλωμα, sine ruptione aut erosione corneæ, quando ipsa cornea intumescit certâ quâdam parte, atque attollitur, & prominet in modum acini uvæ. Id quod plerumque contingit ex defluxione, humoribus intra corneam coacervatis, quos ea propter imbecillitatem sustinere non valens, laxatur, & quasi incurvatur, apparetque veluti acinus uvæ exertus, qui Staphyloma appellatur. Differunt inter se hæ duæ species staphylomatis, quod una integrâ fiat corneâ tunicâ, tumorque ipse candidior appareat; altera verò fiat eadem ruptâ aut erosâ, in quâ quod prolabitur, cæruleum aut nigrum cernitur. His addit & tertiam speciem Aëtius, libr. 7. cap. 34. scribens aliquando fieri ex pustulâ quâdam inter strias corneæ tunicæ satis profundè excitata, quæ tunicam attollat, non tamen rumpat. Causæ hujus *staphylomatis* variæ esse possunt, sed quæcunque ea fuerit, certum est visum omni *staphylomate* aboleri.

Statum, ab Hippocrate solere non temperamentum tantùm aëris præter naturam, sed etiam omnem cujusque rei formam appellari, recordemur, com. 3. in 3. in morb. vulg. in procœmio.

Status morbi, est vehementissima totius morbi pars, 1. de cris. 8. vel *status morbi* aliud non est, quàm morbi, quantùm ad casus, & symptomata attinet, maximum, 1. aphor. 7. vide *Consistentia*.

Steatocele, affectio est scroti, succrescente in eo quopiam sevo simili corpore, lib. Introd.

Steatoma, vide *Atheromata*.

Stegnosis, *Stipatio*, cutis vitium, quo per occultos meatus prohibetur transmitti, quod superfluum est, excrementum fuliginosum, obstructis, sive densatis meati-

meatibus, quam denſitatem μύσιν, id eſt, *conniventiam*, vocant, 3. de ſan. tuend. cap. 10.

Stegnotica medicamenta, hoc eſt, *obſtruentia*, quæ ſenſibiles excretiones cohibent; corpus enim quod claudit, & continet in ſe, nec quicquam quod ſenſu queat percipi, ex ſeſe emittit, Græcè στέγνον, ſive *Stegnoticum* nuncupatur, 5. ſimpl. 14. vide *Obſtruentia*.

Stelechiæa, vena eſt ſuperficiaria, & caudicis more ſita, unde omnes aliæ venæ, ſanguineis ac pedeſtribus animalibus procedunt, 6. de anat. adm. cap. 8. Eſtque vena magna, ad portas jecoris ſita, aliarum omnium caudex, ibid. cap. 10.

Stephaniæa, ſive *Coronaria* vena, ſutura, & os, vide *Coronale os*.

Stephanos, *Corona*, & *Iris*, ſunt locus ille communis, in quo univerſæ oculi tunicæ ſimul committuntur, 14. method. cap. 19.

Sternon, eſt anterius thoracis os, ſive os pectoris, 7. de anat. admod. cap. 2. Sedes enim omnibus coſtis duplex eſt; prior, *Sternon*, id eſt, *pectoris os*; poſterior, *Vertebræ*; quæ totidem numero omnino ſunt, quot & coſtæ habentur, duodecim inquam; enimverò pectoris os, unum quidem os apparet, membranis autem detractis, quòd & plura oſſa ſint, & numero totidem, quot cum eo coſtæ dearticulantur, palàm innoteſcit, 8. de anat. adm. cap. 1. Tenerum admodum eſt recens natis, ut oſſium pars plurima & epiphyſes omnes, nil aliud quàm cartilago. Deinde verò in medio inter coſtarum articulationes paulatim ſicceſcit: utique tamen unumquodque ejus os rotundiſſimum eſt. Quod reliquum eſt omne ſingula hæc oſſicula ambiens, cartilago adhuc eſt, coſtarum cartilagini tam ſimile, ut idem videri poſſit. Cæterùm parte *ſterni* imâ cartilago triangula adnaſcitur, quam ξιφοειδῆ appellant. *Sternon* manubrio, cartilago gladio ſimilis videtur.

Sternutatio, maximum remedium capitis halitibus repletâ

repleti est, quâ uno impulsu, tùm à pulmone, tùm à capite spiritus emittitur copiosissimus, ad expurganda ea, quæ in anterioribus cerebri ventriculis, & in naribus offendunt, 2. de caus. sympt. cap. 4. *Sternutatoria* verò *medicamenta* sunt, quæ naribus admota, vapore ad cerebrum sublato, crassitudinem humoris attenuant, & per nares seu palatum cerebrum expurgant, 13. method. 21.

Stigmata, inter cutis vitia numerantur, & dicuntur non puncta, sed maculæ punctorum magnitudine suâ & formâ hominis cutem & superficiem deformantes, ac variantes; *Vermicatam* vulgò nominant.

Stomachi paralysis, symptoma est virtutis attractricis stomachi, cùm alimentum aut omninò trahere non potest, aut quam trahit debilissimè, 3. de sympt. caus. c. 2.

Stomachicos eos appellant, qui appetentiam perdiderunt, & quibus post acceptum cibum, ventris os gravatur, atque opprimitur, ægros intolerabilis anxietas habet. Appellant *stomachicos* etiam illos, quibus nausea contingit, & maximè si ad vomitum impellantur, & iisdem simul cibi corrumpantur, quandoque acidi, quandoque nidorosi facti, quandoque aliam vitiatam qualitatem adepti. Insuper eos *stomachicos* appellant, quibus ructus hujusmodi cum molestiâ quâdam, anxietate, & subversione contingunt, sæpè cùm nondum cibum acceperunt: quin etiam, quibus per plurimum tempus cibi in ore ventris morantur, gravantes, & vix descendentes, tales etiam *stomachicos* appellant. Alios item appetitum caninum habentes, ut & plurima edant, & maximè gravati, paulò pòst revomant, vocant *stomachicos*. Alios rursus, qui fortiter exsolvuntur, ubi diutiùs inediam pertulerint, & si non citiùs cibum accipiant, in ore ventris morsus percipiunt, quorum aliqui etiam nauseosi fiunt, nisi citiùs potum ac cibum acceptent, *stomachicos* etiam vocant, 8. de compos. medic. loc. cap. 2.

Sto-

Stomachum, os ventris appellant Medici superius sive sinistrum, qui etiam *stomachica animi deliquia* appellant, & quosdam *stomachicos* esse dicunt: sic in eo loco oborto ab affectu p. n. appellantes, velut *Hepaticos* ab Hepate, *Colicos*, à Colo, *Nephriticos*, à Renibus, *Splenicos*, à Splene affecto, 2. de comp. med. loc. capit. 2. & 4. de caus. puls. 23. licèt *Stomachi* nomine collum, omni ventri præpositum, instar isthmi cujusdam angustum, intelligatur, 4. de usu part. cap. 1. quin & Oesophagus, *Stomachus* dicitur; vide *Oesophagus*. Est igitur *Stomachus*, os ventriculi, id est, meatus superior ventriculi, per quem cibi in ipsum ventriculum intromittuntur: aliud habet & ventriculus os infernum, quod Græci πύλωρον, per quod chylus descendit, vocitant; duobus enim nominibus, Veteres *Os ventriculi* nominabant *Stomachum*, & *Cardiam*, id est, *Cor*, propter consensum, quem habet cum corde maximum, 8. de compos. med. loc. Est autem στόμαχος maximo sensu præditus, & longè acutiore quàm reliquæ ullæ partes, propter duorum nervorum magnitudinem, qui à sextâ cerebri conjugatione in ipsum inseruntur: per eos & alimenti penuriam & rosionem sentit, ventriculique affectus cerebro, & contrà, ventriculo cerebri communicantur. Ad ipsum propriè pertinet appetentia, quam ut bene habens secundum naturam excitat, sic malè affectus inappetentiam, & vitiosum appetitum inducit. Situs est sub cartilagine ξιφοειδεῖ, quam ob id natura videtur comparasse, ut ipsius esset propugnaculum.

Stomatica medicamenta sunt, quæ modicè siccant; sic vocata, quòd in assiduo sint usu; cujusmodi sunt, quod ex Moris conficitur, & quod ex Rubi fructu, & quod ex succo corticis juglandium viridis, atque etiam his magis, quod ex musto, & cupressi sphærulis componitur, 5. meth. 10. Στοματικὰ φάρμακα dicuntur propriè medicamenta, quæ ad uvas, tonsillas, & omnes quæ in ore fiunt, derepente inflammationes conveniunt Gale.

Gene

Generaliter verò dici possunt quæcunque gargarizata, illita, aut alio quovis modo admota, medentur oris affectibus: Nam & citra inflammationem ulcera admodum humida stomaticis medicamentis curantur.

Strabilismus, qui & *Strabismus* dicitur, est musculorum oculi, non omnium, sed aliquorum resolutio, ob quam causam, vel sursum, vel deorsum, vel in latera nuunt oculi, libr. finit. vide *Illosis*.

Strangulatio, est internecio, ob respirationis defectum facta; vel propter angustiam, & coarctationem alicujus spiritualium, id est, respirationi servientium organorum; vel propter virtutis thoracem moventis imbecillitatem; vel propter vitalis principii vehementem refrigerationem: Angustia autem fit, vel repletâ eâ regione, quæ inter thoracem & pulmonem media est, vel pulmonis cavernis & fistulis obstructis, vel inflammatione quâdam totum viscus habente, vel asperâ arteriâ, vel ejus arteriæ capite, quod Græci *Laryngem* & *Bronchon* nominant, Latini *Guttur*; vel illâ gutturi præjacente capacitate, quam Græci *Pharynga*, Latini, *Fauces* nominant, affectum quempiam repetiente, 4. aphor. 34.

Strangulatio uteri, & *apnœæ*, id est, spiritûs interceptiones, quæ mulieribus quidem assiduè, & præsertim viduis accidunt; fiunt innatâ caliditate, à multitudine materiæ frigidæ gravatâ, ad similitudinem flammæ, quæ præ multis humidis lignis suffocatur, 3. de diffic. respir. cap. 10. & 6. loc. affect. 5. Qui affectus à Græcis ὑστέρα, ἢ ὑστερικὴ πνῖξ, à quibusdam ἄπνοια ὑστερικὴ, dicitur: Latini autem, *uteri strangulatum, uterinam suffocationem*, vel *spirationis ob uterum privationem*, tùm à parte affectâ, tùm à superveniente symptomate appellant.

Strangulator, vide *Lycoeides*, & *Lupus*.

Stranguria, est vesicæ affectus, quo urina non retinetur, sed guttatim destillat, libr. finit. undè & *urinæ stil-*

ſtillicidium appellatur, 8. de placit. 6. Fit autem vel imbecillitate veſicæ, vel urinæ acrimoniâ, 3. de cauſ. ſympt. cap. 2. Cùm neque inflammatio, neque calculus, nec aliud quicquam infeſtat, ſi urina acris eſt, totus habitus, aut reliqua ſigna bilem oſtendunt, ex hâc vel δυσουρία, vel στραγγουρία contrahitur. vide *Iſchuria*, & *Cœliaca*.

Strictor, vide *Anulus*, *Rectum*, & *Sphincter*.

Strigmenta, ſunt particulæ quædam inteſtinorum, quæ in excretionibus bilioſis ſimul dejiciuntur, ſummâ inteſtinorum tunicâ humoris acrimoniâ derasâ, 4. de art. 31. vide *Rhypodea*.

Struma, vide *Chœras*, *Parotides*, & *Scrofulæ*.

Stryphna, vide *Halituoſa*.

Stultitia, eſt rationis deperditio, cum læſione memoriæ, & phantaſiæ, 3. loc. aff. 5.

Stupefacientia, vide *Anodyna*.

Stupor, inſignis eſt refrigeratio, idcirco corporibus ita diſpoſitis, & ſenſûs & motûs difficultatem inducit; quemadmodum completa refrigeratio, & ſenſum & motum omninò tollit, & paralyſin inducit. Equidem novi quoſdam adeò refrigeratis pedibus, ut primis quidem diebus ſenſus periret, ſequentibus deindè diebus emortui pedes putreſcerent, 2. loc. aff. 2. Eſt inſuper *Stupor* ſymptoma, quale dentibus evenit poſt eſum malorum immaturorum, & aliorum acerborum, & acidorum, proprio nomine appellatur ἀμωδία, 3. de aliment. facult. cap. 16. Eſt denique *ſtupor*, cùm nervus aliquo obſtruente, vel adſtringente cogitur, adeò, ut ſpiritus animalis ad membrum transmitti nequeat, hinc membra ſenſu & motu privantur, lib. de ren. aff. dign. cap. 3.

Styloeides, vide *Graphoeides*, & *Lithoeides*.

Stymmata, ſpiſſamenta ſunt, quæ oleis adduntur, aut odoris gratiâ, aut ut confecta diutiùs ab injuriis immunia permaneant, 2. de comp. med. per gen. 2. Στύμματα

μαπα dicebantur Veteribus unguenta solidiora & corpus habentia: Ea autem odorata erant; cujusmodi sunt, Costus, Nardus, Amaracus, Amomum, Mentha. Differebant ἀπὸ τ ὑδυσμάτων, quod liquida essent, nec ut σύμμαζα solida.

Styptica medicamenta sunt, quæ stringunt partes relaxatas, libr. de Dynam. in procœmio. Στυπτικὸν vel σύφον, adstringens, id dicitur, quod terreum est, & compagis quidem suæ mole crassarum partium, frigidum autem qualitate. Est autem adstringens duplex, sicut & calfaciens. Ut enim hoc partim simplex & summum est, velut ignis, partim per exsuperantiam caloris, ut Vinum, Crocus, Piper: ita illud vel summum est, ut exempli causâ, Alumen, Melanteria, Galla, & Rhus: vel modicæ cujusdam astrictionis particeps, velut Pyrum, Malum, Rosa. Est autem adstringens genus commune austeri & acerbi; Utrumque enim eorum adstringit, hoc magis, illud minùs. Omnia autem adstringentia contrahunt ac densant meatus, siccant, reprimunt: adhæc vinciunt & continent partium sibi invicem cohærentium substantiam, & vehementer refrigerant. Id quod de puris adstringentibus intelligi debet, quoniam plæraque ex dissimilibus particulis composita non adstringunt modò, sed & acria sunt aut pinguia, aut dulcia, aut amara, aut salsa, aut acida. Στύψις, *adstrictio*, per accidens calorem excitat & auget, conducitque ad concoctionem.

Subalarii vena, vide *Axillaris*.

Subcartilaginea, vide *Hypochondria*.

Subcinctura, vide *Diaphragma*.

Subcingentes membranæ, vide *Hypezocotes*.

Subclavium, vide *Cataclida*.

Subductiones, solitus est Hippocrates appellare per alvum exeuntia, 7. aphor. 64. Dicitur autem *Subductio*, de eà tantùm excretione, quæ per alvum fit, non de eâ, quæ fit per universum corpus, 2. aphor. 18.

Sub-

Subfasciationes, & *Subligamina*, vide *Epidesmus*, & *Plagulæ*.

Subligamentum, *Enæorema*, & *Nubecula*, apud Hippocratem sunt id, quod in urinâ, neque in summitate, neque in fundo vasis, sed in mediâ sede sublimè & exquisitè medium existit, licèt apud Galenum *Nubecula* sit id, quod supernatat in urinâ desuper, 1. progn. 26.

Sublimis spiritus, est externus aër, qui ob suffocationis periculum, toto thorace, in suspirios cynanchicis, suppuratis, peripneumonicis magnâ vi attrahitur; nam nobis inculpatè degentibus, solis inferioribus thoracis, quæ ad septum transversum sunt, partibus inspiramus; sin ampliorem spirationem requirimus, etiam partes infernis vicinas unà movemus. Ubi plurimâ indigemus respiratione, tùm partes etiam ad operta scoptula agitamus, totius thoracis validâ operâ utentes, comm. 2. in 3. de morb. vulg. 4.

Submissio, vide *Ablatio*.

Substitutas medicinas appello, quæ in alterius locum subrogari queunt, libr. de substit. med.

Subsultio, vide *Palpitatio*.

Subversio stomachi, aliquando appetitûs deperditionem, aliquando nauseosas affectiones ab accepto cibo factas, significat, 8. de comp. med. loc. 3.

Subversio volvulosa stomachi, appellatur fortis & contentiosus vomitus; nam quemadmodum in volvulis subversiones fiunt, cum magnâ contentione & violentiâ, adeò ut stercus etiam evomant; sic etiam alios vomitus violentiores concitatos quis appellare *Volvulos* posset, 8. de comp. med. loc. cap. 3.

Subvola, manûs pars est exterior; ut enim supina pars manûs, juxta pollicem assurgens *Thenar*, & *Vola* dicitur; ita huic opposita, *Hypothenar*, id est, *Subvola*, nominatur, libr. Introd. cap. 10.

Succum medicatum vocamus eum, qui primùm decoquatur, exinde verò Solis aut ignis calore sic densatur,

tur, ut longiore tempore citra corruptionem asservari queat: Arabes, *Rob* vocant. Ex hoc genere est, quod ab iisdem *Miva* dicitur; sic enim appellant succum fructuum, eò usque defæcatum & decoctum, ut sapæ aut mellis consistentiam acquirat.

Succus, vide *Humor*.

Sudamina, (Græcè ἱδρῶα) è genere sunt pustularum in summâ hærentium corporis parte, quæ instar ulcerum cutem exasperant; proveniunt autem, veluti & ipsum ostendit nomen. propter multos sudores, qui vel bilioſiores, vel omninò mordaciores existunt: mordent enim hi cutem, & pruriginosam efficiunt, & per modum ulcerum exasperant, 3. aphor. 21.

Sudor, Græcè ἱδρώς, est humidum tertiæ concoctionis excrementum, per cutem in aquæ speciem erumpens, cujus materia est humor tenuis, & serosus, alimento permistus, quò id facilius exiguas, & capillorum modo tenues venas subeat, atque ab his in partes quæ eo ali debent, sese insinuet; est quin imò ejusdem cum *urinâ* generis, in eo tantùm ab illâ differens, quod *hæc* ad vesicam, *ille* longiùs in corporis habitum defe-ratur: magisque propterea concocta sit, quod ad cutem usque pervenerit, permeatis omnibus quæ inter sunt partibus magno calore præditis. Quo fit plerumque, ut si copiosior urina sit, exigua aut penè nulla sit sudoris materia: aut contrà, si ea nequeat aut insensili perspiratu vacuari, aut per poros confertim erumpere referatur in venas, per quas in habitum corporis delata fuerat; & urinæ vim atque copiam majorem efficiat. Ergo non procedit à visceribus materia sudoris, nisi fortè id communi eâ ratione fieri intelligatur, quâ jecur omnium humorum, qui per corpus feruntur, officina esse proditur. Cæterùm, causa sudoris efficiens calor est, non ille quidem acris, qui siccandi vim habeat, sed humidus, qui per habitum corporis diffusus sudorum materiam calefaciat, fundat, attenuet, cutem

qu

que simul emolliat & relaxet; Proinde pueris & adolescentibus, & aliis, in quibus multum est hujusmodi caloris, sudores perfacilè moventur: siccioribus autem, sive per ætatem, sive per morbum, ut hecticis, & quibus jecur vel lien inaruit, nulli omninò fiunt, ut nec iis quibus habitus corporis refrigeratus est, veluti hydropicis. Hi namque propter hujus caloris imbecillitatem maximam sudare nullo modo possunt, etiamsi universo corpori humor abundè suppetat. Duabus iis sudorum causis, etiam cutis raritas accedat oportet, ut causa sine quâ sudores erumpere non possunt: qui enim cute sunt densâ ac durâ, inepti sunt ad sudandum: qui secundum naturam se habet sudor, particeps est salsuginis & amaritudinis, atque ut urina, modicè pallet. Cui hæc infra modum contigerint, vel materiæ frigiditas, vel caloris nativi imbecillitas designatur: cui verò supra modum, contraria. Is calidus sit oportet, quod frigidus vel humoris frigiditatem, vel caloris nativi extinctionem significet: cujus humoris excretio secundùm naturam est, non minùs, quàm urinæ, & aliorum excrementorum.

Sudor bonus est, in febribus, qui evenit die judicatorio, ex toto promanat corpore, calidus; insuper integrè febrem finit, vel morbum tolerabiliorem efficit, idque in acutis morbis, 1. prognost. 26.

Suffocatio, vide *Strangulatio.*

Suffumigium, vide *Thymiama.*

Suffusio, vide *Hypochyma.*

Sugillatio, vide *Contusio, Exuceatio, Hæmalopa*, & *Hyposphagma.*

Sumen, vide *Epheboeon.*

Summum humerum, vide *Acromion.*

Supercilia, sunt ea pars faciei, ubi frons à superioribus descendens desinit, ceu termini ejus eminentes, & pilis consiti, libr. Introd. cap. 10.

Superexcretionem, aut *Superpurgationem*, recentiores

Medici vocant, eas eruptiones, in quibus natura, ad judicatorium auxilium concitata, modum excessit, 3. de compos. med. loc. cap. 3.

Supergeminalis, vide *Epididymis*.

Supergenualis, vide *Putella*.

Superhumeralis, quæ & *Epomis* dicitur, vide *Humerus*.

Superimprægnatio, vide *Epicyema*.

Superligamina, vide *Epidesmus*, & *Plagulæ*.

Superligula, vide *Epiglottis*.

Superpurgatio, & *Supervacuatio*, vide *Hypercatharsis*.

Supinitas, stomachi affectio est, quâ quidam accepto cibo, si paulò fortiori motu moveantur, statim vomunt; vulgò *supinitas stomachi* appellatur; contingit juxta intemperiem quamcunque, citra vitiatos humores. Aliquando sequitur ad solam oris ventriculi debilitatem, quòd cibos amplecti, eisque obvolvi non potest, veluti tota ventris amplitudo solet. Fit etiam propter humiditatem multam quidem, non tamen malignæ qualitatis. Irriguus enim stomachus per largam humectationem, similiter ut ligamenta nervorum, laxatur; quandoque verò cum vitiatæ alicujus, modicæ tamen humiditatis complexu; etenim sicuti multa, ita & valdè vitiata perittomata, citra cibum nauseam efficiunt, 8. de compos. med. loc. cap. 3.

Suppuratio, vide *Purulentia*.

Suppuratus est, qui multum puris in capedine inter thoracem & pulmonem collectum habet; communiter verò omnes, quibus inflammatum viscus aliquod suppuratum est, *Suppuratos*, *Empyos*, & *Empyicos* vocant, 4. de caus. capit. 6. Suppurari autem aliquando idem est quod corrumpi: sic enim sanguis, cùm è suo loco exciderit, & per minimas partes ad eas, quæ in musculis sunt, cavitates, aut per mania spatia, quæ vasis circumjacent, fuerit effusus, suppuratur, aliquando nigrescit, aliquando in grumos vertitur, præsertim quando in magnam cavitatem præter naturam exciderit,

derit, 6. aphoris. 20. vide *Empyemata*, & *Purulentus*

Sura, est tibiæ venter, quem Græci *Gastrocnemion* vocant, 3. de usu part. cap. 10. Estque posterior tibiæ pars carnosa, 16. de usu part. cap. 8. veluti anteriorem carnis expertem, *Anticnemion*, & *Ocream* nominant, 2. de anat. adm. cap. 4. vide *Tibia*.

Surditas, Κώφωσις, est actio auditûs abolita, à causâ aliquâ præter naturam, videlicet à læsâ audiendi facultate, ejúsve primario instrumento, (quod est animalis spiritus in aurem affluens) p. n. affecto, aut læsis reliquis organis, quæ natura ad audiendum comparavit. vide *Cophosis*.

Suspendiculum appellatur, quod fœminis intra abdominis membranam situm, à musculo dependens, atque ad vulvam ex utrâque parte dexterâ & sinistrâ transmittitur, utrimque ab Ilium musculis per membranæ abdominis foramina, 2. de semin. capit. 5.

Suspensum, vide *Sedimentum*, & *Hypostasis*.

Suspirioſus, id est, *Asthmaticus*, lib. de rem. part. fac:

Sutura, vide *Commissura*, & *Compages*. *Sutura* adhæc dicitur inferior pars penis in longitudinem vergens.

Sycosis, *Mariſca*, *Ficus*, & *Ficatio*, est tumor à fici similitudine sic dictus, ulcerosus, rotundus, subdurus, rubicundus, dolorificus, ex quo aliquando exiguum, & glutinosum quid inæquale & graveolens, egreditur, in barbâ maximè exoriens; aliquando, & præcipuè in capillo proveniens, quod semper fici similitudinem fert, & carnis excrescentiam. Interdum in mento fit, ab humore non solùm crasso, sed etiam participe serosæ & tenuis humiditatis, quâ exulceratur, eoque differt à *Iontho*. Nascitur & in Ano, solâ magnitudine à *Thymo* differens: Latini *Mariscam* appellant, quam aliqui dicunt esse *Ficum præ pinguedine hiantem*, 2. method. 2. & 10. simplic. Appellatur etiam *Sycosis*, interioris palpebræ dura, & asperior scissura, com. 2. in 6. de morb. vulg. 4. & lib. de ocul. cap. 9.

Sycota, id est, *Ficata*, ex caricarum esu appellantur, tùm maxima, tùm suavissima jecinore ipso, ut liquet, ex dulcium esu alimentum uberius accipiente, 3. acut. 11. Συκωτὸν ἧπαρ, *Ficatum jecur*, sic dicitur, ficuum esse præparatum. Sic fit omnium præstantissimum, non modò ad voluptatem, sed etiam ad alia omnia, si mactandi animalis jecur multarum siccarum ficuum esu præparetur. Quam rem in suibus maximè faciunt, quod suilla viscera sint aliorum visceribus multo suaviora.

Syderatio, seu *Sideratio*, est corruptio solidorum corporum omnium, ut ipsis quoque ossibus insit, ne dum carnibus, aut vasis solis, quo differt à *Gangrænâ*, quæ est mortificatio solidorum corporum, non ossium, lib. de tumor. cap. 11. quam sideration em *Sphacelon* Græci vocant, 7. de anat. adm cap. 13. Totam substantiæ uniuscujusque partis corruptionem, *Syderationem*, (id est, *Sphacelon*) Veteres appellant, sed in partibus carnosis, aliis quoque nominibus eandem vocant; quin ipse Hippocrat. *putridam carnem*, *marcidam*, & *vitiatam* dicit, aliisque hujusmodi eandem nuncupare consuevit; de osse verò, quod in totâ substantiâ vitiatur, syderationis seu sphaceli nomine uti consuevit. Tale autem vitium ossibus contingit, quando adjacens caro, pravas sanies producit, quibus ipsa madefaciendo corrumpit, 2. de fract. 20. unde *sphacelare*, id est, *corrumpere*, & *sphacelos*, id est, *caries*, 5. loc. affect. 3. *Semisyderatus* autem homo dicitur, qui alterâ tantùm parte, dextrâ aut sinistrâ computruit, libr. de aquâ, aëre, & loc. cap. 6. & 4. de artic. 17.

Symbebecos, Συμβεβηκὸς, idem est ac accidens; apud Philosophos id est, quod substantiæ opponitur, sed à Medicis, tùm maximè Galen. 1. meth. contrà distinguitur symptomaticus; quæ enim, inquit, constitutionem partium, unde actio nascitur, necessariò sequuntur, sanis quidem nobis *Symbebecota*, id est, *Accidentia*, ægrotantibus, *symptomata* nuncupantur. *Accidentium* autem

autem differentias, 2. meth. tres constituit; sunt enim vel ut *affectus*, vel ut *actiones*, vel ut *passiones*: quorum etiam hæc exempla ponit, *inambulare*, *uri*, *cædi*, *album* aut *nigrum esse*; præterea, id ex accidenti dicitur fieri, quod nec primum, nec per se fit: quod exemplo calculorum motorum declarat Galenus, libr. de differ. sympt.

Symmetria, est temperies, & contemperatura, temperata sive debita convenientia, & proportio inter se tùm similarium partium, in calido, frigido, humido, & sicco; tùm instrumentalium in compositione, numero, magnitudine, figurâ, 1. de san. tuend. cap. 1.

Symmetrum absolutè, est, quod nulli collatum, medium est, & mediocre, adeòque omnis temperiei, tùm activarum, tùm passivarum qualitatum, norma constituitur: tale & *Eusarcon*, & *Quadratum* est; *non absolutè* verò *Symmetrum*, quod in aliquâ specie, vel genere, tale est, ut ad ipsius comparationem aliquid temperatum, vel intemperatum dicatur, 1. de temper. cap. 6. *Symmetrum* verò *medicamentum* est, quod & similis temperamenti est cum eo, cui admovetur, & medii temperamenti est omnium primarum qualitatum, 5. simp. 25.

Sympaschein, est per consensum, seu per viciniam affici, quoties pars aliqua, non proprio affectu, sed alieno afficitur, 1. loc. aff. 6. Συμπάσχειν, *coaffici*, *compati*, non de simplici aut quovis affectu dicitur, sed de vehementi affectione, cùm partes quædam vehementi passione laborantes, reliquas in consensionem secum trahunt. Hâc igitur ratione, jecore affecto, singultus quidam succedit, compatiente stomacho: tussis autem & spirandi difficultas, respirationi destinatis instrumentis per consensum affectis. Sic igitur instrumentis respirationi dicatis graviter affectis hepar compatitur.

Sympathia, est affectio compatientium alteri cuidam primò patienti partium, idque vel propter vicinitatem, vel propter societatem, quæ in eâ sunt, comm. 1.

in 1. prorrhet. 20. Sic à Medicis ferè usurpatur. Est autem συμπάθεια quoque duorum naturalis quædam conjunctio & concordia. Eam similitudo vel generis, vel naturæ, vel temperamenti, vel morum, vel rerum aliarum conciliat. In plurimis verò causa ignoratur, eamque Philosophi & Medici eam sapientissimi, ad substantiæ totius familiaritatem, atque occultam quandam vim & proprietatem retulerunt, quam si quis sit, qui se nosse profiteatur, non caret arrogantiæ impudentiæque notâ. Hujusmodi *sympathiæ* exempla permulta à Philosophis referuntur, ut magnetis cum ferro, purgantium medicamentorum cum humoribus, elephanti cum homine, hominis cum plerisque animalibus, herbis & fructibus, quibus salubriter vescitur. Huic *sympathiæ* contraria est *antipathia*, quæ non est aliud, quàm cœca rerum inter se discordia. vi. *Idiopathia*.

Sympepsis, (Græcis πεπασμὸς) est concoctio, quâ natura crassis & crudis humoribus, & concoctu difficilioribus, per abscessum providet, veluti calidioribus & tenuioribus per excretionem, 3. prognost. 23.

Symphysis, est naturalis ossium unio, quando duo ossa sibi invicem aut immediatè coalescunt, (veluti quæ fungosiora, mollioraque sunt,) vel quando aliorum interventu connascuntur, (ut sunt sicciora, & densiora) nempe mediâ cartilagine, & dicitur *Synchondrosis*; vel mediis nervis, & dicitur *synneurosis*; vel mediâ carne, & dicitur *sysarcosis*, li. de ossib. in procœ. Ossa autem omnia inter se conjunguntur vel κατ' ἄρθρον, vel κατὰ σύμφυσιν. Est autem σύμφυσις apud Hipp. idem quod συνάρθρωσις.

Symptoma, (quod & *Passio*. & *Pathos*, & *Pathema*, & *Epigennema*, quasi *supergenium*, vel *supergenitum* dixeris, appellant) generatim nominatur quicquid animali præter naturam accidit, ut sunt tùm morbi ipsi, tùm morborum causæ, quæ intra corpus subsistunt. Alterâ verò significatione, ac magis propriâ, (exceptis tùm morbis, tùm eorum causis) reliqua omnia, quæ præter naturam

turam sunt, *symptomata* nominantur, lib. de sympt. diff. c. 1. & 2. Sic sumptum, *symptoma* non aliud est quàm affectus præter naturam qui morbum sequitur, velut umbra corpus. Hujus tres à Medicis differentiæ assignantur; aut enim consistit in actionum offensâ; aut in corporum ipsorum affectu; aut in retentis vacuatisve immodicè. Quorum *symptomatum* singula varias etiam habent differentias. Siquidem animalium actionum noxæ triplices sunt: Primæ quidem sensilium, ut visionis, auditionis, gustus, odoratus, tactusq; aboliti, debilis, aut depravati; vel sunt motricum actionum, vel principum, ut imaginationis, ratiocinationis, & memoriæ similiter abolitæ, vel debilis, vel depravatæ. Secundæ verò sunt naturalium; ut attractionis, retentionis, alterationis, & expulsionis. Tertiæ verò, vitalium; ut pulsationis abolitæ, debilis, aut depravatæ. Eorum autem *symptomatum*, quę consistunt in corporum affectionibus, quinque sunt differentiæ, pro sensuum numero. Aut enim consistunt in visu, cujusmodi sunt colores præter naturam in toto corpore, aut certis quibusdam partibus: aut in auditu, cujusmodi sunt voces clangulosæ, tremulæ, raucæ, & soni, strepitus, atque murmura in quâvis parte excitata: aut in olfactu, quæ non sunt aliud quàm graveolentia respirando, aut transpiratu totius corporis percepta, vel prodiens ab auribus, naribus, axilis, aut ventriculo per ructus acidos, nidorosos & virosos: aut in gustu, quæ non aliud sunt quàm sapor varius excrementorum è singulis partibus prodeuntium: aut in tactu, cujusmodi sunt calor, frigus, humiditas siccitasque, & ex iis inducta mollities, durities, aut alia quædam qualitas in quâvis parte. Tertiæ verò sunt eorum, quæ præter naturam vel excernuntur, vel retinentur in corpore; quorum triplex differentia est: Aut enim totâ substantiâ prętęr naturã sunt, ut sanguinis profluvium, ex morbo, aut aliquo *symptomate* (morbos enim *symptomata* consequuntur, non modò primo,

sed plerumque alterius symptomatis interventu) excitatum: aut qualitate, aut quantitate, quorum exempla notissima sunt.

Symptosis, affectus est quo meatus, qui oculo videndi facultatem tribuit, ex atrophiâ, vel resolutione fit arctior, conciditque, lib. Introd. capit. 15. Σύμπλωσις, est vasorum subsidentia & contractio.

Synætia, vide *Continentes causæ*.

Synanche, vide *Cynanche*.

Synarthosis, vide *Articulus*.

Synceras dejectiones, vocat Hippocrates, impermistas aquosæ humiditati, quibus solus humor aliquis evacuatus dejicitur, sive sit biliosus, sive melancholicus, sive porri colorem præ se ferens, sive bilis, quæ *æruginosa* nominatur; cujusmodi omnes dejectiones, exustam esse omnem nativam humiditatem à calore febrili demonstrant, 7. aphor. 6.

Synchisis, est oculi vitium, confusis secum ejus humoribus: id quod accidit ut plurimùm ex vehementi plagâ, interdum verò & ex uveæ tunicæ inflammatione, ruptis ejus vasis, effusoque eorundem humore. Inde pupilla discolor & turbida evadit, & principio quidem major cernitur, tandem verò contabescit, minorque se ipsa apparet.

Synchondrosis, vide *Symphysis*.

Syncomistus panis, Συγκομιστὸς ἄρτος, vide *Autopyrus*.

Syncope, est præceps virium lapsus, 12. method. 5. quem virium lapsum duo præcipua symptomata consequuntur, exsoluto quidem nativo calore, frigiditas totius corporis; colliquatâ verò solidorum corporum substantiâ, sudor, quem Medici *syncopticon*, & *diaphoreticum* appellant; ex quibus pulsûs defectio, & sensûs motûsque privatio consequuntur. Differt à *lipopsychiâ*, & *lipothymiâ*, quod, licèt utraque affectio hæc affatim & confertim fiat, in syncope tamen plurimus subsecutus sudor diaphoreticus, languidiores vires reddit; sudor

dor autem aut nullus, aut modicus est in exolutione, lipopsychiâ, & lipothymiâ, minoremque noxam viribus infert.

Syncrimata, vocant corporum simplicium & elementorum compositiones, seu concretiones, de diff. morb. capit. 5. Methodici, συγκείμαϛα animantium corpora appellabant, quasi ex individuorum corpusculorum misturâ constarent, & meatuum miscellaneâ, cui medicandæ, si quando confusa esset, μεταυγκεϊτικὰ φάρμακα ab iis dicta, adhibebant, quæ & μεταποροποιητικὰ vocabant.

Syncrisis, id est, *Concretio*, & *Contemperatio*, libr. de marcor. cap. 4. Συγκείνω enim *coagmentari*, *concrescere*, aut *compingi*, significat.

Syncritica, hoc est, relaxantia medicamenta, a coagmento sic dicta, 2. de anat. adm. cap. 1. Συγκεϊτικὸς coagmentandi vim habens.

Syndesmi, sunt ligamenta, sensûs expertia, ex osse ortum ducentia, (non ex cerebro, aut spinali medullâ) rotunda, alba, & exanguia, cavitate carentiâ, in fibras divisa, 6. method. 4. vide *Ligamentum*. *Syndesmorum* tres sunt usus præcipui; nimirum ligandi, muniendi, ac vestiendi.

Syndrome, concursus est, & congressus symptomatum, aliquid faciendum præscribens, libr. finit. *Plethorica* autem *syndrome*, est omnium humorum concursus; *Syndrome* autem *pathognomonica*, est concursus symptomatum, morbum hujus scilicet speciem, sedem & causam conjunctam indicantium, libr. de cur. rat. per sangu. capit. 9. Is signorum cumulus proprius est Empiricorum. Qui enim experientiâ solâ rem investigat, tales concursus respicit, & quæ accidisse viderit, in unum colligit. Cùmque sæpè eadem viderit uno in morbo, omnia memoriæ commendit, atque ubi ex hâc observatione multos concursus fuerit expertus, tunc quæ in multis concursibus, quæ item in uno tantùm

tùm eveniſſe comperit, diligenter obſervat, atque ita demum in communium & propriorum cognitionem venit; quam conſequitur ſignorum in vi & efficaciâ diverſitatis animadverſio. Quod enim in multis concurſibus fuit obſervatum, quàm quòd in paucis; quòd in paucis, quàm quòd in duobus; quod in duobus, quàm quòd in uno tantùm, majorem vim habet. Exempli cauſa; Empiricus ex nonnullis quæ liquidò apparent notis circa ægrum, dicet ſibi compertum eſſe ſanguinem ægro mitti debere. Si quæras quænam eæ ſint, reſpondebit diſtentionem vaſorum, & ruborem, & gravitatem corporis univerſi, & pigritiam ad motiones & tenſiones membrorum, adhæc ulceroſæ laſſitudinis ſenſum, & traductam in otio priorem vitam, ciborum & potus copiam, & ſolitarum excretionum ſuppreſſionem, atque ex hâc Syndrome ſive concurſu venæ ſecandæ utilitatem à ſe obſervatam eſſe. Talis quidem eſt Empiricorum σωδρομὴ πληθωρικὴ, ad cujus ſimilitudinem alios in aliis morbis concurſus æſtimare potes, ut φλεγμονικὴν, συναγχικὴν, ἐπιληπτικὴν,, & reliquas. Verùm tales σωδρομὰς Galen. ridet, quod tum rariſſimæ, tum longiſſimæ ſint, quodque non protinus appareant, ut interea dum concurſus omnium ſymptomatum expectatur, mora adhibendi remedii periculum adferat. Faciliùs multò & citiùs qui ratione ſignorum uniuscujuſque morbi inventionem indagat, & communia, & propria cognoſcit. Ubi enim brachium ex propriâ ſede excidiſſe, & in alam prolapſum eſſe animadverterit, reliqua omnia etiam ſimul intelliget, ut tumorem illic præter naturam eſſe appariturum, deinde ſinuatum in ſuperhumerali locum futurum, capite brachii, quod in alam receſſit, privatum tum dolore vehementi infeſtandos muſculos, & eventurum ut brachium doleat, ſi admovere id ad coſtas velit. Itaque non expectato eorum omnium concurſu, ſtatim judicabit brachium è propriâ ſede excidiſſe, & ſuperveniens

venientibus Symptomatis remedia comparabit; ut non immeritò talem Empiricorum συνδρομὴν Galenus reprehendisse videatur.

Synneurosis, vide *Symphysis*.

Synocha, hoc est, continens febris, est, cujus universum tempus una accessio est, & quæ vel semper in eodem vigore consistit, vel minuitur, vel augetur, donec judicetur; quæcunque enim, per circuitus certos ægritudinis accessiones fiunt, ex membrorum dispositionibus ortum habent, quæ scilicet membra vel mittunt, vel suscipiunt, vel generant, vel attrahunt superfluitates; sed quæ circuitum non habent, in his nulla est corporis pars, quæ præcipuè sit læsa; sed qui in venis & arteriis omnibus continentur humores, atque ii præsertim, qui in maximis, atque plurimo calore abundantibus vasis sunt, aut ob aliam quamvis causam, ut in Ephemeris, aut ob putrefactionem ferventes, febrem accendunt, *Synocham* appellatam, quæ à principio, usque ad finem, nullam habet intermissionem, ac tam diu perseverat, hominemque deürit, donec qui ei causam afferunt humores, aut ex toto absumantur, aut coquantur, aut utrumque patiantur, 2. de differ. febr. is hac & *Synochus putrida*, *deürens*, *ardens*, *Causon* & *Succensa* appellatur, 2. de cris. cap. 6. vide *Continua*, & *Febrem Synochon*.

Synochus, id est, *Continens febris*, quartum febrium genus numeratur, quod quia ex sui naturâ ultra tertium diem extenditur, nec humorem putrescentem habeat, nec febrilem calorem, ut habitum possideat, propterea nec *diaria*, nec *putrida*, nec *hectica* dici potest; sed vel *diaria plurium dierum*, vel *synochus non putrida*, vel *synochus concluſa*, meritò appellari potest; quam febrem vel conniventia meatuum, vel recens corporum densatio & stipatio excitat. 9. meth. 1.

Synodontes, vide *Hiatuli*.

Synonyma, id est, *Univoca*, quæ inter se communican-

nicantia; & in aliquo tertio convenientia, ab uno factam denominationem habent, 4. acut. 23.

Synopsis, id est, *Compendium*, lib. de nerv. diff. c. 17.

Syntasis, *distentio*, opposita est laxitati, utraque & in cute, & in articulis contingens, aut resiccatis, aut perfrigeratis, aut inflammatis, aut induratis; in cute verò non his tantùm modis, sed etiam ubi musculi inter ipsam, quovis modo augescunt, tùm maximè ex carnis copiâ & abundantiâ, ut & in utre pleno aquâ, & Tympaniâ, quod Galenus in pluribus libris Methodi testatur.

Syntaxis, id est, mutua compositio, & connexio, 1. de usu part. 14.

Syntexis, *Colliquatio*, vide *Febris colliquativa*.

Synthesis, est ossium inter se compositio, qualiscunque ea sit: est enim universi generis nomen, quam aliis quoque nominibus vocari, tradit Galen. *Syntaxin*, scilicet, & *Homiliam*, lib. de ossib. ubi & σύνταξις dividitur in duas species, ἄρθρον καὶ σύμφυσιν. Præterea C. Plinius Secundus, libr. 1. de Medicinâ, scribit σύνθεσιν morbum esse, nec periculo, nec facie Phthisi dissimilem: inter tam multos Authores solus qui id scripserit.

Synulotica medicamenta sunt, quæ ulceribus cicatricem inducunt, 13. meth. cap. 5. Συνουλωτικὰ φάρμακα idem quod ἐπουλωτικά.

Syphon, vide *Metrenchytæ*.

Syræon, vide *Sapa*.

Syringotomata, instrumenta sunt, quæ ad fistulas incidendas sunt comparata, 6. meth. 4.

Syrinx, id est, *Fistula*, tubulus est callosus, angustus, oblongus, interdum etiam obliquus, os habens cui cicatrix obduci nequit, per quod humor statis temporibus ichorosus, acris excernitur. Porrò fistularum, aliæ *cæcæ* nominantur, quæ osculum in profundo, sinum ad superficiem habent; aliæ, *occultæ*, quæ & os, & sinum obtinent in profundo, libr. finit. vide *Fistula*.

Syssiar-

Syſſarcoſis, vide *Symphyſis*.

Syſtematica inæqualitas, eſt congregatio multarum inæqualitatum, & pulſus ex congerie multarum pulſationum inæqualium conſurgens, 4. loc. aff. 8. Σύστημα enim *acervum* ſignificat, & *cumulum*. Hujus tres habentur differentiæ, ἀμφλείπων, παρεμπίπτων, μύρμηξ, ſive μυρμήζων. Eſt autem inæqualitas illa, συστηματικὴ cognitu omnium facillima. Dicitur etiam alio nomine σύστημα.

Syſtole, eſt ſubmiſſio pulsûs, 1. de diff. febr. cap. 7. (dicitur etiam *Syſtole*, & *Diaſtole*, id eſt, conſtrictio, & dilatatio, de motibus thoracis & pulmonis, lib. de vocal. inſt. diſſ. cap. 2.) quo motu facultas fuliginoſa excrementa expellit, & repurgat, atque ita refrigerium calori nativo molitur.

Syſtrophe, *Phyma*, & *Scleria*, hoc eſt, *Tuberculum durum*, ut exponit Galenus in ſuo Lexico Hippocr. ſed 4. acut. ſcribit, eam eſſe, quæ à partibus excitatur intumeſcentibus.

T.

TABES, quæ *Phthiſis* Græcè communiter appellatur, eſt ulceratio pulmonis, vel thoracis, vel faucium, ut & tuſſicula, & debiles comitentur febres, & corpus univerſum conſumatur, libr. finit. Nominatur etiam *Tabes*, alicujus corporis particulæ præter naturam diminutio, ſive ea in primâ formatione hujuſmodi appareat, ſive poſt; eandemque ejuſdem particulæ *atrophiam* vocant, de differ. morb. cap. 9. vide *Ex ægritudine ſenectus*, & *Phthiſis*.

Tabes oculi, quæ & *Rhetidoſis* dicitur, eſt ſolius imminutæ pupillæ corrugatio, incidentibus aliis ſuper alias rugis, quod ſpiritus parcior à Cerebro, quàm pro naturâ deberet, affluat. Differt à *Tabe oculi ſenum*, quæ eſt corrugatio corneæ tunicæ, & pupillæ anguſtia, ab imbecillitate ſenectæ, tùm ex defectu humoris tenuis,

quo

quo repletur ; tùm ex ſpiritûs ſupernè affluentis inopiâ, 10. de uſu part. 5. 3. aphor. 16.

Tabida febris, vide *Ex ægritudine ſenectus*, & *Maraſmus*.

Tabidos appellant veteres Medici, qui morbo tabifico, quem *Phthoën* vocant, ſunt obnoxii. Tales propriiſſimè ſunt, qui adeò ſunt anguſto thorace, & reſtricto, ut à tergo in morem alarum promineant operta ſcoptula ; undè hos etiam *Pterygodes*, id eſt, *Alatos*, vocant : Præterea, quibus caput facilè impletur, & ſpiritus organis multas deſtillationes dimittit, hi facilè tabeſcunt, com. 1. in 1. de morb. vulg. 18.

Talpa, & *Teſtudo*, ſunt affectus, cutis capitis proprii ; quæ nomina recentiores addiderunt, cùm apud Antiquos hi affectus, neque nomen, neque tractationem invenerint. *Teſtudo* autem Guidoni, abſceſſus eſt magnus, mollis, humoralis, latiore formâ in modum teſtudinis, undè nomen accepit ; quæ ſi in capite naſcatur, *Talparia*, vel *Talpa* dicitur ; in collo, *bocium*; in teſticulis, *hernia* ; interdum autem cum pure, ſquamis, vel fiſtulis reperitur ; reponitur ſub abſceſſuum genere, & ſub meliceride potiùs, quàm atheromate. *Talpa* verò, cùm albam materiam contineat, ad atheromata potiùs, quàm meliceridem refertur. *Bocium* verò vulgus vocat, mollem & laxum tumorem in exteriore gutturis parte, quam Græci *Bronchocelen*, noſtri *herniam gutturis*, & eo affectos, *gutturoſos* vocant. Eſt autem colli tumor grandis, & rotundus inter cutem, & aſperam arteriam, in quo, modò caro hebes, modò humor aliquis, melli, adipi, pulti, aquæve ſimilis includitur. Huic ſimilis affectus eſt, quem Guido vocat *Natam*, ſeu *Naptam*, quæ eſt excreſcentia magna, carnoſa, veluti caro natium, vel ancharum, diverſarum quidem formarum, & magnitudinum, cujuſmodi ſunt *Melopepon*, & *Cucurbita*.

Talus, non idem eſt ac *Malleolus*, ſed dicitur os ſub mal-

malleolis contentum, undequaque contectum, quòd ne tangere quidem possis, lib. de ossib. cap. 22.

Taraxis, seu *Conturbatio*, est, cùm oculus leviter ac mediocriter commotus, rubicundior evadit, ac obscurè videt, lib. introd. capit. 15. Paulus definit, esse humiditatem & caliditatem oculi, cum rubore præter naturam, à causâ externâ inductam; ut Sole, fumo, pulvere, oleo: differt ergo ab *ophthalmiâ*, quæ causam tantùm internam agnoscit. Paulus lib. 3. cap. 22. Ταράττειν, *turbare, vehementiùs commovere* significat. Neque enim eo verbo aliquid moderatè, sed supra modum fieri intelligitur, ut Galenus comment. 3. explicavit.

Tardus pulsus, est, cùm longo tempore, arteria distenditur, 1. de diff. puls. cap. 7.

Tarsus oculi, est substantia quædam membranea durior, ac tensa, quâ parte Perioestis, sive conjunctiva oculi tunica remeare ad corneam incipit, tenuibus pertusa foraminibus, ex quibus palpebrarum pili emicant propter suam duritiem, extendens in rectitudinem palpebras, 10. de usu part. Rufus autem non cartilaginem illam in ambitu palpebrarum sitam, sed pilos ex eâ nascentes, ταρσὸς καὶ βλεφαρίδας scribit nuncupari; vide *Cilia*. Ταρσὸς est pars pedis, quatuor ossium serie constans. Ex his tria carent nomine, quartum κυβοειδὲς dicitur. Illa cum osse schaphoeide conjunguntur, hoc cum calce articulatur. Differunt inter se figurâ, magnitudine, & situ. Verùm omnia intus cava ad ambulationis & apprehensionis firmitatem, foris gibba ad dyspathiam. Videtur in pede ταρσὸς esse, quod est καρπὸς in manu, nisi quod τῦ καρπῦ ossa sint octo, τῦ ταρσῦ verò, quatuor: ex minoribus namqut particulis apprehensionis organum constare debuit; ex grandioribus verò id quod ad ambulandum comparatum est. Ταρσὸς etiam dicitur omne quod dilatatum est: ex quo vocabulum hoc manavit apud Hippocratem πεπάρωνται,

quod significat, dilatata fuerunt, ut scribit Galenus in Interpret. lingu.

Taurus dicitur quoque inter cætera inferior Colis pars, vel futura in longitudinem ejus vergens, usque ad sedem porrecta, lib. Introd. cap. 10.

Tela aranea, vide *Rhagoeides*.

Telephia, & *Chironia*, ulcera dicuntur inveterata, & quæ vix curam recipiunt, cicatricemque difficillimè contrahunt; sic dicta, quòd Chirone medicinæ peritissimo, ad sanationem indigeant. vide *Chironia*.

Telma, est solidum, & tensum, durum, ac pilis etiam nudum, pedis vestigium, libr. de musc. diff. capit. 33. Τέλμα dicitur pars ea pedis, quâ terram contingimus, & calcamus.

Temperies, (Græcis κρᾶσις) miscibilium est concentus & harmonia s. vel c. s. h. l. elementi mixtio, ad mixti actiones obeundas necessaria, lib. 1. de temper. cap. 2. & 3.

Tempora, Κρόταφοι, appellantur partes, ab utroque sincipitis latere supra aures sitæ, lib. Introd. cap. 10.

Tempora morborum tale quid sunt in morbis, quale quid in animalibus sunt differentiæ secundùm ætates; neque enim *tempus* simpliciter hoc vocabulo significatur; neque conveniens illud tempus, in quo præsidia etiam usurpari debent, sed tantùm morborum ætas, quæ temporum vicissitudine immutatur; ut, animal ætatibus, libr. de morb. temp. cap. 1.

Temporales musculi, vide *Crotaphitæ*, & *Mandibularii*.

Temporales futuræ, vide *Lepidoeides*.

Tendones, fines sunt musculorum, quos *Pronervationes*, seu *Aponeuroseis*, vocant Anatomici; qui quidem mediis partibus sunt nervosiores, inter se tamen in eo differunt, quòd aliquando minùs vel carnosæ, vel nervosæ substantiæ in se habeant; quando carnis substantia inest amplior, *carnosam pronervationem*; quando parcior, *nervosam* appellant, 2. de art. 5. Dicitur *Tendo*,

do, τένων ἀπὸ τοῦ τείνειν, id est, *à tendendo*, quod ejus actio præcipuâ intensione seu contractione est: horum enim unusquisque fibris suis versus musculi caput retractis, partem, cui inseritur, eodem contrahit atque evellit.

Tenesmus, est continua & implacabilis desidendi cupiditas, quâ tamen nihil, præter cruenta pauca, & mucosa, egeritur; quæ affectio etiam *tentio*, & *tensio* appellatur, quoniam in eâ fit in recto intestino tentio, cùm dejicere vehementer homines expetentes, continuò exsurgunt, 7. aphoris. 27. *Tentio* item aliquando *tractum corporis* significat, lib. finit.

Tenor, apud Hippocratem est idem, quod *nervus intentus*, 1. de placit. 9. & 1. de artic. 47.

Tensio, vide *Tenesmus*.

Tensivus dolor, est, qui tensionis sensum inducit ægris particulis, 3. loc. aff. 9. unde tensiva lassitudo, quæ & phlegmonosa est, 7. de comp. med. loc. capit. 1. vide *Dolor tristis*.

Tentigo, vide *Priapismus*.

Tenue intestinum, est tertium in ordine, jejuno intestino substantiâ simile: differt autem, quòd neque vacuum reperiatur, neque tot vasis, & involucris scateat, 6. de anat. adm. cap. 9. Idem & *Ileon*, & *Involucrum* appellatur, lib. de anat. viv.

Tenuia appellantur *medicamenta*, quæ facilè in tenues comminui partes possunt; *Leptomeri* Græcè; *Crassa*, quæ contrà, *Parimeri* appellata, 1. simplic. 3.

Tenuis pulsus, vide *Gracilis*.

Terebella, vide *Abaptista*.

Teredo, sive *Teredon*, est caries in osse, 3. method. 1. Τερηδὼν, est solutio continuitatis in osse ab erosione facta. Causa est humor acutus & acris in osse putrescens, ipsumque exulcerans. Sed initio quidem hoc malum reducitur ad aliud ægritudinis genus, & ossis asperitas potiùs, quam *Caries* nominatur. Majori autem facto foramine, & quodam veluti sinu uno vel vario appa-

rente, τερηδὼν dicitur. Dicitur enim quasi τρηδὼν, ἀπὸ τοῦ τρήματος, inquit Galenus; quod in eo affectu os pertusum sit: nisi fortè denominetur à τερηδὼν, quod vermen significat, qui ligna erodit: namque & os quasi à vermibus corrosum videtur. Sunt autem in osse τερηδὼν & σφάκελος idem: quorum utrumque eodem nomine *Cariem* Latinè dicere possumus.

Teretes lumbrici, sunt palmi longitudine, vel etiam majore, ad stomachum usque proserpentes vermes, libr. Introd. cap. 13.

Tergum, Νῶτον Græcè, sunt posteriores corporis partes, quæ collo subjacent, E. G. *Scapulæ*, *Dorsum*, *Spina*, & *Lumbi*, libr. Introd. cap. 10.

Terminthi, vide *Therminthi*.

Terra Argyrite, vide *Argyrite*.

Terra intestina, γηόντιες Græcè, Lumbrici terrestres sunt, 11. simplic.

Terra medicaminosa, quod aquâ irrigata, facilè in lutum solvitur, appellatur; quia verò eâ utimur, velut aliis medicamentis, idcirco non injuriâ *Pharmacitin*, Latinè *medicaminosa* vocatur, nempè, quia sola est ejusmodi, ut evidentiorem vim medicaminosam possideat, 9. simplic.

Tertiana simpliciter, est tertiana intermittens; contingit enim, hanc ipsam, sine aliquâ adjectione *tertianam simpliciter* nominari; quemadmodum, & quotidiana intermittens, *quotidiana simpliciter* appellatur, 2. de differ. febr. cap. 7. Earum febrium intermittentium, quæ tertiâ quoque die accessionem faciunt, quæ quidem breve habent accessionis tempus (quod duodecim horarum æquinoctialium spatio ad summum finitur, 2. de differ. febr. capit. 3.) ac cum rigore invadunt, & per sudores, & bilis vomitum, & biliosa excrementa finiuntur; his tertianæ exquisitæ nomen impositum est: quibus verò aliquid hörum deficit, hæ non *exquisitæ*, sed *simpliciter tertianæ* appellantur; quod

quod si intermissionem minorem habuerint, accessione videlicet in longius tempus protractâ, hæ *tertianæ extensæ* vocantur, 2. de diff. febr. cap. 8. *Exquisita* verò *tertiana* est, quæ sui ipsius naturam puram, sinceramque servat, id est, flavam bilem redundantem, & motam, tempus æstivum, locum calidum & siccum, hominis ætatem, & temperiem similem, 4. aph. 59.

Tertianus circuitus, vide *Quotidianus*.

Testes, testiculi, ὄρχεις, sunt corpora duo glandulosa, alba, mollia, rara, laxa, cavernosa, rotunda, seminis, & generationis principium, quæ quod duo sint, διδυμοι appellantur, quos ipsos Galen. 3. de aliment. fac. glandibus annumeravit: Est autem naturale & proprium eorum munus seminis generatio. Itaque ejus materiam per vasa spermatica attractam, & per Epididymidem propriam ipsorum tunicam, atque inde per parastatam testi impositum corpus testis alterius quâdam effigie permeantem propriâ facultate alterant, dealbant, concoquunt, verumque semen efficiunt, uti mammæ, lac, & ossa medullam ex sanguine generant. Pluribus tunicis seu involucris integuntur, & primum quidem suâ propriâ, ac intimâ, & ubique contiguâ, quæ ἐπιδιδυμὶς dicitur: deinde alia, quam ἐρυθροειδὴ vocant, propterea quòd à suis vasis, & à musculo testium gracili rubescat, testem ipsum, testisque epididymidem totam involvente: præterea verò duabus aliis communibus, quarum una ὄσχεον, seu *scrotum* dicitur: altera verò δαρτὸς illi subjecta. Cæterum, testes in maribus extra membranam abdominis sunt, & propendent musculis, quos κρεμαστῆρας vocant; mulieribus intùs latent à lateribus uteri, frigidiores, minores, & imperfectiores longè quàm marium, 14. de usu, c. 10. Sic quidem conditi testes in principum partium numero habentur, non quod ad præsentem vitam necessarii sint, sed quod ad vitam natorum serie propagandam, & ad speciem quandam immortalitatis eorum actio sit

necessaria. Sunt enim generationis principium, quod à nullâ aliâ parte, sed à se ipsis habent. Nec tamen est in præsenti vitâ vis eorum tam exigua & nullius momenti: imo verò corpus universum valdè afficiunt & immutant. Ab his enim in totum corpus vis quædam per venas effertur; quæ quidem in maribus, robusti & masculi habitus; in fœminis verò, fœmineæ ipsius naturæ causa est. Ea autem vis est σπερματοποιητική, hoc est, seminis generatrix, quâ partes solidæ præditæ semen generant, quo optimè aluntur, & robustissimæ evadunt. Ex eo namque fit, ut quibus testes frigidiores sunt & humidiores, iis corpus universum frigidum, humidum, infirmumque sit, & morbis obnoxium. Nam cùm aquosam & tenuem habeant genituram, malè solidæ eorum partes aluntur: quare robustæ esse non possunt, quoniam basis hæ sunt totius corporis & fundamentum, quo infirmo necesse est reliquas corporis partes infirmas esse.

Testudo, vide *Camarion*, *Fornices*, & *Talpa*.

Tetanos, *Rigor*, *Distentio nervorum*, est convulsio perpetua totius corporis rigidi, & in neutram partem se inclinare queuntis, contractis ad suum principium nervis, & musculis, quibus caput annuit, renuit, circumagitur, æqualiter videlicet iis antè & retrò tensis; Galenus lib. de musc. diff. vide *Distentio*.

Tetrapharmacum medicamentum est, quod ex cerâ, adipe, resinâ, pice, æquâ omnium portione constat. Adversus Lycum, capit. 7. Τετραφάρμακον emplastri nomen est, quod & Βασιλικὸν appellatur. Constat ex quatuor simplicibus medicamentis, unde & nomen habet. Puri movendo non est aliud melius vel expeditius. Est & τετραφάρμακον Antidoti nomen, quam alio nomine μυρήϊον vocarunt. Constat quatuor medicamentis, Gentiana, Aristolochia, Baccis Lauri, & Myrrha, æquali pondere commistis: Valet ad podagræ præcautionem.

Thele,

Thele, Papilla, mammæ capitulum est. unde infans lac sugit, medium in mammâ protuberans, quam ambit circulus quidam subniger, qui φῶς appellatur. Θήλη substantiâ constat ad penem proximè accedente. Est enim nervea illi quodammodo cutis, spongiosam intus substantiam continens, quæ erigi ac vicissim laxari non minùs quàm penis potest. Habet autem tenues & conspicuos meatus, fibræ prorsus ac nervi modo albicantes, qui venarum surculi sunt, multiplici serie per glandulosam mammarum substantiam excurrentium, ex quibus lac effunditur.

Thenara, Θέναρ, propriè vocant prominentes volæ manûs partes, à verbo θένειν, quod est *verberare*, ut nonnulli volunt, qui Etymologiis gaudent; quippè cum his prominentibus partibus percutere soleamus ea, quæ percutimus; alii, non omnes partes prominentes palmæ ita appellari ajunt, sed solas eas, quæ sub pollicibus extant, 1. de fract. 20.

Therapeutice, id est, medendi methodus, 7. de compos. med. per gen. cap. 1. quæ & *Curatoria* dicitur.

Theriacam appellarunt Crito, & eum secuti, quod viperæ carnes acciperet; Andromachus verò, qui primus illam composuit, Neronis ferè tempore, Γαληνὴν, hoc est, *Tranquillam*, atque etiam ἱλαρὴν, & Ἥδιον, libr. de usu Theriac. ad Pamph. prope finem.

Thērίωμα, teterrimum ulcus est, tùm ex se nascens, tùm alteri superveniens, ut refert Celsus, colore lividum, nigrum, odore fœdum, multo mucoso humore repletum, quod inflammatio, febris, prurigo, & dolor comitantur, à quo sanguis interdum fluit, serpit, & exedit illud partes finitimas, atque ob id aliqui *herpetem exedentem* vocant. Aliqui dicunt idem esse cum *Carcinomate*, quod Galenus comm. 2. in 6. Epid. dicit in solo pulmone generari; alii in quâcunque corporis parte carnosâ provenire id ipsum statuunt.

Thermantica, calefactoria medicamenta sunt, quæ,

ſuo calore omnem partem calefaciunt, lib. de Dynam. in procœmio.

Therminthi nomen, nigras quaſdam puſtulas in cruribus maximè orientes, ſignificat; a figurâ, coloris, magnitudinisque ſimilitudine, quam cum Terminthorum, id eſt, cicerum fructu habent, derivatum, com. 3. in 6. de morb. vulg. 37. Τέρμινθος, ſpecies eſt Phymatis, inquit Oribaſius, ſupra quod puſtula nigra eminet, quâ rupta, infernè ſimilis deſquamato apparet; eo autem diſſecto, pus invenitur. Eſt & τέρμινθος, Terebinthus arboris nomen, cujus folia, & ſemen, & cortex adſtringunt, & ad eadem, ad quæ lentiſcus, conveniunt. Excalfacit ordine ſecundo, & adſtrictorium quiddam habet; ſiccat etiam ordine ſecundo.

Thlaſma, quæ & *Thlaſis* dicitur, vide *Rhegma*, & *Unionis ſolutio*.

Thlipſis, vide *Epiparoxineſtai*.

Thoracem conſueverunt Medici appellare, totum illud corporis ſpatium, quod duodecim coſtis, utrinque circumſcribitur; pertinet anteriore quidem parte ad pectorale os, ac ſeptum transverſum; declinat verò poſteriore ad ſpinam duodecim vertebris circumſcriptum, lib. de oſſib. cap. 13. & 6. de uſu part. cap. 2.

Thorexin nominare conſuevit Hippocrates, vini potionem, 2. aphor. 21. Θώρηξις, οἰνοποσία καὶ ἀκρατοποσία, vini meracioris potio eſt. Phavorinus inquit, θωρήσσειν inebriari dicitur, quod excalfaciat pectus, aut thoracem repleat, aut quod pugnaces ſint ebrii: Inde ἀκροθώραξ dictus, qui vel leviter, ut interpretatur Erotianus, vel ut quidam exponunt, ſummè ebrius eſt.

Thrombos, ſanguinis grumus eſt, ſeu ſanguis concretus, 5. meth. 8. vide *Grumus*.

Thrombωſis, eſt affectus, in quo lac grumeſcit in mammis, & in caſei formam tranſit; *grumeſcentiam lactis* Interpretes nonnulli vocant.

Thymiama, Latinis *Suffumigium*, quod ex moderatè adſtrin-

adſtringentibus, reſiccantibus, ac diſcutientibus vitioſos & ſeroſos humores, & corrigentibus humorum malitiam, & contrariam vim habentibus adverſus putrefactiones, quorum plurima ex aromatum ſylvâ habentur, conſtat, 8. de comp. med. loc. cap. 7. Θυμίαμα dictum volunt, quaſi θυμῷ ἴαμα, quoniam langueſcens animus ſuffitu ejuſmodi recreetur. Sed non deſunt, qui à Thyo odoriferâ herbâ deductum velint; ut neque qui ἀπὸ τῦ θύειν, hoc eſt, à *ſacrificando*, quoniam odores diis ſuffiebantur. De eo aphoriſmus celebris habetur apud Hippocratem, ſuffitus aromatum muliebria ducere, & ad pleraque alia utiles eſſe, niſi gravitatem capitis inducerent.

Thymus, aſperæ carnis extuberatio eſt, circa genitalia, ac ſedem oriri ſolita, lib. finit. & 14. method. 13. eſt & tumor præter naturam, vide *Epulis*. Eſt & *Thymus* idem quod *Glandium*, ſeu *Aden*, ſeu *Glandula*, vide *Aden*, & *Glandula*. Vel, ut alii, *Thymos* carnoſa eſt excreſcentia, nunc in Glande, nunc in Præputio, nunc in ipsâ ſede conſiſtens; ſic dictus, quod Corymbis Thymi ſit ſimilis. *Thymorum* autem alii *mites*, alii *maligni*. *Mites* ſunt exigui, ſcabri, candidi, dolore carentes; *feri* autem, ampliores, ſcabriores, lividi, dolorifici.

Thyroeides, eſt oſſis pubis foramen ab oſtii ſimilitudine, ſic appellatum, 3. de anat. adm. cap. 13.

Thyroeides cartilago, vide *Scutiformis*, & *Cricoeides*.

Tibia, eſt tota cruris pars, inter talum genuque, in interiori parte ſita; cujus tibiæ pars anterior, tenuis, & carnis expers, *Ocrea* appellatur, lib. de oſſib. cap. 22. eademque infra genu *Anticnemion*, 2. de anat. admod. cap. 4. poſterior carnoſa pars, *Sura*, & *Gaſtrocnemion* dicitur, 16. de uſu part. cap. 8.

Tilmata, ſunt diviſiones factæ in fibris muſculorum, dum ſcilicet illæ nimis diſtentæ, interdum rumpuntur, 4. de iis, quæ in medic.

Titillatio oculorum, vide *Mollities*.

Toma, pro *Phlebotomia* usurpatum legimus, 2. de natur. human. 9.

Tomi dentes, τομεῖς, sive τμητοὶ, aliàs, *Incisorii*, dicuntur quatuor primi anteriores, ad cultri similitudinem, ad eos cibos incidendos, qui mollitiem in se habent; sicuti ad dura confringenda, alii utrinque proximi constituuntur; cæteri ferè omnes dentes, *molares*, sive *maxillares* appellantur, lib. de ossib. cap. 4. quos etiam *Mylas*, id est, *Molas*, vocant, 11. de usu part. cap. 8.

Tonica, sive *Tonotica medicamenta*, sunt, quæ extrinsecùs illiniuntur partibus nervosis, ad robur hisce conciliandum, 13. meth. cap. 22.

Tonicus motus, est, qui exercetur imprimis à corpore laborante Tetano, duabus contrariis virtutibus oppositorum musculorum, inter se quasi pugnantibus, 1. de motu musc. cap. 8.

Tonos, *Nervus* nuncupatur, ab ipsis operationibus: uti enim *Nervus* ἀπὸ τοῦ νεύειν, id est, à *flectendo*; ita *Tonos*, ἀπὸ τοῦ τείνειν, id est, à *tendendo*, deductum est, 1. de motu musc. cap. 1. vide *Nervus*. Usurpatur etiam τόνος, pro vehementi desiderio, magnoque conatu, qualis esse solet per dyspnœas, & tenesmos; ut docuit Galenus, comment. 1. in prorrhet.

Tonsillæ, vide *Isthmus*, *Paristhmia*, & *Uvæ*.

Tophus, vide *Callus*.

Topica remedia, id est, *localia*, 13. meth. cap. 22. quæ loco affecto non priùs applicari debent, quàm totum priùs corpus purgatum sit, ne his irritato affectu, plus etiam affluat ad membrum læsum, vitiosi succi, lib. de remed. part. fac. cap. 6.

Torcular, sive *Lenos*, est locus quidam vacuus, quasi cisterna in vertice capitis, in quem meningis duplicationes sanguinem redundantem deducunt, unde rursum velut ab arce quâdam, omnibus subjectis partibus, sanguinis rivi mittuntur, 9. de usu part. cap. 6. & cap. 9.

cap. 9. de anatom. adm. cap. 1. *Ἀηὸς*, , nomen est profectum primum ab Herophilo, deinde ab Anatomicis usurpatum.

Tormina, Dysenteria, propriè non pro *ulceratione intestinorum*, ut plerique Medici solent, sed pro *cruentâ ex intestinis proluvie* sumit Hippo. ut etiam, quando ex jecoris imbecillitate, cruenta dejiciuntur, affectio talis quoque *torminum* nomine appellatur: id quod & fieri, & dici à Medicis quoque videtur, 4. de art. 4. Fiunt autem *tormina*, & propter morsum vehementem, & propter spiritum flatuosum, qui non habet exitum, sed in intestinorum involucris est interceptus, & præter naturam detentus, 4. aph. 11. vide *Dysenteria*.

Torpor, est motûs & sensûs difficultas, diminutiòve in toto corpore, & maximè in artubus à frigore, & compressione nervosorum corporum, concitata, 1. de caus. sympt. cap. 5. Aliquando *torpor* significat, ventriculi in concoquendis cibis imbecillitatem, com. 3. in 6, de morb. vulg. 1.

Tortio est, cùm articulus quidem est illæsus, sed nervosæ circa ipsum partes tortæ, & p.n. contractæ sunt; id quod maximè in iis contingit, quorum in vacuum gressus dilabitur, 3. de iis quæ in med. 31,

Toxica, hoc est, venena, quæ mortem inferunt, lib. de Dynamid. *Τοξικὸν*, apud Antiquos, certa quædam species veneni fuit teterrimi, nec tamen quid esset constare adhuc arbitror. Videatur Plin. libr. 16. cap. 10.

Trachea, sunt aspera medicamenta, quæ suffocata loca ulcerant, & exasperant, libr. de Dynam. in procœmio. *Τραχύτης, asperitas*, est vitiosa conformatio parti cui accidit, inæqualitatem absumpto humore inducens. Huic contraria affectio *λειότης*, id est, *lævitas*, dicitur, suntque primi generis morbi, qui in formatione consistunt, & à causis contrariis proficiscuntur. Exasperantur enim quæ priùs erant lævia; & lævigantur, quæ prius erant aspera: illa quidem ab humorum acrimoniâ,

moniâ, aut medicamentis adstringentibus reficcata, (sunt enim & acria & adstringentia potestate sicca) hæc verò à pingui & lento humore madentia. Præcipuè verò in ossibus hoc malum apparet, cùm non rectè à Medicis curantur.

Trachea arteria, vide *Aspera arteria*.

Trachoma, altera est species scabiei internæ palpebrarum, aspera, dolorem, & gravitatem faciens in oculis, humiditatemque nimiam ingenerans, lib. de ocul. part. 4. cap. 9. Provenit sæpè ex malâ curatione, affusis nimium diu collyriis. Nam sicut in vulneribus aliarum partium illita pinguia carnis excrescentiam inducunt, sic etiam in palpebrâ. Potest etiam ob diuturnam defluxionem excitari, sed non mordacem: humor enim mordax, non palpebram, sed oculum potiùs ipsum infestat. Hoc vitium sunt qui δάσυμμα, sive δασύτητα appellent. Attamen ea distinguit Aëtius, scribens δασύτητα esse inæqualitatem quandam palpebræ interioris superficiariam, & cum rubore: τραχύτητα verò, sive τράχωμα, esse palpebræ internæ inæqualitatem & asperitatem multò majorem, adeò ut intra eam emineant veluti Milii grana, aut Ervi semina cum dolore & gravitate. Malum autem utrumque oculos habet humidiores. Idem verò, si intendatur, magisque promineat, σύκωσις appellatur; tandem ubi ad extremum pervenit, τύλωσις. Τραχωματικὸν κολλύριον, est collyriorum certa species, tollendis oculorum asperitatibus efficax. Τραχωματικὸν autem pharmacum dicitur, quod deterget ea quæ adhuc mollia sunt, nec adhuc chirurgiam videntur postulare.

Traductio, est diducti ossis in naturalem statum reductio, lib. finit.

Tragemata, sunt ea, quæ post cœnam, voluptatis inter bibendum excitandę gratiâ assumuntur, 1. de ali. fac. 34.

Translativus motus, vide *Metalepticus*.

Transpiratio, seu *Perspiratio*, est insensibilis per poros dif-

difflatus excrementorum fuliginosorum flatus, 1. de sanitat. tuend. cap. 12. vide *Inspiratio*.

Transumptivus motus, quem *Metalepticum* vocant. est, quo per machinas utuntur plurimi, tùm architecti, qui Mechanici dicuntur, tùm Medici, qui organici nuncupantur, qualem motum natura musculis conciliavit, quoniam nervorum principio existens, Cerebrum & ratio, ibidem radicata, per nervos, tanquam habenas, musculos laryngis E. G. intendit; sic etiam nervus, qui à cerebro proficiscitur, à superiori loco per totum collum fertur deorsum, ad multam usque thoracis partem, indéque rursus redit usque ad laryngem, ubi nervis in laryngis musculos insertis, quasi à manibus quibusdam, singuli musculi deorsum trahuntur, 7. de usu part. 14.

Traulotes, Latinis *Blæsitas* nominatur, qui hâc passione correpti sunt, τραυλοὶ Græcis, *Blæsi* verò Latinis dicuntur, & sunt, qui certas literas Alphabeti exprimere non valent. Affectio autem varia esse potest. Primum quidem brevitas linguæ, quæ tamen rarissima est: Deinde ejus intemperies humida & mollities. Hæ namque sunt naturalis balbutiei causæ, à quibus fit, ut lingua prioribus dentibus malè innitatur; brevior quidem propter brevitatem; humidior verò propter imbecillitatem. Humidiores enim linguæ musculi non possunt firmiter stabiliri, quod est tamen necessarium ad literarum *t* & *r* pronuntiationem. Itaque eas tanquam *t* & *l* pronuntiant, pro τραυλὸς dicentes τλαυλός. Plurimi quoque balbutiunt ab externâ causâ, ut qui plurimum dicendo, aut tibiâ canendo, & ex febre vehementem linguæ siccitatem contraxerunt. Lingua enim his evadit imbecilla, nec propter siccitatem dilatari potest. Balbutiunt etiam aliquando ebrii, lingua & cerebro humore nimio perfusis & prægravatis Itaque patet præcipuam ferè balbutiei causam sitam esse in superfluâ humiditate:

pro-

propterea scripsit Hippocrates balbos alvi profluvio maximè corripi.

Tremor, vide *Palpitatio*.

Tremor oculorum, vide *Mollities*.

Trichiasis, id est, *Pilare malum*, morbus est, in quo cum crassâ urinâ, veluti capilli unà exeunt, 4. aph. 76. Siquidem talia quædam corpora in renibus possunt concrescere, ab humore crasso & viscoso, usto à calore, ut docet Galenus. Adhæc *Trichiasis* est affectio, in quâ pili inutiles, & pungentes palpebris innascuntur, 4. de compos. med. loc. cap. 8. vide *Phalangosis*. Provenit malum hoc ex superfluâ humiditate, ex quâ pili, tanquam herbæ in humidâ terrâ luxuriant, vel palpebræ ipsæ resolvuntur, nimio humore redundantes. Τριχίασις etiam vocatur mammarum dolor, quem pilus aliquando movet in poculo fortè haustus. Is autem non sedatur, donec pilus vel pressus spontè exeat, vel cum lacte exugatur. Id mali genus etiam τριχίαν vocant.

Triens, hoc est, unciæ quatuor, 4. de compos. med. per loc. cap. 84.

Triglochina, sive *Trisulca*, figura est, qualis E.G. in est quinque membranis cordis, tribus in dexterâ parte, duabus in sinistrâ consistentibus, similis figuræ triangulari, & telorum cuspidibus, 7. de anat. adm. cap. 9.

Trigona medicamenta sunt, ex seminibus composita, quæ sicut ad torporem inducendum mitiora, ita in futurum sunt minùs tuta: quibus omnibus utiliùs anodyna sumuntur, 12. method. cap. 1. Τρίγωνος, *Pastillus*, in medicinâ olim celebris ad sistendos dolores: est enim stupefactorius. Sic dictus fuit à figurâ, quâ fingebatur, non à numero medicamentorum. Constat enim quatuor medicamentis; semine apii, semine hyoscyami, aniso, & opio, sed quorum pondera non sunt eadem Galeno, Paulo, & Aëtio.

Tripsis, vide *Anatripsis*.

Trismos,

Triſmos, ſive *Tryſmos*, Latinis *Stridor*, eſt convulſio muſculorum mandibularum, ex quâ fit dentium invita concuſſio, 2. de cauſ. ſympt. cap. 2. Τρισμὸς, ſive τρυσμὸς, ſonitum edit, ſed tenuem ex inſtrumentorum anguſtiâ. Ex flatuoſo autem ſpiritu cum exiguo humore efficitur.

Triſulca, vide *Triglochina*.

Tritæophyes (quæ & *Tritæus*) *febris*, eſt tertianæ naturam ſapiens, quæ tertio die exaſperatur, & fermè in integritatem remittitur; ſed ſiqua febris, tertio quoque die exacerbatur, neque per minimum intervallum ita miteſcat, ut in eo febricitans propè ſinceram infebricitatem aſſequi videatur; hanc ſi quis *triæophyes* nominare velit, forſan & ipſe non ſine ratione in hanc ſententiam deſcendere videbitur, comment. 2. in 6. de morb. vulg. 23.

Tritæus, vide *Tritæophyes*.

Trivus, Græcè Τρίοδος, apud Hippocratem ſignificat eam corporis partem, cui ſive ſtantes, ſive ambulantes, ſive ſedentes, ſive jacentes, innitimur; ut ſtantibus nobis, atque ambulantibus, plantæ pedum; nates, ſedentibus; ſpina tota, ſupinis; cubito, innitentibus cubitus, 2. de his quæ in med. Sic etiam ut author eſt Galenus apud Hippocratem, locus tritus dicitur & calloſus.

Trochantera, Latinis *Tuberculum*, magni oſſis femoris proceſſum in ſpecie ſic vocant, 2. de anatom. adm. cap. 6. & libr. de oſſib. cap. 21. vide *Femur*.

Trochiſcus, vide *Paſtilli*.

Trochlea brachii, vide *Bathmides*.

Tromata, Latinis *Ictus*, nominat Hippocrates magnas noxas, ab aliquo extrinſecus, etiam ſine vulnere illatas, com. 5. in 6. de morb. vulg. 12. Unde Hippocrates τετρωμένον vocat eum, qui quovis modo offenſus ſit.

Tromos, id eſt, *tremor*, 2. meth. 2.

Tryſmos,

Tryſmos, vide *Triſmos*.

Tubercula, ſunt qnædam ſpontè naſcentes, & celerrimè factæ inflammationes, quæ celerrimè in altum attolluntur acumen, & celerrimè ſuppurantur, & plurima horum in inguinibus, & alis, eſt generatio, quoniam in his partibus multi ſunt adenes, qui apti naturâ ſunt ad has ſuperfluitates promptè excipiendas, 3. aphor. 26. *Tuberculum* inſuper *Phyma* nominat Hippocrates, quod alibi ipſe ſolitus eſt vocare *Suppurationem*, Græcè *Empyema*, 7. aph. 8. de tumor. cap. 15.

Tumor, vide *Oncos*.

Tunicæ cordis, ſunt corpora tegentia extrinſecùs utrumque ventriculum cordis, 6. de uſu part. cap. 8.

Tunicarum nomine, quidam ſola compoſita operimenta deſignant; alii autem craſſa; alii, niſi compoſita ſimul & craſſa extiterint, eis appellationem hanc non tribuunt. Ad eundem autem modum, & de *membranis* litigant; quibuſdam enim ſimplicitas ſufficit; aliis autem tenuitas; alii ambobus opus eſſe arbitrantur, ut ita nominentur; & niſi tenue fuerit ſimul, & ſimplex operimentum, id nolunt vocare membranam: At Antiqui certè, *tunicas*, *membranas*, *meningas*, præter hæc omnia alia operimenta ſic vocant; quos nos quoque ſequentes, à vanâ quidem in nominibus garrulitate diſcedemus, 4. de uſu part. cap. 9.

Turgere, verbum eſt tranſlatum ab animalibus concubitum appetentibus, ad humores; nam ſicuti illa ſtare loco non poſſunt, quâdam titillatione impulſa, eoquè affectu concitata, motu feruntur turbulento; ſic & humores plerumque in motu vehementiore, atque transfluxu à partibus ad partes, in morbi principio, moventes, titillantes, & quieſcere non permittentes, cùm & ipſi pariter moveantur, & transfluant, & perenni hâc ſuâ latione ægrum moleſtent, turgere dicuntur. Tales ergò dicuntur *humores turgentes*, qui ſunt in motu, latione, & fluxu, 2. aphor. 22.

Tur-

Turgidus dolor est, qui à parte primariò affectâ, veluti è radice incipiens, celeriter in partes adjacentes transfertur, 2. loc. aff. 7.

Turgidus pulsus, vide *Gracilis*.

Tussis, est vehementissima quædam efflatio, quâ plurimus simul, celerrimèque foràs actus spiritus attrahit, propellitque unà secum suo impetu, quæ vias suas obstruunt, 2. de sympt. caus. 4. Cùm enim externus aër in asperas arterias trahatur, quæ cartilagineæ duræque sunt, nec contrahi circa id, quod continent, possunt, incitatum hunc excogitavit spiritus exitum, quem vocant *tussim*, quo spiritus sibi ipsi violenter, & cum impetu delatus, vias expurgat, non aliter quàm tubos, & fistulas expurgant harum opifices, 4. de caus. sympt. 3.

Tussis sicca, in quâ nihil expuitur, 4. aphoris. 54.

Tylosis, id est, *callus*; sic autem nuncupatur, cùm in palpebris asperitates ex senectute crassiores, albidiores, & parùm sensiles extiterint, eóque minùs deleri possunt, lib. Introd. cap. 15.

Tympanias, qui & *Tympanites*, Hydropis est species, in quo spiritus flatúsve crassi, frigidi, totam thoracis superiorem, & inferiorem regionem, tumentes facit, 4. acut. 111. vide *Ascites*.

Tyneſmus, qui & *Tineſmus*, & *Teneſmus*, appellatur, est recti intestini vehemens tensio, & assidua dejiciendi cupiditas, paucis admodùm sequentibus excrementis, quæ quidem ab initio pituitosa & pinguia, progressu verò temporis, etiam abrasionis specie dejiciuntur, & iis, quæ à supernis descendunt, haud quaquam misceri videntur, 6. loc. aff. 2. *Tineſmus* (alibi dicit Galenus) ulcus est in recto intestino factum, quod quidem infert symptomata Dysenteriæ similia, nixus tamen multò vehementiores, quàm sunt dysentericorum, 3. de symptom. caus. cap. 2.

Typhodes febres, id est, Succendentes, ut *Causodes*. Incendentes, sunt, quarum media est *semitertiana*, 1. apho-

ris. 12. Τυφώδης πυρετὸς, nomen est febris continuæ & ardentis, non per se quidem natæ & essentialis, ut vocant, sed symptomaticæ, & à jecinoris erysipelate excitatæ. Ubi enim viscus id erysipelate afficitur, febrem inde ortam, τυφώδη Veteres appellarunt, sicut à ventriculi erysipelate λειπυρίαν, & ab eo qui pulmonem infestat, πνευμώδη. Galenus comment. in aph. 42. libr. 7. vide *Febris typhodes.*

Typhomania, (quæ & *Typhonia*) est Delirus lethargus, vel Lethargicum delirium, libr. finit. *Typhomia* appellatur, commistus affectus ex lethargo, & phrenitide, libr. de Comat. cap. 2. Ego verò, quoties ad finem usque tùm desipientia, tùm Coma persistunt, affectionem hanc ex phrenitide, & lethargo mistam, appello; quidam *Typhomaniam* vocaverunt, 1. prorrh. 1.

Typus, est ordo intentionum, & remissionum; *Periodus*, sive *circuitus*, est tempus intentionum, ac remissionum in morbis factum, lib. de Typis, cap. 2. sive, est formula quædam accessionis, cùm vel subsequitur, vel anticipat. Definitur quoque, quod sit reditus ab eodem, ad idem, 1. cris. 3.

Tyria, apud Arabes, & barbaram sectantes medicinam, idem est, ac *Ophiasis*; *Tyri* enim voce, *omnes serpentes*, & potissimùm *Viperas* intelligunt.

V.

VACUATIO, Græcè Κένωσις, vide *Purgatio.*

Vacuus pulsus est, qui arteriæ elevationem facit bullosam, ut digitorum impressioni egressus, per vacua occurrat, 1. de diff. puls. cap. 6.

Vaginæ, vide *Membrana dura.*

Vaginalis tunica, vide *Elytroides.*

Valga, appellantur crura, in exteriorem partem vergentia; quæ verò in interiorem, *vara*, & *manca*, 3. de his, quæ in med. 31.

Vapor,

Vapor, humor est extenuatus, qui pluribus est in spiramentorum raritate, corporis mollitie, substantiæ fusione, 1. simplic. 8.

Varices, sive *Cirsos*, venas omnes dilatatas antiqui appellabant, libr. de tumor. 16. *Varices*, sunt venæ latiores in coxis, testiculis, & cruribus, quæ ex crasso & melancholico sanguine turgent, adeò ut pellente naturâ, ad partes ignobiliores, humores crassos, & melancholicos, dictarum passionum generatio sequatur, 6. aphor. 21.

Variciformis flexus, vide *Flexus variciformis*.

Varicosus assistens, vide *Genitalis, Glandulosi assistentes*, & *Meatus genitalis*.

Varicosus Meatus, vide *Genitalis*.

Varus, exiguus durusque tumor est, in faciei cute obortus, Græcè *Ionthos*, qui differt à ficosis tumoribus in mento provenientibus, non solùm quod ex crasso humore consistat, verùm etiam quod participet tenui quâdam sanie, ratione cujus facilè ulceratur, non rectè, atque ex arte curatus, libr. de remed. part. fac. cap. 11. vide *Ionthos*, & *Ficosus tumor*.

Vasa deferentia, vide *Glandulosi assistentes*.

Vasa spermatica, Seminaria, quæ vulgò *Præparantia* appellantur, vide *Glandulosi assistentes*.

Vehemens pulsus (sive *Validus*, & *Fortis*) est, qui violenter tactum impellit, & quasi ferit: *remissus*, sive *languidus*, qui debiliter, de puls. ad Tyron. capit. 3. & lib. 3. de differ. puls. cap. 5.

Vehementia morbi, est ea, quam *magnitudinem* vocant; & *mos morbi*, quem *modum* sive *naturam morbi* appellant, 1. cris. 3.

Vellicationes, seu *discerptiones*, junioribus Medicis appellantur *convulsiones*, quæ in *fibris musculorum* contingunt, dum nimis intentæ, interdum rumpuntur, 3. de his, quæ in med. 30.

Vena, φλέψ, est vas spermaticum, unâ constans tu-

nicâ, fibris triplicibus contextum, sanguini deferendo destinatum: *venæ* etiam nomine, *arterias* comprehenderunt Veteres: quo sensu Plato in Timæo, venas à corde oriri asserit, ut testatur Galen. 6. de Placit. vide *Arteria*. Prodit autem Vena omnis ab hepate, quæ modò verè & simpliciter Vena dicitur. Nam siquis contendat Venam arteriosam à dextro cordis ventre nasci, ut certum id est, sic ea non simpliciter Vena dicitur. In universum autem duæ ab hepate oriuntur; una, à simâ ejus parte; altera, à gibbâ. Quæ ex simâ oritur, variis nominibus appellatur, μεγάλη, ἡ ἐπὶ πὰς πύλας, μεγάλη ἐπὶ πύλας, & πολυχοΐα, quod sit aliarum velut quidam truncus: Vulgò *Vena porta* dicitur. Hæc in simâ parte hepatis quinque interdum pluribus paucioribusve radicibus actis, & postea in unum truncum coalescentibus, jecinoris portis una amplaque egreditur: paulòque postea in duos majores ramos dividitur, quorum unus lienem petit, alter fertur in mesenterium, uterque in quamplurimos ramos divisus. Quæ autem à gibbâ parte jecinoris proficiscitur, pluribus similiter nominibus vocata est ab ipso Galeno, μεγίστη, κοίλη, ἡπατίτις. Ea venarium omnium capacissima est, sparsisque aliquot radicibus intra jecoris partem gibbam similes Venæ portæ radices spectantibus, & propemodum tangentibus, mox seu truncus unus emergit, nec multò post in ramos duos scinditur, quorum unus in superiores, alter in inferiores partes fertur.

Vena arteriosa, vide *Arteria venosa*.

Vena axillaris, vide *Axillaris vena*.

Vena azygos Græcè, *Conjugio carens* Latinè, vulgò *Vena sine pari*, ea est, quæ in quibusdam animantibus juxta cor adnascitur; in quibusdam verò ut in hominibus, ex eâ emergit parte, quâ cordis aurem dextram Vena cava tangit: Hinc, si quidem emergens, humiliùs depressiùsque per cor defertur, atque in spinam contorquetur, 2. acut. 10.

Vena

Vena Basilica, vide *Axillarũ*.
Vena capillarũ, vide *Apanthiſmos*.
Vena capitis, vide *Humeraria*.
Vena cava, vide *Cava vena*.
Vena cephalica, vide *Cephalica vena*.
Vena communis, vide *Communis vena*, & *Media vena*.
Vena conjugio carens, vide *Vena azygos*.
Vena coronalis, ſive *Stephaniæa*, vide *Vena Periſtephaniæa*.
Vena craſſa, vide *Craſſa vena*.
Vena cubiti externa, vide *Humeraria*.
Vena cubiti interna, vide *Axillarũ*.
Venæ emulgentes, vide *Emulgentes venæ*.
Venæ & Arteriæ umbilicales ſunt, quæ uteri acetabulis adhæreſcunt, quibus fœtus in utero alligatur, & per quas alimentum trahit, 1. de ſemin.
Venæ guidez, vide *Apoplecticæ*.
Venæ hæmorrhoidales, vide *Hæmorrhagia*,
Venæ jugulares, vide *Apoplecticæ*.
Venæ meſaraicæ, vide *Meſenterium*.
Vena funis brachii, vide *Funis brachii*.
Vena hepatica, vide *Axillarũ*.
Vena humeralis, vide *Humeraria*.
Vena jecoraria, vide *Cava vena*.
Vena iſchiadica, vide *Iſchiadica vena*.
Vena lata, & *magna*, dicitur *Vena humeralis*, 1. de artic. 53. licèt communiter Medici, & Anatomici, *magnam* vocant *Venam Portæ*, ſicut *Cavam*, *maximam* appellant.
Vena manifeſta, vide *Manifeſta vena*.
Vena media, vide *Communis*.
Vena nigra, vide *Media cubiti vena*.
Vena Periſtephaniæa (Latinis *Coronaria*) eſt, quæ cor ipſum coronat, principiumque ſui ortûs extra membranas habet. 6. de uſu part. cap. 14.
Vena Poplitis, eſt ramus medius Venæ cavæ, qui

deorsum ad Poplitem fertur, ubi vulgò *Vena poplitis* dicitur, & per profundum Suræ procedens, non modicam in musculos ejus ramorum sobolem spargit, atque ob id hæc vena *communis*, seu *media*, dicitur, quemadmodum etiam in manu, lib. de diss. ven.

Vena porta, vide *Cava vena*.

Vena purpurea, vide *Communis vena*, & *Media vena*.

Vena salvatella, vide *Salvatella vena*.

Vena saphena, vide *Saphena vena*.

Vena sine pari, vide *Vena azygos*.

Vena splenica, vide *Splenica vena*.

Veneticos oculos appellant eos, qui suffusione affecti sunt; fiunt autem *Venetici oculi* duobus modis, vel propter aquam, si nimiùm fuerit coagulata; vel propter siccitatem, quam patitur crystallinus humor, libr. de ocul. part. 4. cap. 12.

Ventralis dispositio, vide *Cœliaca*.

Ventrem superiorem, Veteres appellant *Thoracem*; alimenti autem receptaculum, sive abdomen, omneque id, quod à septo transverso est, *ventrem inferiorem*. Interdum autem *ventrem superiorem* nominabant, in quem cibi assumuntur, quæ ab eo sunt omnia, *ventrem inferiorem*; Interdum quoque sola sic nominant, *crassiora intestina*. Denique sunt, qui Colon duntaxat, *ventrem inferiorem* vocant, 4. acut. 112. 7. aphoris. 38.

Ventriculus est, in quem primò animalia cibum pertrahunt, 6. de anat. adm. cap. 2. Aliquando *ventriculi os superius* per abusionem, pro *stomacho* sumitur, libr. de cur. rat. per sang. cap. 1.

Vermiculans pulsus est, cùm speciès nobis tangentibus exhibetur quasi perreptantis arteriam vermis, undarum in modum insurgentis; idem ille parvus est languidus, & creber. Sin autem non parvitati, sed magnitudini sit adjunctus, dicitur *Undosus*: si ad extremam deveniat remissionem, crebritatem, & parvitatem,

tatem, *formicans* dicitur, de Pulſ. ad Tyronem, cap. 8. & 1. de differ. pulſ. 26. & 27.

Vermiformis excreſcentia, ſive *Epiphyſis*, vide *Vermis Cerebri*.

Vermis cerebri, eſt obſtaculum quoddam, quod habet pars ea, quâ à medio Cerebri ventriculo, ad poſteriorem itur, cujus forma eſt ſicut pinea, libr. de ocul. part. 2. capit. 2. Quin particula quædam Cerebri incumbit meatui, qui eſt à Cerebro ad Cerebellum, quæ circumſcriptionem obtinet figurâ vermi ſimilem, in lignis enaſcenti: Hinc etiam Anatomici *excreſcentiam* & *proceſſum vermiformem*, corpus hoc, quod totum meatum contegit, vocant, 9. de anat. adm. 5. dicitur & *vermiformis epiphycautes*, 9. de anat. adm. cap. 5. ac *vermiformis epiphyſis*, 8. de uſu part. cap. 14.

Vernaculus morbus, vide *Communis*, *Endemius*, & *Epidemius*.

Verricularis, vide *Amphibleſtroeides*,

Verrucoſa, vide *Dura ulcera*.

Vertebra, vide *Dorſum*.

Vertex, *Apex*, aut *Mucro cordis*, eſt inferior viſceris terminus, figurâ turbinatus, qui infernæ pectoris oſſis regioni cohæreſcit, ubi etiam mucronata cartilago conſtituitur, 7. de anat. adm. cap. 3.

Vertex capitis, (Græcè Κορυφὴ) in mediâ capitis regione, ſinciput ſuperante, eſt collocatus: unde velut à centro circulus, capillorum proventus, incipere videtur, libr. introd. capite decimo. Sunt qui eo nomine intelligant capitis partem inter ſinciput & occiput mediam & ſummam: Ea ϰεφάλη propriè dicitur. Sunt verò qui partem eam capitis interpretentur, in quâ capilli alii ad dextram, alii ad ſiniſtram invertuntur, ut non ſit aliud ϰορυφὴ, quam linea illa, quæ capillos in duas partes diſtinguit. Unde & διϰόρυφοι, id eſt, *Bivertices*, dicuntur, non ii quidem, quibus os ſummum capitis geminum ſit, ſed illa potiùs linea, diſcrimen-

que capillorum. Rufus κορυφὴν definit id quod in medio est, per quod maximè volvuntur capilli. Id quod etiam secuti Latini, *verticem* dixerunt, à *vertendo*, nimirum propter flexum capillorum, quod illic velut in gyrum ii vertantur. Quam etiam ob causam quidam ex Græcis, ἑλιγμὸν, & πόλον ἀπὸ τοῦ πολεῖν, hoc est, à *vertendo*, eandem partem appellarunt.

Vertigo, est affectio, quâ caput absque externis causis in gyrum circumagi videtur, 4. acut. 42. vide *Scotodinos*.

Vesica fellis, vide *Cystis Choledochos*.

Vestigium, vocatur inferior pars pedis, 2. de fractur. cap. 10.

Vetternus, est gravis sopor, de caus. morb. cap. 3. sive ignavia & stoliditas cum somnolentia, 1. prorrhet. 31. & 2. aphor. 3. Dicitur autem *Vetternus*, quasi *veteranus morbus*, qui *Lethargus* vocatur, in quo ægri veteranorum, id est, senum more, inexpergiscibili somno detinentur. Terentius in Eunucho.

Vibratio, sive *Agitatio*, est violentus totius corporis hujusque partium motus, ut conquiescere non liceat, etiamsi strenuè admodùm renitaris; differens à *Tremore*, qui, nisi partem movere velis, non accidet, libr. de trem. palp. cap. 6.

Vibratus pulsus, (Græcè κλωνώδης,) vide *Convulsivus*. Hic pulsus perpetuò durus est, & propter duritiem vehemens. Fit autem cùm valida est facultas, instrumentum durum, & urgens usus, quorum unum si absit, *vibratus* fieri non potest. Galen.

Victum appello, non hunc tantùm, qui cibo, & potione constat, verùm etiam, qui omnibus aliis, ut ocio, exercitatione, balneo, venere, somno, vigiliis, & omnibus, quæ quovis modo fiunt in humanis corporibus, ipsamque adeò vivendi rationem, comment. 3. in 3. de morb. vulg. 9.

Villi, vide *Fibræ*.

Vina

Vinàciæ, sunt solidæ uvarum reliquiæ, cùm in torculari succus ipsarum omnis expressus fuerit, 2. de aliment. facult. 9.

Vinum aparachyton, id est, originale, cui marina aqua non est addita, 4. de comp. med. loc. cap. 7. cui proindè opponitur *vinum tethalassomenon*, 4. acut. 2. Ἀπαράχυτος οἶνος, dictum vinum est ad ejus laudem à mercatoribus, quasi purum & sincerum, nec adulteratum aqua marinæ misturâ, tanquam per se satis firmum & generosum. Neque enim nobilibus vinis misceri solet aqua marina, sed imbecillioribus, quæ θαλάσσια & πεθαλασσόμενα ob id dicebantur, ut eo quasi fuco adulterata, calidiora & acriora viderentur, tum ut faciliùs à mercatoribus conveherentur, & longæ viæ incommoda perferrent, atque etiam diutius servari possent. Sed temperandi ratio varia fuit, ut docet Dioscorides. Alii, inquit, statim cùm decerptæ sunt uvæ, aquam maris admiscent. Alii, in areâ uvas Sole siccant, quibus calcatis, marinam adjiciunt. Alii, passas priùs uvas, in doliis marinâ aquâ macerant, mox calcatas exprimunt: quod tamen magis passi generibus adscribitur. Omnia ejusmodi vina siccant, sitimque inducunt, pro modo aquæ marinæ admistæ stomacho adversantur, nervos infestant, alvo tamen apta esse, Dioscorides prodidit. Fuerunt hujus generis, ut idem ait, vena Coa & Claromenia, quæ propter plurimæ aquæ marinæ mistionem facilè corrumpuntur, flatus movent, alvum turbant, & nervis officiunt. Splenicis quidam Veteres exhibuerunt. Discorides lib. 5. meminit etiam vinorum ἀπαραχύτων, quæ admistam sapam recipiant: quæ quidem revera ἀπαράχυτα sunt, id est, aquæ marinæ expertia, sed tamen alio liquore adulterata, sapâ scilicet immistâ.

Vinum vinosum, vide *Hydatodes*, & *Oenodes*.

Virtus naturalis, vide *Virtutes*.

Virtus ratiocinatrix, vide *Virtutes*.

Virtus vitalis, vide *Virtutes*.

Virtutes, (quas *facultates* Medici vocant, Plato *animas*) sunt tres illæ, quæ toti corpori, ex principiis, suo veluti fonte distributæ, animal gubernant. Prima, *naturalis*, *altrix*, *appetitrix*, *alterans*, & *concoquens* appellatur, 2. prognost. 26. ad nutriendum animal necessaria, stirpibus communis, quæ Jecur veluti pro fonte habet; canales verò, ab hoc in totum corpus sparsos, obtinet ipsas venas. Altera, *facultas*, seu *anima vitalis*, & *animosa* appellatur *virtus*, quæ non modò ut stirpibus, aut vitâ præditis, sed etiam ut animalibus, anima est insita, sedem habens in corde, cujus canales arteriæ sunt. Posterior, *Ratiocinatrix*, in Cerebro domicilium habens, voluntariis actionibus, unà cum sensibus præsidens, cujus canales sunt nervi, sensum motumque in totum animal deferentes, 9. method. 10.

Vitalis motus, vide *Motuum species*.

Vitellina bilis, quæ & *Lutea* dicitur, vide *Bilis pallida*.

Vitiliginum, quas *Alphos* vocant, *generatio* similis est generis, cum eo affectu, quem *Leuce*, sive *albam vitiliginem*, Arabes, *Albaras* appellant, non tamen sub iis tota caro vitiatur, ut in *Leuce*, sed in summo corpore, veluti squamæ quæpiam, *Vitiligines* infiguntur; albæ quidem, ex pituitoso; nigræ, ex melancholico succo exortæ, 3. de sympt. caus. cap. 2. In *Vitiligine* autem alba, fit nutrimenti appositio, non assimilatio, 1. de natur. fac. cap. 11. Ἀλφὸς est vitiosa macula & fœda in corporis cute apparens, & ex malo corporis habitu excitata, sed sine manifestâ cutis asperitate, sine squamis, sine exulceratione. His enim notis à psorâ, lichene, & leprâ, cæterisque hujus notæ tumoribus distinguitur, Dicitur ex eo quod colorem cutis immutet. Immutare enim apud Veteres ἀλφάνειν dicebatur. Est autem ἀλφὸς non totius quidem carnis affectio, sicut Cancer & Elephas, sed summæ modo carnis cutisque

ab

ab improbo ſanguine, aliàs pituitoſo, aliàs autem melancholico proveniens, qui cùm probè adhæreat affectæ parti, non tamen aſſimilari poteſt. Ejus tres ſpecies ſunt, ἀλφὸς, μέλας, λεύκη. Utrum autem aliquod horum ſanabile ſit, an non ſit, experimento facili colligitur: Incidi enim cutis debet, aut acu pungi. Si ſanguis exit, quod ferè fit in duobus prioribus, remedio locus eſt: ſi humor albidus, ſanari non poteſt.

Vitreus humor, à Praxagorâ appellatur *vitrea pituita*, pituitæ ſpecies eſt frigidiſſima; quippe vitro fuſo, tùm colore, tùm ſubſtantia haud abſimilis, 2. loc. aff. 5.

Vitreus oculi humor, vide *Hyeloeides*, & *Cryſtallinus*.

Ulcera dura, vide *Ochthode*, & *Dura ulcera*.

Ulceratio oculi, eſt ruptio circa corneam tunicam, quæ vel ex ictu, vel ex phlegmone oritur, lib. finit.

Ulcus, quod Græci *Elcos*, vide *Unionis ſolutio*.

Ulcus depaſcens, vide *Phagedænas*.

Ulna, vide *Cubitus*.

Ulomelia, id eſt, *ſolimembria*, eſt totius corporis, ex membris compago, 1. de uſu part. 8.

Umbilicus, nihil aliud eſt, quàm multitudo magnorum vaſorum, quæ ex multis parvis venis, & arteriis, & propaginibus earundem per totum Chorion diſperſis, conflata eo loco unitur, per quæ ipſiſſima vaſa, & ſanguis, & ſpiritus, ad fœtum derivatur, in medio urinaculum habentium, libr. de diſſect. vulv. cap. 10.

Uncia, habet drachmas octo, quæ drachmæ etiam *Holce* dicuntur; Drachma habet ſiliquas duodeviginti, alii dicunt ſcrupulos tres: ſcrupulus, ſive ſcruptulus, habet obolos duos, (hodiè gr. xx.) obolus ſiliquas tres, lib. de pond. & menſ. cap. 3.

Undoſus pulſus, vide *Vermiculans*.

Unguis, ſive *Ungula*, vide *Pterygium*.

Unio, vide *Proſthefis*.

Unionis ſolutio, ſive *Continuitatis ſolutio*, eſt morbus, in quo partes, quæ ſecundum naturam unionem acce-

perunt,

perunt, inter se solvuntur, libr. de const. artic. cap. 6. quæ quidem unionis solutio, si in osse fiat, dicitur *Fractura*, seu *Catagma*; in nervosis musculorum partibus ex distentione, *ruptura*; in fibris, *Convulsio*, seu *Spasma*; in carne ex vulnere, *Incisio*; ex aliquo acuto, *Punctura*, seu *Punctio*; ex aliquo gravi, *Contusio*; ex erosione in osse, *Teredon*; in carnosis partibus, *Ulcus*; in instrumentalibus & ligamentis, *Avulsio*, sive *Apospasma*, ibidem; in vasis musculisque, ex violento ictu, vel gravi casu, vel alio quopiam valente motu excitata, *Rhegma*, & *Thlasma*; cum contusione & ruptione, *Ecchymosis*, 4. meth. 1. ab aliquo acuto occursante, atque abscindente, *Incisio*, *Dissectio*, & *Sedes*, lib. de caus. morb. c. 11.

Universalis morbus, vide *Communis*.

Univoca, vide *Æquivoca*.

Vocis organa voco, per quæ spiritus redditus vocem efficit; hæc sunt aspera arteria, guttur, fauces, veluti spiritûs plectrum, per ipsas transeuntis; nam hæ vocis instrumentum sunt, ut locutionis, lingua.

Vola manûs, nominatur supina pars manûs, juxta pollicem assurgens, Græcè θέναρ; cui pars opposita, *Hypothenar*, & *Subvola* vocatur, 1. de usu part. cap. 17.

Voluntarius motus, vide *Motuum species*.

Volvulosa, Stomachi subversio, vide *Subversio*.

Volvulus, vide *Chordapsus*, & *Ileos*.

Vomica, vide *Fistula*, & *Sinus*.

Vomitus, & *Nausea*, expultricis facultatis ventriculi depravati motus sunt, ad ea, quæ hujus in cavitate continentur, noxia quàm citissimè per stomachum vacuanda; Nec idem est vomentbus & singultientibus motus, quippe in vomitionibus ea, quæ in capacitate sunt ventris, rejiciuntur; in singultu, quæ in ipsâ ventriculi sunt substantiâ, & fibrosis nexibus simili scilicet tùm affectu, tùm motu, qualis est iis, qui ex intemperie tussiunt, omnibus nimirùm ventriculi partibus, quod sibi molestum est, expellentibus, 3. de sympt. caus. cap. 2.

Ura-

Urachòs, appellatur meatus & ligamentum, quod infantis umbilico inſeritur, ex quo etiam ille enaſcitur, & ſuſpenſus eſt, qui ipſe meatus mutuo congreſſu quinque vaſorum umbilicalium abſolvitur; nam à venis, quæ ſecundas implent, binæ prodeunt venæ, ab arteriis ibidem ſitis, itidem binæ arteriæ, & à nervis unus nervus, qui complicati mutuò, umbilicum abſolvunt, lib. Introd. cap. 11. vide *Umbilicus*, & *Urinaculum*. Οὐραχὸς, ſive ἐρμχὸς allantoeides tunicæ eſt initium, perforaturque ſatis lento & evidenti meatu ad fundum veſicæ ipſius fœtus, ſic ut allantoeides cum veſicâ τῷ ὐρμχῷ, qui medius inter utrasque eſt, conjungatur. Per eum urina fœtus defertur in allantoeidis cavitatem longam, anguſtam, rotundam, quæ in ipſius fines magis effunditur, ne amnion, chorion, uterum, ipſumque fœtum premat. Neque enim urinam retineri intra veſicam expediebat, neque per veſicæ cervicem reddi, ne fœtui circumfuſa, ejus cutem exulceraret.

Uraniſcus, id eſt, *parvum cœlum*, quod Latinè *palatum* dicitur, pars eſt oris ſuperior, à cœli ſimilitudine nomen accipiens, lib. finit. quod in cœli modum cameratum ſit. Dicitur etiam ὐρανός.

Urentia, vide *Cauſtica*.

Ureteres, ſunt meatus quidam oblongi, & fortes, *Pori urinarii* dicti, qui renes veſicæ committunt, ducentes per colatoria, urinas à ſanguine ſegregatas, ad veſicam, 5. uſu part. 5. Qui urinarii meatus, nec *arteriæ* ſunt, cùm nec pulſent, nec duplici conſtent tunicâ; neque *venæ*, quia ſanguinem in ſe nullum continent, nec ſimilem omninò venæ habent tunicam; à nervis autem plùs diſtant, quàm à jam dictis, 1. natur. fac. c. 6. Οὐρητῆρες & ὐρητικοὶ πόροι dicuntur Græcè. Habetur autem utrinque unus, qui conſtans tunicâ tenui, ſed densâ, & fibris tantùm obliquis textâ, à renis ſinu per ejus ſimam partem ſuper lumbos fertur, ubi alteram à peritonæo tunicâ venulis & arteriis intertextam mu-

mutuatur; tandem verò inter veſicæ tunicas ſpatio brevi interlapſus, paulò ſupra veſicæ os in ipſius capacitatem erumpit. Ad ipſum autem foramen membranulæ geminæ ex veſicæ corpore propendent, veluti proceſſus quidam, quæ urina in veſicam ab uretere delabente cedunt & aperiuntur, eædemque, ubi veſica plena eſt, urinam in uretera regeri & remeare prohibent.

Urethra, ſive *Urithra*, eſt meatus penis, urinæ reddendæ accommodatus, quem & *fiſtulam urinariam* appellant, 4. aph. 82. Oritur à cervice veſicæ, 1. loc. aff. 1. vide *Fiſtula urinaria*.

Uretica, vide *Diuretica*.

Urina, quam Græci οὖρον vocant, eſt excrementum tenue & aquoſum ſanguinis, 5. uſu part. 5. vide *Lotium*.

Urina optima, cujus ſedimentum album, & læve, & æquale extiterit omni tempore, uſque dum judicatus fuerit morbus, lib. de atrâ bile, cap. 8.

Urinaculum, quod Græci οὐραχὸν vocant, eſt & dicitur illud, quod ex venis duabus, totidemque arteriis, & uno nervo ſimul in χοΐρον, ſive muliebribus locis, quandam quaſi caudam conficit: hoc meatu, qui à ſupremâ fœtus veſicæ fundi regione, per umbilicum in cavitatem pertinet, quæ inter ſecundum & tertium conſiſtit involucrum, lotium in alantoeideâ tunicam derivatur. Hunc ſolers natura excogitavit atque fabrefecit, ut fœtus urinam, longiùs à corpore ſummoveret ipſius, & ne per veſicæ cervicem urina reddita, admotaque teneræ cuti, ipſam ſuâ exulceraret acrimoniâ. Apud Hippocratem lib. περὶ καρδίας, ita legitur: Οὐδὲ ἡ καρδίης νέμεται τὴν ἐχατιὴν, ἀλλ' ἐγκαταλείπει τὸ οὐραχὸν καὶ στερεόν ἐστι; ubi pro *mucrone cordis* ſumitur. Vel breviùs: *Urinaculum* eſt meatus, qui ex fundo veſicæ exortus, lotium in tunicam allantoeidem prægnantis mulieris derivat; quæ ita à ſimilitudine figuræ, quam

quam habet cum inteſtinis, appellatur, 15. de uſu part. cap. 15. vide *Urachos*, & *Umbilicus*.

Urinarii, vide *Ureteres*.

Urinarius meatus, Græcè ἀεραχὲς, ἀρτηρία, vide *Ureteres*.

Urinæ difficultas, & *ſuppreſſio*, vide *Iſchuria*.

Urinæ profluvium, vide *Diabetes*.

Urinæ ſtillicidium, vide *Iſchuria*, 3. aphor. 16.

Urinæ ſubſtantia, vide *Conſiſtentia*.

Uron, vide *Urina*.

Uteraria, vide *Hyſterica*.

Uteri ſuffocatio, eſt reſpirationis ob uterum p. n. affectum ablatio, quæ & *Apnœa* vocatur. eandemque *Uterinam ſuffocationem*, & *ſtrangulationem* appellant, 5. aph. 35. denique & *Hyſtericum morbum*, 4. de cauſ. pulſ. 22.

Uteri Rheuma, vide *Menſes*.

Uterus, Μήτρα, *Vulva*, & *Matrix* appellatur, eſt ea corporis pars, quæ mulieribus ad concipiendum & pariendum, à naturâ eſt conceſſa, 6. loc. aff. 5. Magnitudo mediocris uteri longa ut plurimum eſt undecim digitos, à fundo ad pudendum. Ad ilia autem præcipuè cornibus extenditur. Diſtinguitur autem uterus ſinu duplici, quem κόλπον appellant, dextro & ſiniſtro, per illam tunicæ propriæ in medio glutinationem futurâ quâdam, qualis ſcroto ineſt, obſcuriore tamen foris deſignatam. Uteri os in virginibus & utero gerentibus, & ſterilibus, & parere ceſſantibus eſt glandi virili perſimile: parturientibus verò & recens enixis adeò extenditur & patet, ut nihil ejus ſuperſit, ſed cavitas una propè æqualis à fundo uteri ad pudendum appareat. Id os à conceptu multum contrahitur, teſte Hippocrate, mediocriter autem aperitur, dum ſemen recipit, aut ipſum excernit, vel menſes: idem os epiploön inter veſicam & uterum illapſum in valde obeſis comprimit, & conceptum impedit, ut ſcribit Hippocra-

pocrates. Uteri collum est corpus musculosum carne durâ & cartilaginosâ constans, in annos semper magis durum & cartilaginosum evadens, ita ut vetulis jam sit simile summitati asperæ arteriæ, ut rectè comparavit Herophil. Colli autem uteri os, *Cunnus* Latinè dicitur.

Utricularii, vide *Hydrici*, & *Ascites*.

Uva, vide *Gargareon*, & *Staphyle*.

Uvæ, *Paristhmia*, & *Tonsillæ*, nihil aliud sunt quàm inflammationes: *Uvæ* quidem Gargareonis; *Tonsillæ* verò adenum eorum, qui in principio faucium inter se oppositi sunt, quemadmodum *Paristhmia*, corporum eorum, quæ in faucibus sunt. Videtur autem Hippocrat. non omnem Gargareonis inflammationem *Uvam* nominare, sed unam solam speciem, quâ Gargareonis terminus similis acino uvæ est, lib. de tumor. cap. 17. vide *Staphyle*, & *Gargareon*.

Uvæ vinosæ, quæ nullam vehementem qualitatem habent, 2. de aliment. fac. cap. 9.

Uvea oculi tunica, vide *Rhagoeides*, & *Cærulea*.

Uviformis, vide *Rhagoeides*, & *Cærulea*.

Vulgaris morbus, vide *Communis morbus*.

Vulsio (aut potiùs *Divulsio*) est, cùm fibræ musculorum nimis distentæ rumpuntur; aliàs *Discerptio* appellatur, 3. de iis, quæ in med. 30.

Vulva, vide *Hystera*, & *Uterus*.

Uvula, vide *Staphyle*.

X.

XEROPHTHALMIA, ξηροφθαλμία, id est, *arida lippitudo*, dicitur, cùm anguli oculi ulcera, & aspritudinem, pruritumque contraxerunt, palpebræ insuper rubent, & lacryma salsa, & nitrosa ab oculis profluit, lib. Introd. cap. 15. vide *Sclerophthalmia*.

Xerotes, ξηρότης, siccitas una est ex quatuor primis qualitatibus. Eam autem quadruplicem in nobis accidere,

dere, Galenus annotavit lib. 7. meth. quarum prima est, quæ in exilibus venis & arteriis cujusque particulæ propriis consistit, quæ provenit ex sanguinis penuriâ. Secunda est, cùm propria humiditas, unde partes nutriuntur, omnino est assumpta. Continetur ea in omnibus animalis partibus, ceu ros quidam per eas sparsus. Est præterea siccitas utique quum ea quorum substantia ex humore concreto constat, sicut caro & adeps, sunt liquata. Quarta est prorsus insanabilis, si consummata fuerit; est autem prorsus consummata, ubi solida similarium partium substantia reddita est siccior. Quippe quod senium est in morbis, id sicca intemperies est in ægris. Porrò ejusmodi siccitates proveniunt ex diuturnis evacuationibus, quæ vel ex ventris profluvio, vel intestinorum lævitate, vel dysenteriâ, aut diuturnis vomitibus, aut vigiliis, aut tali aliâ de causâ proveniunt, aut longi temporis fame, & febribus ardentibus longis, atque ut in universum dicatur; quæcunque ipsas animalis solidas partes vehementer exsiccant, sicuti & hecticæ febres.

Xerotribia, id est, *sicca frictio*, 8. method. 2.

Xiphoeides, vide *Pectorale os*, & *Cartilago ensiformis*.

Xyster, vide *Aures*.

Z.

ZOOGONIA, Ζωογονία, id est, animalium perfectorum generatio univoca, libr. de constitut. art. cap. 13.

Zulapium, Actuarius, & alii recentiores Græci, barbarâ voce appellant id, quod hodiè *Iuleb* & *Iulepum* itidem barbaro vocabulo nuncupamus: fit è stillatitio liquore, aut etiam è succis, & saccharo tantùm decoctis, ad justam consistentiam, ut ex Mesue satis constat; licèt Seplasiarii ab eâ formâ compositionis, nescio quo jure, nonnihil discesserint.

Zygoma, os jugale est, quod temporis musculo præpositum, transversam in medio suturam habet, cujus posterior pars cum capitis osse, quod juxta aures est, anterior cum parte supercilii extremâ, ad parvum oculi angulum, continuatur, lib. de ossib. cap. 2. quod duplex est, ad utramque aurem, super foramina, per quæ facultas audiendi est, emergit, lib. Introd. cap. 11. vulgò *os paris* vocant, alii *jugamentum*, Græcè autem ζύγωμα, sive συζυγῶδες, quasi *conjugale*, & *ex duobus conjugatum*, vocatur. Est autem solidum & durum in lapidis modum, medullæ expers, & foris quidem gibbum: intus verò cavum, quod musculum temporalem, quem subjectum habet, & cui velut propugnaculum objectum est, contineret, & ab externis injuriis vindicaret. Siquidem sub hoc osse musculus ille magnâ ex parte delitescit.

Zymoma, Σύμωμα, seu ζύμη, *fermentum*, est farina subacta, quæ acorem contraxit. Subigitur aquâ, priusquam addatur sal, & quia non perfectè coquitur, putrescit, caloremque & acrimoniam à putredine concipit, ut & alia quæ putrescunt omnia. Simul autem & tenuitatem partium & aciditatem acquirit, veluti acetum, quod putrescente vino tale evadit: Ergo quantò vetustius fermentum fuerit, tantò est præstantius. Sic enim calidius, acrius, & tenuius est, magisque ea quæ in alto fixa sunt, attrahit, & discutit. Miscetur ob id panificiis, levioremque panem, & concoctu digestuque faciliorem exhibet. Miscetur & medicamentis extrahentibus & digerentibus, atque etiam suppurantibus.

Zymosis, Σύμωσις, *fermentatio*, ut Plato definivit, est terrenæ substantiæ motus simul, & in aërem resolutio. Est enim motus; fermenti vi factus in terreno crassoque corpore, quo in tumorem levem attollitur, conceptoque aëre distenditur, inflatur, & quodammodo ebullit. Id quod fermentum farinæ triticeæ subactæ inditum evidenter præstat, & in multis rebus tum simplici-

plicibus, tum compositis, quæ per se eam vim fermenti acquirunt, manifestò cernitur. Ipse enim vini fervor in dolio, & solidiorum medicamentorum, ut Mithridatii, Theriaces, & Conservarum, ut appellant Pharmacopolæ, ebullitio (neque enim Plato inter ζέσιν & ζύμωσιν distinguit, utrumque eâdem definitione comprehendens) quædam fermentatio est, etiamsi inde acida non fiant, ut nec ipse panis fermentatus. Idem effectus & in atrâ bile apparet, quæ incendio bilis flavæ genita, terram in quam effusa fuerit, abradit, & partes quæ raduntur omnes in altum attollit. Est enim is humor aceto simillimus, ex quo in terram effuso idem omnino fieri apparet, eumque propterea Veteres humorem acidum nominaverunt, æquè ut pallidæ bilis amarum. Ab eâdem causâ etiam ἔρα ἐζυμωμένα, hoc est, urinæ fermentatæ dicuntur ab Hippocrate, ut annotat Galenus. Sicut enim in terram acetum acre effusum protinus intumescens, quasdam terræ partes sursum simul attollit, fitque compositum quoddam ex terrestri substantiâ aceti, humiditate, & vaporoso spiritu, aut veluti effusâ in terram atrâ bile, aut in fervente musto, motio quædam spirituosa manifesto assurgit, aut sicut in panibus quotidiè, misto farinæ subactæ fermento & mediocriter macerato, fermentatio fieri cernitur, fusâ simul & intumescente, quæ fermentatur, substantiâ: sic & in urinis aliquando crassis multum spissisque levis quidam fervor per agitationem excitatur, motisque & rarefactis spiritibus in eâ conclusis, in majorem, quam cùm primùm excretæ fuerant, tumorem attolluntur.

Σύμωσις ἥπατος, jecinoris tumor œdematosus dicitur apud Hippocratem, ut annotavit Erotianus.

Zone, dicitur pars ea corporis quâ cingimur, apud Hippocratem, quanquam sunt qui τὴν ὀσφὺν interpretentur, ut annotavit Erotianus. Est & ζώνη ignis sacer, sive herpetis species, sic dicti, quod medium quodammodo cingat, & complectatur hominem, ut author est

Scribonius Largus, cap. 62. ſcribens, medicamentum Andronis facere ad carbunculos, & ignem ſacrum, & ad Zonam, quam Græci ἕρπητα dicunt: ſed magis uſitato nomine ζωστὴρ appellatur. C. Plinius Secundus lib. 3. quem ſcripſit de medicinâ, ait τὴν ζώνην à quibuſdam *circinum* appellari, fierique hunc in modum: veſicæ tanquam combuſtæ exeunt & crepant, primum paucæ; deinde citò multiplicantur; quæ ſi hominem cinxerint, occidunt.

Zotica dynamis, Σωτικὴ δύναμις, eſt facultas vitæ conſervatrix. Nam cùm vita nil aliud ſit quàm copula animæ & corporis, eaque uno calore nativo contineatur, meritò ea facultas vitæ conſervatrix haberi debet, cui à naturâ caloris hujus gignendi, continendi, partibusque omnibus impertiendi cura commiſſa fuit. Eam facultatem Medici *vitalem* appellarunt multò præſtantiore nomine, quàm reliquas facultates, quæ quamvis tam ſint ad vitam neceſſariæ, ut ſine ipſis ea nullo modo conſtare poſſit, prærogativam tamen eam habet vitalis, ut per eam vita conſiſtat. Siquidem calorem nativum, quo uno vivimus, ſola moderatur. Cujus rei cauſa in corde reſidet, viſcere nobiliſſimo; quod propterea omnium in corpore primum vita fruitur, & poſtremum vivere deſinit, ſitumque eſt medio in corpore, ut quoquoverſum calorem ſuum in omne corpus effundat. Neque enim ſatis naturæ viſum eſt nativum calorem ſingulis partibus in ipsâ primâ conformatione indidiſſe, qui fixus à Medicis dicitur: ſed quoniam multis de cauſis alterari, imminui, digeri, extinguique poteſt, eum perpetuâ alterius caloris ὁμογενοῦς acceſſione refici, atque inſtaurari oportuit: Quod quidem munus facultatis proprium eſt. Eo autem ut defungeretur natura, cor condidit hujus caloris ſedem, in cujus ventriculo maximè ſiniſtro tanquam in fornace coqueretur. Materia ejus pabulumque ſanguis eſt, atque ſanguinis vapor, quem dexter cordis ſinus ſuppeditat, qui poſtea perenni

perenni cordis motu elaborat, & calidior tenuiorque effectus vitalis spiritus nomen accipit, non tam jam pabulum caloris illius nativi quàm vehiculum. Calor namque nativus duobus iis comitibus in singulas corporis partes per arterias decurrit, earumque perpetuâ pulsatione calorem ipsis à naturâ insitum temperat atque refocillat. Idem enim præstat universo corpori arteriarum motus, quod cordi respiratio, quæ aëris inspiratu non modò calorem in corde alioqui exardescentem leniter ventilat, sed etiam adauget, expiratione verò fuliginosis excrementis liberat. Itaque cùm facultatis vitalis munus proprium præcipuumque sit vitæ conservatio, caloris nativi beneficio: vel si mavis caloris nativi; quo uno vita continetur, generatio & custodia: præstari autem id non possit absque cordis & arteriarum pulsu, ut qui in eo in opere habeat rationem causæ per quam vita calorque nativus conservetur: consentaneum est vim quoque pulsificam facultatis vitalis functionem esse: neque enim pulsus aliud est, quàm caloris nativi motus. Sed nec minus inter ejusdem facultatis actiones annumeranda sunt animi pathemata, quæ & ipsa motus sunt nativi caloris, sed diversi à pulsu generis. In pulsu namque, tum in ipso corde motus fit, tum per arterias: per animi verò pathemata non in corde modò cientur caloris motus, sed per universum etiam corporis habitum sentiuntur. Si quidem in mærore & metu, adhæc iræ & verecundiæ initio, calor nativus intro cum spiritu & sanguine recurrit: contrà, in gaudio, irâ, & verecundiâ jam vigente, ad cutem cum spiritu & sanguine plurimus erumpit. Quorum quidem motuum concitandorum facultas θυμοειδὴς à Philosophis appellata fuit. Ex quo patet facultatis vitalis geminam esse differentiam σφυγματώδη & θυμοειδῆ.

FINIS.

PRÆCIPUARUM ARABICARUM vocum, ad artem medicam facientium, ordine Alphabetico series : in quâ videre est, quæ Arabica vox, cui Græcæ & Latinæ reddatur, & significato respondeat.

Arabicæ.	Græcæ.	Latinæ.
Abgas,	Chorion,	Amnium tunica.
Abortus,	Ambloſis,	Abortus, Deperditio.
Abrahomia,	Cacoëthe.	Maligna ulcera.
Accidens,	Symptoma,	Paſſio, Coïncidens.
Achael,	Pſellotes,	Traulus, Balbus.
Achilus, Albaras,	Ægilops,	Anchilops.
Achmas,	Pedion,	Planta pedis.
Achimon,	Argemon,	Iridis oculi ulcus.
Acrai, Arſarum,	Priapiſmus,	Tentigo.
Acthalegi,	Palmòs,	Palpitatio.
Acualis dolor,	Nitticòs,	Perforativus.
Adereb fluxus,	Hepaticus affectus,	Iecoris imbecillitas.
Adorem,	Raphè,	Sutura. (tiones.
Adorem corticales,	Lepidoeides,	Squamoſæ conglutina-
Adorem laudæ,	Lambdoeides,	Sutura occipitis.
Adorem mendoſæ,	Lepidoeides,	Suturæ juxta aures.
Aduſtiva, (me,	Cauſon,	Adurens febris.
Aduſtivum, Anfu-	Epicauma,	Sordidum ulcus oculi.
Aſlicem,	Ophthalmia.	Lippitudo.
Alabene,	Supinitas,	Succubus.
Alacaran,	Ancyroeides,	Anchoralis proceſſus.
Alachabab,	Pterna,	Calcaneus, Calx.
Alachun,	Larynx,	Aſperæ arteriæ caput.
Alagiagi,	Oſtoûn hieròn,	Os ſacrum.
Alaiuanie,	Zoticè dynamis,	Vitalis virtus.
Alandagi,	Anadoſis, diapho-	Digeſtio, Concoctio.
Alarbian,	Sarcomata, (reſis,	Polypus narium.
Alaſch idem ac	Iliſchi, vide infrà.	

Ala-

Arabicæ,	Græcæ,	Latinæ.
Alaſcilez,	Splenica,	Salvatella vena.
Alaſtardad,	Apotherapia,	Recreatoria.
Alatahal,	Coryza,	Gravedo.
Alatzar,	Ectropion,	Palpebræ inverſio.
Albaras alba,	Leuce, Alphos,	Morphea alba.
Albaras nigra,	Lepra,	Morphea nigra.
Albarnaber,	Carcinoma,	Cancer narium.
Albatagin,	Carpus,	Brachiale.
Albere,	Meſogaſtrium,	Ventris medium.
Albhear,	Dyſpnœa,	Difficultas ſpirandi.
Alborati,	Omphalus,	Vmbilicus.
Albothin, (bedo,	Terminthi,	Exituræ nigræ,
Albugo, Panus, Al-	Leucoma,	Cicatrix oculi.
Alcaſa,	Inion,	Occiput.
Alcahab,	Aſtragalus,	Talus.
Alcangiari,	Sternon,	Os pectoris.
Alcarba,	Phalacroſis,	Calvitium.
Alcuſi,	Achlys,	Caligo oculi.
Alchab,	Aſtragalus,	Clavicula, Talus.
Alchada,	Omoplata,	Humerus. (guâ.
Alchael,	Aphonia,	Vocis carentia ex lin-
Alchael,	Diaphragma,	Præcordia.
Alchalcun,	Larynx,	Guttur. (cuna.
Alchama,	Choana, Pyelos,	Infundibulum, La-
Alchamar,	Amblyopia,	Cœcitas ſolùs intuitu.
Alchambar,	Anœa,	Amentia.
Alchangeri,	Sternon,	Enſiformis cartilago.
Alchatim,	Pſoæ, Iſchis,	Lumbi.
Alchef pectinis,	Metacarpium,	Poſt-brachiale.
Alcheffir,	Porus,	Meatus.
Alchei,	Oſtoùn hieròn,	Os ſacrum.
Alchelos,	Taraxis,	Oculi perturbatio.
Alchirunie,	Chironia,	Vlcera rebellia.
Alchool,	Xerocollurion,	Collyrium aridum.
Alchola,	Aphthæ,	Oris ulcera.
Alchola maligna,	Nomę, Phagedęnę,	Vlcera depaſcentia.

Arabicæ,	Græcæ,	Latinæ.
Alcosbot,	Apostasis, apostema,	Abscessus.
Alcude,	Cephalæa,	Dolor capitis diuturnus.
Alcurati,	Dysenteria,	Tormina.
Alcuzez,	Tetanus,	Spasmus, Convulsio.
Aldaragi,	Raphe,	Sutura.
Aldebha,	Cynanche,	Angina.
Aldebul,	Marasmus,	Marcor.
Aldees,	Narce,	Ignavia, torpor, hebetudo motus.
Aldhen,	Dianœa,	Mens.
Aldemamid,	Dothien,	Furunculus.
Aldememul, idē ac Aldemamil, &		Aldemamir.
Alderab,	Diarrhœa,	Alvi profluvium.
Aiderabe,	Ula,	Gingiva.
Alderez,	Gaster encephalos,	Ventriculus cerebri.
Alduar,	Scotoma, scotodinos,	Tenebricosa vertigo.
Aldubellet, idem ac Dubellet, &		Dubellati, vide infrà.
Alenada.	Anadosis,	Digestio.
Alfasch,	Hypochelon elcos,	Sinuosum ulcus.
Alfasd,	Phlebotomia,	Venæ sectio.
Alfase,	Hæmalops,	Sugillatio oculi.
Alficume,	Epicauma,	Nubes uveæ.
Algaras,	Ægilops.	Fistula lacrimalis.
Algasamach,	Epiglottis,	Superlingula.
Algeromati,	Esthiomenos,	Herpes exedens.
Algessa,	Emphysema,	Pneumatosis, Inflatio.
Algiebar,	Mydesis,	Luscitudo affectus.
Alguama,	Cittosa, Picatio,	Appetitus depravatus.
Alguardenigi,	Ophthalmia vera,	Lippitudo vera.
Alguasa,	Melancholia.	Melancholia.
Alguati,	Sperma,	Semen.
Alhac,	Tenon, Aponeurosis,	Tendo, Enervatio.
Alhacel,	Paraphrosyne,	Delirium.
Alhadani,	Parotis, Chœras,	Struma, abscessus juxta aures.
Alhadiuth,	Gonorrhœa.	Spermatica egestio.
Alhael,	Adenes,	Emunctoria, Glandulæ.
Alhagiagi,	Ostoun hyerón,	Os sacrum.

Alha-

Arabicæ,	Græcæ,	Latinæ.
Alhagran,	Perinæon, Femen,	Interfemineum.
Alhaliben,	Adenes,	Inguina, emunctoria.
Alhamear,	Paraphroſyne,	Inſania, Fatuitas.
Alhaſad,	Ancon,	Cubitus.
Alhaſos,	Coccyx,	Cauda. (gnum.
Alhauũ,	Oſtoùn hitròn,	Os ſacrum, latum, ma-
Alhauti,	Euſarcon,	Quadratum caput.
Alheame,	Phlebs metôpe,	Vena frontis.
Alheaſme,	Ecpieſma,	Fractura cranei.
Alhumor,	Bothria,	Alveoli dentium.
Alices,	Scordinema,	Pandiculatio.
Alicod,	Proptoſis,	Oculi procidentia.
Aliebati venæ,	Carotides,	Soporariæ, Apoplecti-
Alintiſar,	Mydriaſis,	Uveę dilatatio, (cæ.
Aliſema,	Coryphe,	Vertex capitis.
Allebe,	Sphage,	Iugulum.
Allui,	Cynicus ſpaſmus,	Canina convulſio.
Almabad,	Phlebs ancyles,	Vena Poplitis.
Almachade,	Hedra, Archus,	Anus, Sedes.
Almachein,	Ranteres,	Anguli majores oculi.
Almadiã, idem ac Almabad, &		Almadab.
Almadid,	Phlebs,	Vena.
Almagabin,	Adenes,	Emunctoria.
Almagiat,	Proptoſis,	Procidentia.
Almaxaben,	Maſchalũ,	Axilla.
Almecheni,	Canthus,	Angulus oculi.
Almellietu,	Epiſemaſia,	Annotatio febrũ.
Almeneumat,	Narcotica,	Somnifera, ſtupefaciẽ-
Almenthenein,	Pſoa,	Lumborum caro. (tia.
Almerſegi,	Rhagoeidis proptoſis,	Uveæ procidentia.
Almes,	Catochus, Catalepſis,	Deprehenſio, Aliena-
Almeſemar,	Porus, Helos,	Callus, Clavus. (tio.
Almesfat,	Phoxòs,	Acuminatum caput.
Almiſſere,	Eryſipelas,	Vicini rubiam.
Almatacargie,	Myxa,	Mucor,
Almirach,	Mys,	Muſculus.

Arabicæ,	Græcæ,	Latinæ.
Almiſmar,	Helos,	Clavus.
Almochati,	Pericranion,	Pericranium.
Alnefseme,	Pſychicè dynamis,	Animalis virtus.
Alniſuchat,	Errhyna,	Caput-purgia.
Aloſos,	Lordoſis,	Luxatio,
Aloſos,	Coccyx,	Cauda.
Alrabin,	Aſthma,	Anhelatio.
Alrad,	Sarcotrauma,	Carnis vulnus.
Alrahaune,	Paraphroſyne,	Delirium.
Alraſafe,	Egigonatis,	Patella.
Alraute,	Pterygia,	Alæ, Pinnulæ, narium,
Alrosbot,	Porus ſarcoticus,	Porus carneus.
Alruic,	Paracme,	Declinatio.
Alſabiar,	Comatoſa,	Somnifera opiata.
Alſaguaid,	Embryon,	Fœtus.
Alſahad,	Pechys,	Vlna, Cubitus.
Alſahafati, idem ac *Sahafati*, vide infrâ.		
Alſaim,	Neſtis enteron,	Iejunum inteſtinum,
Alſamach,	Typhlon trema,	Cœcum foramen.
Alſamach,	Otys,	Auris.
Alſaria,	Epilepſia,	Morbus comitialis.
Alſarnach,	Hydatis,	Aquula.
Alſaterel,	Ancyloblepharon,	Palpebrarum cohærentia.
Alſeda,	Thlaſma,	Contuſio.
Alſedar,	Scotomia,	Tenebroſitas.
Alſedeid,	Brachion,	Brachium.
Alſeedic,	Meliceris,	Melleus abſceſſus.
Alſelac,	Scleriaſis,	Palpebrarum durities.
Alſeriaran,	Catharticum,	Purgans.
Alshara,	Epilepſia,	Comitialis morbus.
Alshautat,	Errhyna,	Caput-purgia.
Alshela,	Ganglia,	Contractiones.
Alſiafie,	Hegemonica,	Rectrix virtus animæ.
Aſtrengi,	Cerion,	Favus.
Alſurbed,	Phlebs hypoglottis,	Vena ſub linguâ.
Altarfar,	Hypoſphagma,	Cruenta ſuffuſio.

Alte-

Arabicæ,	Græcæ,	Latinæ.
Alteneſes,	Diaphnoë,	Tranſpiratio.
Alterbet,	Cachexia,	Pravus habitus.
Altharas,	Barycoïa,	Obauditus.
Althaun,	Phygethlon,	Apoſtema peſtilens.
Altheca,	Traulus,	Balbus.
Althoin,	Bubo,	Abſceſſus peſtilens.
Althumar, idem ac Alchamar.		
Alchute,	Hæmorrhois,	Sanguiflua vena.
Altualil,	Acrochordon,	Verruca.
Aluardengi,	Chymoſis,	Palpebræ diſtorſio,
Aludi,	Gonorrhœa,	Seminũ fluxus.
Aluebe,	Palmòs,	Palpitatio.
Alunum,	Bothrion,	Vlcus cavum oculi,
Alureſchin,	Exanthemata,	Puſtulæ.
Aluſuas,	Paranœa,	Dementia. (litis.
Alzamane,	Paralyſis,	Reſolutio nervorũ, mol-
Ancha,	Meros,	Femur, Crus.
Anulus,	Larynx,	Aſperæ arteriæ caput.
Anulus,	Bothrion,	Foſſula.
Aqua Cranii,	Hydrocephalon,	Aqua capitũ.
Aqua deſcendens,	Hypochyma,	Suffuſio.
Arcuatio,	Scolioſis,	Luxatio poſtica verte-
Areffatu,	Epigonatis,	Patella, Genu, (brarũ.
Arſatum,	Priapyſmus,	Tentigo, Penis rigidus.
Arteria Orithi,	Aorta,	Magna, Craſſa.
Arteria Arulidi,	Leiai,	Arteriæ læves.
Arteriæ ſubnecti,	Carotides,	Soporariæ.
Aretica,	Arthritũ,	Articularis morbus.
Aſchachilos,	Sphacelus,	Membrum demortuum.
Aſcham,	Pathos, Pathema,	Paſſio.
Aſef,	Hydróón,	Sudamen.
Aſeid,	Pechys,	Cubitus, ulna.
Aſelha,	Oedema,	Tumor laxus.
Aſellata vena,	Maſchaliaia,	Axillaris vena.
Aſeſtra,	Ectropion,	Palpebræ inverſio.
Atanatum,	Bubon, Lœmos,	Abſceſſus peſtilens.

Ata-

Arabicæ,	Græcæ,	Latinæ.
Ataſus,	Pneumatoſis,	Inflatio.
Athacarugi,	Myxa,	Mucor.
Altherael,	Apoſtema,	Abſceſſus.
Aures murũ,	Myos otũ,	Muris auricula.
Balchee,	Telephion elcos,	Ulcus telephium.
Balchie,	Pſydracia,	Puſtulæ capitũ.
Bancharas,	Pancreas, Callicreas,	Caro glanduloſa.
Barachien,	Bubon, Læmos,	Apoſtema peſtilens.
Baras,	Pſoronychia,	Scabrities unguium.
Barbati.	Oſcheon, (phum,	Scrotum, Burſa teſtium,
Baſilare os,	Sphenoũ, Polimor-	Os palati.
Bathara,	Anthrax peſtilens,	Carbo, ulcus eſcharoticũ.
Baurach,	Aphronitrum,	Sal nitrum.
Bear,	Dyſpnœa,	Difficultas ſpirandi.
Beditus,	Strumæ, Chœrades.	Scrofulæ.
Benat noctũ,	Epinyctũ,	Nocturna efflioratio.
Beriteron,	Peritonæon,	Peritonæos tunica.
Besbeia,	Polypus, Sarcoma,	Care multiples narium.
Betaram.	Encope,	Inciſio.
Bezahartica,	Alexipharmaca,	Ad venena pharmaca.
Bezel,	Paracenteſis,	Punctio, Perforatio.
Biles,	Allantoeides,	Inteſtinalũ tunica.
Birſen,	Pleuritũ,	Lateralis dolor.
Boliſmos,	Bulimos,	Ingens eſuritio.
Bothor,	Bothor,	Puſtulæ.
Bothor,	Synchyſes,	Exituræ oculi.
Brachium,	Brachion,	Brachium.
Buri,	Sarcocele,	Carnoſa hernia.
Cadar,	Hemiplexia,	Dimidii corporis reſolutio.
Cafacan,	Cardia,	Cor.
Calcataron,	Pterigium,	Ungula oculi.
Callus,	Helos,	Clavus.
Calvitium,	Phalacroſis,	Capillorum caſus.
Camaduci,	Inion,	Occiput, occipitium.
Cambium,	Chymus,	Sanguis, ſeu humor.
Camiſia fœtus,	Allantoeides,	Inteſtinalũ tunica.

Cana-

Arabicæ.	Græcæ.	Latinæ.
Canalū,	Porus, (sis,	Meatus.
Cancrena,	Gangræna, Necro-	Gangræna.
Canna pulmonū,	Trachea arteria,	Aspera arteria.
Cannæ tibiæ,	Ocrea, Sura,	Ossa duo tibiæ.
Capsula cordis,	Pericardium,	Cordis involucrum.
Carabitus,	Phrenitis,	Deliriū febriēs. (vata.
Caras,	Aphonia, Traulus,	Vox deperdita depra-
Caratin,	Gesenteron,	Lumbrici terrestres.
Carenum,	Sapa, Siræon,	Mustum coctum.
Carmasa,	Bubon,	Glandularū absces-
Caro addita,	Hypersarcosis,	Thymus.
Cassum,	Thorax,	Pectus.
Cataracta,	Hypochyma,	Suffusio.
Catalan,	Encope,	Incisio.
Chadessan,	Derein,	Excoriare.
Chahab.	Astragalus,	Talus.
Chalahan,	Exarthrema,	Luxatio.
Chasem,	Ozænæ,	Narium ulcera.
Chatrab,	Lycanthropia,	Lupina insania.
Chede,	Anorexia,	Inappetentia.
Chesaram.	Catagma,	Ossium fractura.
Chila.	Cirsos,	Hernia.
Chū, Saccus,	Cystis,	Vesica.
Chū hordei,	Ptisana,	Cremor hordei.
Cholera,	Chole,	Bilis.
Cholera citrina,	Picrocholos chymos,	Bilis pallida.
Cholera famosa,	Chole nota,	Bilis spuria.
Cholera min. famę,	Chole melæna,	Bilis adusta.
Cholera nigra,	Chole melæna,	Bilis atra.
Cholera rubea,	Picrocholos chymos,	Bilis amara.
Cholera vitellina,	Chole lecithodes,	Bilis vitellina.
Cholirica passio,	Cholera,	Bilaris.
Chranites,	Phrenitis,	Phrenitis.
Chuba,	Leichen, Lepra,	Impetigo.
Chuzez,	Tetanus, (des,	Tensio.
Clypealis cartilago,	Chondros, Thyreoei-	Scutiformis cartilago.

Cym-

Arabicæ,	Græcæ,	Latinæ.
Cymbalarũ,	Cricoeides,	Coópertoria cartilago.
Cohol,	Collyrion,	Collyrium fusum.
Colcotar,	Chalcitis,	Vitrioli ſpecies.
Complexio,	Craſis, Symmetria,	Temperies.
Conach,	Hyſtericè pnix,	Vteri præfocatio.
Congelatio,	Catalepſis,	Deprehenſio.
Congelatio dentiũ,	Hœmodia,	Stupor dentium.
Conſimilia,	Homogenea,	Similares partes.
Contorſio,	Scolioſis,	Obſtipitas.
Conturbatio,	Taraxis,	Vellicatio oculi.
Convulſio canina,	Spaſmus cynicus,	Diſtorſio faciei.
Coronale,	Argemon, Leucoma,	Albugo oculi.
Corruptio oſſis,	Teredon,	Oſſis caries.
Cortex inteſtini,	Ephelcũ, Ramentũ,	Inteſtini tunica.
Coxa,	Meros,	Femur, Crus.
Cus,	Cneme,	Tibia,
Cutubuth,	Lycanthropia,	Lupina inſania.
Darb, Darab,	Diarrhœa,	Alvi profluvium.
Debus,	Maraſmus,	Tabes.
Demonium,	Mania,	Furor.
Dentes Atham,	Gomphii,	Molares, Sapientiæ.
Derezi,	Raphè,	Commiſſura, Sutura.
Diacuminum,	Diaſpoleticum,	Ex cumino pharmacũ.
Dipſacos,	Diabetes,	Vrinæ profluvium.
Diſlocatio,	Lordoſis, Luxatio,	Exarticulatio.
Diſnia,	Dyſpnœa,	Difficultas reſpiratio-
Domeſtica vena,	Maſchaliæa,	Interna. (nis.
Dubellati,	Phlegmone,	Abſceſſus calidus.
Dura mater,	Meninx Craſſa,	Cuticularis tunica.
Durities,	Scirrhus,	Abſceſſus durus.
Embroce,	Balaneion,	Balneum.
Empialos,	Hepiala,	Febris Hepiala.
Emulgentes,	Emulgentes,	Percolantes venæ.
Emunctoria,	Adenes,	Glandulæ.
Encaras,	Phlebs Meſaræi,	Vena meſaraica.
Endros,	Epididymis,	Supergeminalis tunica.

Ener-

Arabicæ,	Græcæ,	Latinæ.
Enervatio,	Paralyſis,	Reſolutio.
Epittima,	Epithemata,	Linimenta.
Eſſere,	Epinyctũ,	Effulgentia, Efflora-tio.
Eſſere, cholericum,	Phlegmone, Phlogo-	Inflammatio.
Eſticos febrũ,	Hectica,	ſis, Habitualũ facta.
Exitura,	Apoſtema,	Abſceſſus purulentus.
Expreſſio oculi,	Proptoſis,	Vveæ prolapſus.
Fagdan,	Lordoſis,	Spinæ luxatio,
Fames vacciva,	Bulimos,	Vehemens eſuritio.
Faricon,	Cauſon,	Febris ardens.
Faſelan,	Apocope,	Abſciſſio,
Febrũ triangulata,	Tetartæos,	Quartana.
Fedehan,	Hernia, Ramex,	Ruptura.
Feriſmus,	Priapiſmus,	Tentigo.
Feterat,	Paracme,	Remiſſio morbi.
Finctor muſculus,	Sphincter,	Conſtrictor.
Filachaliaſuch,	Stephaniæa,	Sutura coronalis.
Fechan,	Diaſtremma,	Luxatio.
Fiſſura,	Rhegme,	Rima.
Focilia duo.	Cercũ, Pechys,	Radius, Cubitus.
Fœdion,	Epilepſia,	Puerilũ morbus.
Formica,	Myrmecia,	Seſſilũ verruca.
Formica,	Herpes miliarũ,	Serpigo.
Formicalũ,	Myocephalon,	Muſcæ caput.
Foſſula,	Botrion,	Vlcus cavum corneæ.
Franites,	Phrenitũ,	Cum febre delirium.
Fricatio,	Anatripſis,	Frictio.
Furcula,	Cleũ,	Clavũ, Iugulum.
Furfures,	Pityriaſis,	Porrigo.
Fugule, Fulille,	Parotũ,	Ad aures morbus.
Furſus,	Nympha,	Colliculum.
Gadu,	Scirrhus,	Tumor durus indo-lens.
Galea, Ovum,	Cephalæa,	Diuturnus capitis dolor.
Garab, Algaras,	Ægilops,	Vlcus anguli oculi.
Gaſi,	Syncope,	Præceps viriũ lapſus.
Gaunoij,	Pariſthmia,	Tonſillæ, Amygdalæ.

Ge

Arabicæ,	Græcæ,	Latinæ.
Gedaul,	Meſaraeon,	Meſenterium, lactes.
Geleniabin,	Diarrhodomel,	Ex rosâ & melle comp.
Genu,	Gony,	Os tibiæ, Genu.
Geſſa palpebræ,	Sclerophthalmia,	Scabrities palpebrarum.
Gibboſitas,	Cylloſis,	Diſtortio.
Gienun,	Mania,	Furor.
Gingia mater,	Pericranium,	Pericranium.
Glandulæ,	Ganglia, (ſthia,	Contractiones.
Grando oculi,	Chalazion, Po-	Hordeolum.
Gueſques,	Melancholia,	Fatuitas.
Guidez venæ,	Sphagitides,	Apoplecticæ, Iugulares.
Gutta ſerena,	Amauroſis,	Viſus obſcuritas.
Haben,	Hydrops.	Aqua inter cutem.
Hacar,	Apoſthema,	Vlcus, ſive abſceſſus.
Hacuna,	Satyriaſis,	Tentigo, Penis tenſio.
Halmes,	Paraphroſyne,	Delirium.
Hamcha,	Anœa, (mata,	Dementia.
Hamicha,	Lata exanthe-	Variolæ.
Haſef,	Hidroa,	Sudamina.
Hazam,	Encope,	Inciſio.
Hedian,	Moria moroſis,	Deſipientia.
Henadam,	Pepſis,	Concoctio.
Heſme,	Apoſphagma,	Avulſio.
Hirqui oculorum,	Canthus,	Anguli oculi.
Humor,	Chymus,	Humor.
Iafuc,	Bregma,	Sinciput.
Iectigatio,	Palmos,	Palpitatio, Saltus.
Iezemet,	Catalepſis, Ca-	Deprehenſio.
Ibet, Subeth,	Coma, (ros,	Sopor.
Ignis Perſicus,	Anthrax,	Carbo, Carbunculus.
Iliſchi,	Eroticos,	Effrænis amore.
Impetigo,	Leichen, Lepra,	Salſa cutis aſperitas.
Impetigo aſpera,	Leichenes,	Tenſa prurigo.
Incubus,	Ephialtes,	Nocturna ſuffocatio.
Inverſa palpebra,	Lagophthalmos,	Leporinus oculus.
Inviſcatio palpebræ,	Ancyleblepharō,	Palpebrarū cohærentia.

Inve-

Arabicæ,	Græcæ,	Latinæ.
Involutus,	Allantoeides, Chorion,	Urinaculũ, Secunda.
Istimbre,	Crasis,	Tẽperies, Assimilatio.
Iuleb,	Hydroroſaton,	Ex roſaceũ & ſac-
Iuncus,	Jonthos,	Varus. (charo.
Kef,	Cheir,	Manus.
Kers,	Stomachus,	Ventriculus.
Kili vena,	Hepatitis,	Cava vena.
Lacertus,	Mys,	Muſculus.
Lachat,	Encope,	Inciſio,
Lactea vena, (li,	Galaxias,	Lactes.
Lapidoſitas ocu-	Tyloſis,	Callus palpebrarum.
Latica febrũ,	Cathemerina,	Quotidiana continua.
Lauda,	Os hyoeides,	Os gutturũ.
Laxatie,	Paralyſis,	Reſolutio.
Leipyria febrũ,	Leipyria,	Leipyria.
Leithargyrium,	Molybdæna, Plumbago,	Limatura plumbi.
Lentigo,	Exſuccatio,	Sugillatio.
Lepores naſi,	Myctheres, Pterygia,	Alæ, Pinulæ narium.
Leucam,	Lepra,	Lepra, (ceſſus.
Lilimie,	Coiloma,	Profundus oculi abs-
Loch,	Apophlegmatiſmus,	Pituitæ per os eductivũ.
Longaon,	Apeuthyſmenon,	Rectum inteſtinum.
Lulma,	Coilomata,	Ulcera cava uveæ.
Macula oculi,	Hypophthalmia, Hypo-	Sugillatio.
Malũ granatum,	Xiphoeides, (ſphagma,	Os pectorũ.
Manuale opus,	Cheirurgicon,	Manuum opera.
Maram,	Aleimma,	Unguentum.
Maſera,	Phlegmone mitũ,	Leve inflammen.
Maſticatorium,	Apophlegmatiſmus,	Pituitæ eductivã per os.
Mater puerorum,	Epilepſia,	Comitialis morbus.
Mater ſanguinũ,	Aneuriſma,	Arterialis ſanguinis
Maudana,	Catapotia,	Pilulæ. (fluor.
Melon,	Pepon,	Anguria. (da.
Melon Indus,	Melopepones,	Aguria viridis rotun-
Men,	Droſomeli,	Manna. (Pulſus.
Men Giezer,	Syſtole, Diaſtole,	Contractio, Dilatatio

Arabicæ,	Græcæ,	Latinæ.
Menſtruus ſanguis,	Catamenion,	Menſes.
Meri,	Oeſophagus,	Gula.
Metalachlach,	Tholera,	Turbidæ urinæ.
Metenen,	Pſoa,	Caro lumborum.
Mirach,	Epigaſtrium,	Abdomen.
Miraehia,	Hypochondriacus,	Flatuoſus morbus.
Mollificatio,	Paralyſis,	Reſolutio.
Monoculum,	Thyphlòn, (mia,	Cœcum inteſtinum.
Morbilli,	Exãthemata ſubli-	Puſtulæ elatæ.
Morphea,	Alphos, Leuce,	Vitiligo.
Morum,	Condylomata,	Exturberatio ani.
Mucla,	Derma,	Cutis.
Munſis,	Ecpieſmos,	Totius oculi prolapſus.
Muzum,	Struphnos,	Auſterus ſapor, vel
Naſcentia,	Apoſtema,	Exituræ. (acerbus.
Naviculare os,	Scaphoeides,	Naviforme os.
Nebith,	Oinos,	Vinum,
Nerdi os,	Aſtragalus,	Talus, Os balliſtæ.
Nervalis, Sutura,	Obeliœa,	Sagittalis, Recta.
Nocra,	Phlebs,	Vena.
Nodus,	Athera,	Atheroma.
Nubes,	Hypochyma,	Suffuſio, Cataracta.
Nucha,	Notyæos myelos,	Spinalis medulla.
Nyctalopa,	Nyctalops,	Nocturna cæcitas.
Oculi egreſſio,	Ecpieſmos,	Totius oculi prolapſus.
Oculi profunditas,	Atrophia,	Nutritionis defectus.
Oculi ulcus ſerpens,	Anthracoſis,	Carbunculus.
Oculus Poplitis,	Epigonatis, Myle,	Patella, rotula, genu.
Officialia membra,	Organica,	Inſtrumentalia. (nus.
Onum,	Cephalæa,	Dolore capitis diutur-
Opium,	Meconium.	Succus papaveris.
Oregmon,	Catharrus,	Deſtillatio.
Os cunei,	Sphenois,	Genu.
Os crurũ,	Cony,	Baſilare, Palati.
Os lande,	Pharyngethron,	Os gutturis.
As latũ, Alchatim,	Coxa,	Femur.

Os

Arabicæ,	Græcæ,	Latinæ.
Os Nerdi,	Cyboeides,	Cubiforme.
Os Parũ,	Zygoma,	Os jugale, Os temporum,
Os Perdis,	Pedion,	Planta pedũ, Pecten.
Ossa Shemie.	Lithoeidea,	Lapidosa, Petrosa.
Ossei mollificatio,	Rhacosis,	Detritio, Scroti extensio.
Osseum,	Scrotum,	Testium involucrum.
Panaritium,	Paronychia,	Reduvia.
Panus,	Phugethlon,	Panũ.
Pars domestica,	Oiceion meros,	Interior.
Pars sylvestrũ,	Exothen meros,	Exterior.
Patia,	Tonos,	Nervus.
Pecten alchef,	Metacarpium,	Posibrachiale.
Peliomata,	Exsuccatio,	Livor.
Peltalũ cartilago,	Thyroeides,	Scutiformis.
Periodica febrũ,	Typica.	Intermittens.
Phitanos febris,	Palimbole,	Reversiva, Erratica,
Phlebotomia,	Phlebotomia,	Venæ sectio.
Pia mater,	Choroeides,	Meninx tenuis.
Pixũ,	Ischias,	Coxa.
Plaga.	Trauma,	Vulnus.
Planta noctũ,	Epinyctides,	Nocturnæ efflorationes.
Porrina,	Prasodes,	Porracea bilũ.
Portinarium,	Pyloros,	Ianitor. (spondens.
Proportionalũ,	Symbolicus mor-	Naturæ, Loco, tempori re-
Pruna.	(tio, Anthrax,	(bus, Carbo.
Pupillæ constri-	Phthisis oculi,	Tabes oculi.
Quimdegæ venæ,	Sphagitides,	Apoplecticæ, Iugulares.
Radani,	Thlasma,	Contusio, Attritio.
Radicalia mem-	Spermatica,	Seminalia.
Ragamia,	(bra, Rhogme,	Fissura.
Rahaf,	Hæmorrhois na-	Fluxus sanguinũ narium.
Ranula,	Sardoa,	(rium, Ranunculus.
Ras,	Cephale,	Supernus venter.
Rascetta,	Carpon,	Brachiale.
Rasga,	Epigonatũ,	Patella.
Ravedseni,	Rhabarbarum,	Rhabarbarum.

Arabicæ,	Græcæ,	Latinæ,
Renalis dolor,	Nephriticus,	Renum dolor.
Resudatio,	Hidroa, (des,	Sudamina.
Rete mirabile,	Plegma dyctoei-	Plexus retiformis.
Rhæune,	Anœa.	Amentia, dementia,
Rhia alsabiam,	Hydrocephalon,	Aqua capitis.
Rigil,	Meròs,	Femur, Crus.
Rina alsabiam,	Epilepsia,	Comitialis morbus.
Rob,	Opos,	Succus seipso concrescens.
Rostrum Corvi,	Coracoeides,	Corvicularis processus,
Rotula,	Epigonatis,	Patella, Genu.
Ruptura,	Cele,	Ramex, Hernia.
Ruptura carneæ,	Proptosis,	Oculi prolapsus.
Sacculos,	Cephalalgia,	Capitis dolor.
Saccus,	Catalepsis,	Deprehensio.
Sache,	Tmesis,	Scissura,
Sadacham,	Thlasma,	Contusio.
Sagittalis,	Obelæa,	Recta sutura.
Sahafati,	Achores,	Ulcus capitis manans.
Saharà,	Pannychismos,	Pervigilium nocturnum.
Saltus,	Palmòs,	Palpitatio.
Sanguis mortuus,	Exsuccatio,	Sugillatio.
Sanies in siphac,	Hypopyon,	Pus corneæ.
Sanies ungularis,	Onyx,	Unguis oculi.
Saphiros,	Carcinos,	Cancri species.
Savich,	Ptisana,	Cremor hordei.
Sauthac,	Cephalartica,	Caputpurgia.
Scabies oculi,	Trachoma,	Pruritus oculi.
Scarificatio,	Encharaxis,	Cutis incisio.
Scelen vena,	Splenica, (chias,	Salvatella.
Sciatica.	Coxendix , Is-	Coxendicum morbus.
Sclirosis,	Sceleriasis,	Tumor durus palpebræ.
Scotomia,	Scotodinos,	Tenebricosa vertigo.
Scrofidæ,	Chœrades, (as,	Strumæ.
Sebel,	Encathis, Rhœ-	Inaugularis.
Secaniabin,	Oxysacchara,	Syrupus acetosus.
Secundina,	Chorion,	Secunda.

Secun-

Arabicæ,	Græcæ,	Latinæ.
Secundina tunica,	Choroeides,	Meninx tenuis.
Sedar,	Cataphora,	Somnolentia.
Sedere,	Scotoma,	Vertigo.
Sehagian,	Trauma,	Vulnus.
Serach,	Emphraxis pylori,	Obstructio pylori.
Serasif,	Hypochondria,	Præcordia.
Sesaseve,	Acantha,	Spinæ apex.
Sibare,	Mania,	Furor.
Sief,	Hygrocollyria,	Humida collyria.
Silac,	Tylosis,	Depilatio palpebræ.
Siphac,	Peritonæon,	Peritonæos tunica.
Siracost,	Manna,	Manna.
Sirsen calidum,	Phrenitis,	Phrenitis.
Sirsen frigidum,	Lethargus,	Lethargus.
Sisamina ossa,	Sesamoeidea,	Sisamoeidea.
Sochos,	Catalepsis Catoche,	Deprehensio.
Soda,	Cephalæa,	Dolor capitis.
Soram,	Catalepsis,	Deprehensio.
Sosati,	Pleuritis,	Lateralis dolor.
Spasmus humidus,	Notiodes,	Ex repletione.
Spasmus siccus,	Xeròs,	Ex inanitione.
Spatula,	Homoplatæ,	Scapulæ.
Spatularis,	Omiæa vena,	Humeralis vena.
Spina,	Phlegmone cutis,	Inflammen cutis.
Spondylus,	Spondylos,	Vertebra.
Stoliditas,	Paraphrosyne,	Delirium.
Strabrositas,	Illosis, Strabismus,	Palpebræ contorsio.
Subet, Subetia,	Caros, Coma,	Sopor altus. (sopor.
Subet Alsari,	Coma agpnon,	Cama vigil, Vigilans
Subeticæ venæ,	Carotides,	Soporariæ, Arteriales.
Suffus,	Conis,	Pulvis.
Suffumigia.	Thymiamata,	Suffitus. Odoramenta-
Sura,	Omphalos,	Umbilicus. (les.
Sycodei, (sa,	Cyclos proposon,	Extuberatio faciei.
Syncopalis humero-	Chymosa,	Ex crudo humore febre.
Syncopalis minuta,	Leptòs pyretòs,	Ex tenui humore febris.

Arabicæ,	Græcæ,	Latinæ.
Tabulos,	Lipyria febrũ.	Febris inæqualis.
Tarax,	Cophosis, (tha,	Surditas, Obauditus.
Taraxũ,	Ophthalmia no-	Conturbatio oculi.
Tarsati,	Hypostphagma,	Cruenta suffusio.
Tarsus.	Cophosis,	Surditas.
Tebegi,	Emphysema,	Palpebræ inflatio.
Tebiegi,	Cachexia,	Pravus corporũ habitus.
Telha,	Sapa, Siræon,	Mustum coctum.
Temos,	Hypogastara,	Ventris concavitas.
Tenur corporũ,	Hypogastrion,	Abdomen.
Tereniabin,	Manna,	Mannæ species.
Tharcamatica,	Trachomatica,	Detergentia.
Tharica,	Throchanter,	Tuberculum femoris.
Thau,	Ganglia,	Glandulosi affectus.
Theca,	Cranion,	Calvaria.
Thoeban,	Paracentesis,	Perforatio. (tũ.
Tinea,	Achores,	Manantia ulcera capi-
Tinnitus aurium,	Echos, Syrismos,	Sibilus aurium.
Traulus,	Psellotes,	Balbuties.
Trebel.	Oedema,	Tumor laxus.
Triangula,	Tetartæos,	Quartana febrũ.
Tyria,	Alopecia, Ophi-	Defluvium capillorum.
Vachzi,	Nygma, (asis,	Punctura nervi.
Vacillatio,	Taraxũ,	Spuria lippitudo.
Variolæ,	Exanthemata	Efflorationes.
Varix,	Cirsos, (lata,	Dilatata vena.
Vena algebein.	Metopou,	Frontis vena.
Vena alhaleb,	Porus Ureter,	Meatus urinarius.
Vena almabat,	Ignytũ,	Poplitis vena.
Vena curvaturæ,	Ancyle,	Poplitis vena.
Vena funis brachilii,	Basilica,	Iecorariæ ramus.
Vena Medeni,	Dracontion,	Dracunculus.
Venæ emulgentes,	Emulgentes,	Colatoriæ.
Venæ subeticæ,	Carotides,	Soporariæ.
Venter,	Sicya,	Cucurbicula.
Verruca,	Achrochordon,	Verruca.

Vesicæ,

Arabicæ,	Græcæ,	Latinæ.
Veſicæ,	*Phlyctænæ,*	*Puſtulæ.*
Ugane,	*Gnathus,*	*Gena.*
Virga,	*Ædoion, Caulos,*	*Coles, Penis.*
Viriditas oculi,	*Glaucoma,*	*Glaucedo oculi.*
Undimia,	*Oedema,*	*Tumor laxus.*
Ungula oculi,	*Pterygion,*	*Ala oculi, Unguis oculi.*
Uſago,	*Leichen,*	*Impetigo.*
Uvatio,	*Staphyloma,*	*Uveæ oculi egreſſus.*
Zaara,	*Agrypnia,*	*Morboſa vigilia.*
Zachema,	*Catharrus,*	*Deſtillatio.*
Zemane,	*Paralyſis,*	*Reſolutio.*
Zinaria,	*Iôdes Cholè,*	*Æruginoſa bilis.*
Zirbus.	*Epiploôn, Epiploun,*	*Omentum.*
Zuccarum tabarzet,	*Hals Indicòs,*	*Saccharum album.*

FINIS.



2-a 8.

